



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>




UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



900000172330 Google



B.L. 3295



M. ANTONIVS MAIORAGIVS
Profesfor Eloquentiæ Mediolanensis.

DELICIAE EPISTOLICAE

SIVE

EPISTOLARVM

ARGVMENTI NON MINVS RA-
RITATE QVAM ORATIONIS CVL-
TV ATQVE ELEGANTIA
INSIGNIVM

FASCICVLVS
MAIORAGII, GRAEVII,
BARTHOLINI, SCHEFFERI

ALIORVMQVE VIRORVM DISERTIS-
SIMORVM, TVLLIANAEQVE ELOQVENTIAE
FELICIVM AEMVLATORVM, EPISTOLAS, VEL
NVNQVAM ANTEHAC EDITAS, VEL OBLIVIONE
PROPTEMODVM OBRVTAS ET AB INTERITV
RETRACTAS COMPLEXVS.

EDIDIT ET DE VITA SCRIPTISQVE
MAIORAGII

PRAEFATVS EST

IOAN. PETR. KOHLIVS P. P.

ACCEDIT

IOAN. ERHARDI KAPPII, PROE. LIPS.

AD EDITOREM EPISTOLA

LIPSIAE,

APVD HAER. B. IO. FRID. BRAVNII
MDCCLXXXI.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 551

PROBLEM SET 1

DATE: _____

V I R I S
GENEROSISSIMIS
DOMINO
NIC. CHRISTOPHOR.
de THIENEN

CONSILIARIO PROVINCIALI,
DOMINO HEREDITARIO PRAEDIORVM
BVLKE ET ECKHOFF &c.

DOMINO
NICOLAO HENRICO
de THIENEN,
HERIDITARIO DOMINO
PRAEDIORVM WAHLSTORFF, GVL-
DENSTEIN & GRVNHOLZ &c.

DOMINIS, FAVORIBVS AC
MAECENATIBVS SVIS OBSERVANTISSI-
ME DEMISSEQVE COLENDIS

S. P. D.

A V C T O R.

ALBA

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE THIESEN

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE THIESEN

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

DE HEREDITARIO DOMINIO

DE DON DOMINGO

VIRI GENEROSIS-
SIMI

DOMINI, FAVTORES ET
MAECENATES

OBSERVANTISSIME DEMISSEQUE
COLENDI

C*um vera Deum co-
lendi ratio, quam
Religionem vocamus, lite-
ris carere non possit; lite-
rae vero Musagetis & Mae-
cenatibus indigeant: nihil
Nobilitate Christiana, vi-
risque Generosis dignius,
nihil in laudem eorum &*

() 2

No-

DEDICATIO.

*Nominis immortalitatem
praestantius dici aut cogi-
tari potest, quam ut vel ipsi
litteras ament, vel saltem li-
terarum, quique eas profi-
tentur atque expoliunt, eo-
rum tutelam & patrocini-
um beneuole suscipiant. In
quibus utrumque coniun-
ctum reperitur, eos tanto
maiores laudem gloriam-
que sibi comparare, nemo,
nisi virtutis expertus ac im-
peritus inficias ibit.*

*Horum in numero qui li-
teras pariter & litterarum
doctores colunt, Rosetiam,
VIRI GENEROSISSI-
MI,*

DEDICATIO.

*Memoranda Cimbricae
Nobilitatis Decora vel in
primis habendos, nouerunt
omnes qui uestras, a teneris
annis praecclaros ad uirtu-
tem, ac eruditionem impe-
tus egregiaque in Eccle-
siam remque publicam stu-
dia nouerunt. Tales enim
diuino munere nati Pa-
rentes, qui nihil prius aut
antiquius habebant, quam
ut Filios ex se natos bona
rectaque educatione beatos
redderent: & ipsi cum sa-
crorum amore Virtutem
atque Doctrinam copula-
stis, & Maiorum uestigia
-3- (*) 3 per-*

DEDICATIO

persequentes, in eam maxime
elaboratis, ut Liberi vestri
parentum similes fiant, id
est Pietate, Virtute & eru-
ditiōe potissimum exceh-
lentes.

Quare cum istas pro-
stantissimi Rhetoris & Q-
ratoris, M. ANTONII
MAIORAGII non in-
dignas auctore epistolas,
cum paucis aliis, dictionis
elegantia non minus, quam
utilitate rerum & argu-
mentorū raritate com-
mendatas, ab obliuione &
interitu vindicare consti-
tuissē, sub Vestris, Mae-
cena-

DEDICATIO

venarum Optimi, quas eadem
dem Fides & Patria tum
etiam gentium, propinquitas,
morumque similitudo
& similitudine coniungit,
splendidissimis nominibus
coniunctis, in publico iam
iterum comparere volui.
Quod quidem eo lubentius
feci, quod posteritatis etiam
interesse putamus, ut
sciat, in hac Musagetarum
penuria nonnullas tamen
Herodas in Cimbricia quoque
vere nobiles ac generosas
extitisse, qui futura magis
& invisibilia, quae perennant,
quam praesentia ac
vi-

DEDICATIO.

visibilia, quae cum hoc mundo pereunt, spectantes, in tuendis fauendisque favoris, earumque fundamento, literis, de Patria deque Republica Christiana bene mereri studuerunt. **Ka-**
lete VIRI EXCELLEN-
TISSIMI, & nostris conati-
bus, quae est Vestra singu-
laris, ac praedicanda Hu-
manitas, fauete. Scribe-
ram d. xij April. anno post-
natum SALVATOREM
millesimo septingentesimo
tricesimo primo.

VIRO

VIRO CLARISSIMO
IO. PETRO KOHLIO

P. D.

IOANNES ~~E~~HARDVS KAPPIVS.

Qvandoquidem nihil vnquam libentius in me suscipio, quam vt commoda Reipublicae, cui adscribor, pro virili mea parte, in altius prouehere, amicorumque meorum desiderijs, quantum in me situm est, omnino satisfacere elaborem: facile a me impetrare potuisti, VIR CLARISSIME, vt, postquam superiore anno mihi significaueras, **TE M. ANTONII MAIORAGII** Quaestiones Epistolicas cum aliorum Doctissimorum Virorum Epistolis, antea non publicatis, cum orbe erudito communicatum esse, de Bibliopola, cuius sumtibus excuderentur, etiamsi abs TE rogatus non fuisset, sollicitus tamen forem. Et qui denegare potuissem hoc, qualecunque est, officij & TIBI & Reipublicae Litterariae? **TIBI, AMICE HONORATISSIME**, quicum iam mihi per complures annos amicitia intercedit, in hac Musarum sede primum

mum coalita, & deinde crebro Epistolarum
 commercio, e Russia mecum instituto, mu-
 tuisque officiis subinde confirmata, atque
 in hunc diem ab utroque nostrum sanctif-
 sime conseruata. Neque tero haud parum
 in publica Reipublicae nostrae commoda
 peccassem, si ad nauandam hanc qualem-
 cunque operam meam, qua hae Deliciae
 Epistolicae in lucem protrahuntur, minus
 promptum paratumque me praestitissem.
 Absit a me tam peruersa de amicis meis,
 & de republica nostra promerendi voluntas!
 Cum enim, vel ipso ALEXANDRO VII.
 Pont. Max. iudice, *prae omnibus aliis pla-*
ceant virorum illustrium Epistolae historia-
que Epistolaris omnium certissima sit, atque
utiliorem praestent operam reipublicae litte-
rariae, qui eruendis e situ Bibliothecarum ve-
terum lucubrationibus incumbunt, quam qui
novos cudant libros: libri enim noui, si quid
*boni continent, ab antiquis mutuari solent: *)*
 quis quaeso est inter viros eruditos humani-
 tatisque studiosos, cui Celeberrimi Maior-
 ragii Quaestiones Epistolicae, a paucissimis
 adhuc visae, nedum lectae, elegantissimae
 ramenti

*) Haec ex ore eius exceptit BONA Cardina-
 lis & ad Lucam Acherium perscripsit. Vid.
 Opera Colomesii p. 512.

tamen, bonaeque frugis plenissimae, tuo nunc studio omnium conspectui exhibitae minus arrideant? Quis non serena fronte IO. ANN. GE. GRAEVII at quanti viri! Epistolas tersissimas ex MS. nunc primum abs TE euulgatas accipiet, ne quid dicam de aliorum virorum doctissimorum Epistolis, quas Maioragianis & Graeuianis comites dedisti, ne quid dicam de Maioragii Apologia in Gaudentium Merulam, ineptum hominem, hic denuo typis repetita, & de vita Professoris Eloquentiae Mediolanensis, accurata diligentia abs TE conscripta. Atque huic eleganti praestantissimarum lucubrationum collectioni Bibliopola non adeo facile deesse poterat, qui hoc de instituto a me paullo curatius edoctus operi manum admouere, illudque in publicos usus imprimere non solum promisit, sed etiam promissis suis ita stetit, ut nunc omnes & singuli harum rerum amatores his Deliciis frui omnino possint, quas ad me manu exaratas nuper ablegaueras. Quo igitur lubentius hoc labore in conciliando TIBI Bibliopola defunctus sum: eo difficilius reliquis TVIS precibus locum esse relinquendum existimaui. Meministi enim, VIR DOCTISSIME, TE saepius iterumque a me

rogare, vt has Delicias Epistolicas praefatione mea ornarem. Neque vero ego sum mihi ita suffenus, vt, si quam in hunc librum praefationem darem, aliquid ornamenti vel ipsi libro, vel TIBI, eius Editori praestantissimo, illa accedere posse, mihi persuadeam. Hoc opus est Summorum in Republica litteraria virorum, non meum, neque mea laude MAIORAGII & GRAEVII lucubrationes, laude mea maiores indigent, neque TV, VIR CLARISSIME, ea opus habes, qui iam variis scriptis Kilouii, Halae & Hamburgi editis praecclare de orbe litterato promeritus fuisti. Interim tamen ne plane nihil precibus TVIS dedisse videar: accipe quaeso, AMICE PRAESTANTISSIME, qui singularis TVVS in me est amor, beneuole ea, quae cum ad externum libri TVI habitum pertinent, tum autem mihi & librum ipsum, & praecipue doctissimam TVAM de vita scriptisque MAIORAGII dissertationem euoluenti, in mentem venerunt, rudi penicillo, in tanta temporis, qua nunc circumscribor, angustia, a me delineata, tenuique spicilegio, post vberissimam TVAM messem, fortassis inseruitura. Neque vero displiciturum TIBI confido, V. Cl. me praeter iconem Maioragii, ex Veneta editione Commentarii eius in Dialogum de par-

partitione Oratoria M. Tullii Ciceronis Venetijs 1587. 4 publicata, quam frustra TE quaesivisse p. 80. affirmas, depromptam, & aere sculptam, id operae dedisse, vt liber TVVS ea, qua ad apographa fieri potest, accuratatione, imprimeretur, & tam indice Epistolarum, quam rerum & verborum a Doctissimo quodam amico instrueretur. In eo etiam Tecum consentio, & dicendi rationem, quam Maioragius in Quaestionibus Epistolicis adhibuit, naturali pulcritudine exsurgere. Neque tamen ea ita omnibus partibus & numeris est absoluta, vt non aliqui naevi, pulchrae tamen eius faciei minime officientes inueniantur. Nec minus argumenta in his Quaestionibus Epistolicis docte pertractantur, sed recentiores tamen vnum alterumque maiori luce collustrarunt, quaedam etiam perperam dicta emendarunt. Quemadmodum vero de rebus ipsis disputatio ab hoc loco nimis aliena est: ita non possum non elegantiorum litterarum studiosos commonere, vt quasdam phrasas & voces caueant, quae diligentissimo alias elegantiarum Ciceronianarum obseruatori exciderunt, a Cicero aliisque scriptoribus idoneis nunquam vsurpatae. In harum censum veniunt p. 18. *bellicis rebus incumbere*

VI AD EDITOREM EPISTOLA

re p. 18. *litteris incumbere* in Orat. in Merulam, p. 311. pro qua veteres dicunt; *ad bellum incumbere, incumbere in studia*, vox elucescit p. 22. & p. 282. *influxus & influxio* p. 67. *profunditas* p. 153. *parricidiose* p. 283. aliaequo plures, quae Ciceronis auctoritate confirmari nequeunt. Nec reprehendendi Maioragium libidine haec a me afferuntur, sed idem quod in GAUDENTIUM MERVLAM sibi licitum esse putavit ipse Maioragius, *) quod in Maioragium MARIUS NIZOLIVS **) & CONRADVS SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS ***) statuerunt; illud etiam nobis permittum esse credimus, ne lectores nostri auctoritate eius permoti omnia Maioragiana incaute arripiant, & inde in scripta sua transferant. Si ergo nec ipsa Maioragii elocutio ab omnibus naeuis plane immunis est: maiori cautione latinitas reliquorum, licet doctissimorum virorum, quorum Epistolae in hac collectione habentur, examinanda est, ne quid vitii, nequid im-

*) In eo tamen est fallus, quando p. 337. vocem *versificator* in Merula reprehendit, a Quintiliano X. 1. usurpatam.

**) vid. praefat. p. 74. not. 1. & infra p. 307.

***) in Supplementis Orthographiae Romanae p. 15. monet, Maioragium vocem *coetaneus* & p. 36. verbum *obensio* usurpasse.

impuritatibus inde trahamus. *Medeste tamen, consultore Fabio meo, & circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent, quae non intelligant. Summi enim sunt, homines tamen.**

Sed antequam ad doctissimam TVAM de vita scriptisque MAIORAGII commentationem progrediar, pace TVA, V. Cl. monere liceat, epistolam *Ioannis Schefferi ad Nicolaum Heinsium*, cuius fragmentum p. 181. in tua collectione habetur, integram iam a celeberrimo PETRO BVRMANNO, acerrimo illo elegantiorum litterarum Vindice, in perinsigni Sylloge Epistolarum T. V. p. 93. sq. publicatam fuisse, quod demum, postquam in hac collectione exscripta fuerat, observare mihi licuit. Ego quoque periculum feci, utrum coniectando assequi possem, ad quos Epistolae illae Graevii p. 242. & 249. perscriptae essent, coniecturamque meam loc. cit. inferius subieci, sed illa iudicio TVO cadet stabitque.

Quod vero ad commentationem tuam de vita scriptisque Maioragii attinet, hic sine omni assentatione, a qua plane alienus sum, adsevero, a nemine adhuc, quisquis est, vitam Maioragii tanto studio adornatam,

(5

eius,

*) Lib. X. instit. Orat. c. 1.

VIII AD EDITOREM EPISTOLA

eiusque scripta tam luculenter enarrata fuisse, quam abs TE in praesenti factum fuit. Interea tamen ut videas, quanto etiam studio in Maioragium tuum ornandum atque expoliendum ferar, congesti nonnulla, sed paucula, sed leuidensia, quae ad hanc dissertationem tuam locupletandam pertinere mihi videntur. Pag. 96. IO. MATTHAET TOSCANI & CASP. CVNRADI Elogia Maioragii in fugam vacui adicienda putavi, reliqua omnia tua esse nosti, haec etiam TIBI cedo. & quamquam in nonnullis abs TE dissentiam, omnia tamen intacta & immutata reliqui, nonnulla nunc TECUM communicaturus, quae TIBI haud ingrata fore, certe confido. Leue hoc est, & vix commemoratione dignum, CASPAREM CONRADVM ante Hanckium. d. xxvi. Oct. clo lxxiv. Maioragium natum esse, affirmare. Sed magis TIBI, credo, placebit, Virum Clarissimum, IOSEPHVM ANTONIVM SAXIVM, SS. Ambrosii & Caroli Oblatum, Collegio & Bibliothecae Ambrosianae Praefectum, in Prodomo de studiis literariis Mediolanensium antiquis & novis (Mediolani 1729. 8. publicato) singulari Capite Maioragii in Mediolanensem rem literariam & Transformatorum Academiam,
Saeo.

Saec. xvi. ibidem institutam, cuius ipse socius fuit, praeclara merita p. 131. seq. dilaudare. Accipe quaeso ipsa Doctissimi Saxii verba ad illustrandum Maioragium tuum mirum quantum facientia: Ineunte Saeculo XVI. *inquit*, altera clades literas bonasque artes afflixit. Cum enim bello fractus, abductusque in Gallias captivus fuisset Ludouicus Maria Sfortia, Dux Mediolanensis, studiis amica pacis tranquillitas concidit, diuturnisque odiis aemularum Nationum, quas Mediolanensis imperii cupido ad arma incitabat, conflictata haec Metropolis lugere debuit non tam direptas militari licentia, & victore alternatim pugnantium ferro, circumquaque regiones, sed magnam quoque librorum suppellectilem, in hisce vrbanis scriniis, Ticinique custoditam, veluti pretiosam Insubrum praedam ac spolia triumphalia, in regiam Gallorum urbem translata. Intepuere idcirco primum liberalium disciplinarum studia, dein obstinato feruente bello, destituta cultoribus, frigida adeo desidia contabuere, ut quemadmodum memoratus Dufresnius refert, non modo florens Vincii Academia prorsus exaruerit, verum etiam reliquae omnes ingenuae facultates in ignauum ocium

um

um negligentiamque declinauerint. Huius litterariae calamitatis acri se dolore percussus professus est M. Antonius Maioragius, qui circa medium seculi eiusdem in Patino latino gymnasio Eloquentiam profitebatur, nactusque Patronum impense studiis fauentem, Alphonsum nempe Daualum, Mediolanensis Prouinciae Moderatorem, impetrare ab eodem tentauit, ut ad pristinam gloriam literae in hac vrbe renascerentur, atque ideo orationem elucubrauit, cuius fragmentum superest in editis eiusdem operibus. In ea, postquam nobilem amplissimi huius viri indolem commendauit, qua non tam benigne fouebat studiis deditos in hac Metropoli, sed ex longinquis etiam regionibus peritissimos quosque vberimis propositis praemiis euocabat, ait, in spem venisse ciuitatis nostrae homines, ut optimarum artium studia superiori tempore bellorum tumultibus, & hostium incursionibus prostrata & inculta, ipsius auspicio restituerentur. Opportunum inde consilium eidem proponit, quo facile in hac vrbe, olim studiorum parente atque altrice, tunc litterarum inopia laborante, scientiae omnes reuiuiscerent, inquit, nullam tam necessario vrilique proposito implendo commodiorem

rem

rem viam aperiri posse, quam si publicam Mediolani Bibliothecam institueret, omnique librorum genere locupletaret; ita enim iuuentus, & viua praeceptorum voce, & praestantium auctorum scriptis edocta, in liberalibus quibusvis disciplinis celerrime profecisset. Quamuis tamen praeclarus ille orator neruos omnes facundiae intendisset, ut ad egregium perficiendum hoc opus Daualum incitaret, nihil euicit; siue publici aerarii obstaret tenuitas, siue curarum moles intentam muneri suo Principis mentem distraheret. Praeterea vero hoc inelytum decus, Ambrosianae conditori, Federico Borromeo Cardinali, & Archiepiscopo Mediolanensi reservabatur. Nihilominus etiam incassum decidente huiusmodi optimo intento de studiis nostris bene meriti Maioraggi, non defuit ciuibus ipsis litterariae gloriae amor, quo inuicem incitati enixe contenderunt, ut antiqua studiorum celebritas in hac vrbe, viuidius etiam refloresceret. Hinc instituta est Transformatorum Academia, cuius initia statuit ad annum MDXLVI. eruditissimus Curtius in opere Medicorum iam laudato,*) eiusque prae-

cla-

* p. 83.

claram mentionem pluribus facit Io. Marius Crescimbenius in Italicae Poeticæ historia. Huius Symbolum erat Platanus adiecto lem-
mate:

Et steriles Platani mallos gessere valentes.
Gemino ab inde anno elapso publicum et-
iam ingenii experimentum dedere, Italica
Epigrammata ab Academicis contexta euul-
gantes, in quibus vis decorque poeticae ar-
tis satis elucet, eaque inscripta voluere, ve-
luti studii sui primitias Caroli V. filio
Philippo, Principi Hispaniarum. Ex hoc
ipso libello colligimus, quinam fuerint pri-
mi huius literariae societatis cultores, vide-
licet Camillus Rhaudensis, Io. Franciscus
Castillionaeus, Andreas Gluffianus. M. An-
tonius Missalia, Caesar Regnius, Franci-
scus Mantegatius, Carolus Vicecomes, M.
Ant. Maioragius, Philippus Pirogallus, Facius
Galeranus, Io. Paulus Barza, & Octavianus
Arciboldus, singulari omnes tum sangui-
nis tum doctrinae merito per ea tempo-
ra commendati, dignique propterea ob
praestitum hoc litteris renascentibus bene-
ficium, ut perennem apud nos memoriam
consequantur. Nonnullorum ex hisce, me-
dica in arte praestantium, illustris mentio
habetur in historia Medicorum Mediola-
na-

nentiam patulo ante laudaci Bartholomaei
 Curtii. Verum, ut de hac Academia pleni-
 or habeatur noticia, id adnotandum pen-
 seo, tantam eiusdem subinde famam incre-
 buisse, ut ex equestri ordine Procures, Sa-
 crisque etiam infulis venerabiles Praefecti
 in illam adoptari certatim flagitarent. Tres
 legimus orationes pro huiusmodi Candida-
 tis a Maioragio exaratas, cum primum in
 Academiam Mediolanensem reciperentur;
 alteram pro Octaviano Rouera, Terracinae
 Episcopo; aliam pro Iohanne Stibio, S. P. M.
 Pontificis Maximi Commissario Decuma-
 no; postremam pro Hieronymo Croto, qui
 equestri Iudicum Collegio adscriptus, De-
 curionatum, & urbanam etiam praefecta-
 ram egregie gessit. Ubique Maioragius in
 praeclaras Academiae istius laudes effundi-
 tur, vocans eam nobilissimum Conuentum,
 lectissimorum hominum coetum, floren-
 tissimam congregationem; quin in imo de
 eiusdem instituto differens, cui se quoque
 connumeratum cum gloria refert, ad haec
 tria comparanda, tradit intenta fuisse exer-
 citamenta omnia illius confessus, ut nempe
 scienter intelligerent, polite eloquerentur,
 ac prudenter agerent, quae si consequi po-
 tuissent, tum demum id obtinuisse puta-
 bant,

bant, quod praecipue in votis erat, ut quantum homines bestiis praestant, tantum ipsi reliquorum hominum vulgo antecellerent. Tandem in exordio ultimae orationis profiteretur summa se laetitia ac voluptate captum, quod illa eruditissimorum hominum frequentia quotidie maximorum ingeniorum accessione fieret illustrior, pluresque alios esse praestantes viros intelligeret, qui in eundem coetum, in quo iam aderant florentissimorum ordinum lumina, admitti sollicitè postulerent. Quousque perduraverit tam nobile institutum, prorsus in tenebris latet; cum ferme nulla Historiarum Scriptoribus cura fuerit rei literariae, quae tamen pars magna publicae felicitatis ac regnorum est, incrementa & vicissitudines, in paginas suas referre.

Hactenus Cl. Saxius, ex cuius verbis quoque deprehendes, Maioragium huic Societati Transformatorum adscriptum fuisse, quod in eius vita commemorare oblitus es, Sed idem etiam ante Saxium observavit
CEL. IOANNES GOTTLIEB KRAVSIVS,
 Prof. Vitembergensis, amicus noster singularis, in Specimine Hist. Academiarum Eruditarum Italiae sub Iarkii nomine edito p. 18. vbi etiam iam commemoravit, carmina
 quae-

quaedam huius Societatis Eruſca hoc ritu-
 ſo proſtare? *Souneri degli Adorniti Trasfor-
 mazi di Milano, in Milano 1548. 8.* Inquire
 Igitur DOCTISSIME KOHLI, mihi enim
 ſi praefenti non licet, quae & quibz in hac
 collectioſe carmina e Maioragii ingenio
 profecta fuerint? Inquire Mierius, quid in
 BONIFACH VANNOCII Epift. Miscellaneis
 Italice ſcriptis atque Veneriis 1606. 4. edi-
 tis de Maioragio Tuo inueniatur. *O* Haec
 enim de ſcriptoribus Italis Gaſa, Iouio, Boc-
 cacio, Vrſino, *Maioragio* aliisque agere, Il-
 luſtris STRVVVS, de omniſi historia in-
 comparabiliter meritis, in introductione
 & notitiam rei literariae obſeruat. *) E-
 quidem non ignoro, me librum omnis TI-
 BI imponere, VIR CLARISSIME, ſed, miſe-
 hi crede, ipſemet hoc labore in Tui & Ma-
 ſoragii gratiam defuocatus eſſem, ſi vel
 Transformatorum Mediolanenſium carmi-
 na, vel Vannozii Epiftolas Miscellaneas, di-
 ligenter licet in noſtris Bibliothecis, publi-
 cis & priuatis quaeritas, inuenire mihi li-
 cuiffet. Sed progrediendum nunc eſt ad alias
 quasdam obſeruariunculas ſpeciales. Quod
 *) p. 772. edit. a Cl. COLERO.

p. 27. abs te exhibetur Epiraphium Maioragii, illud non solum eius iconi in Commentario Giceronis de partitione Oratoria supra recensito conspicuae addita fuit, sed etiam in NATH. CHYTRAEI Deliciis variorum in Europa itinerum p. 241. & in FRANCISCI SWERTII selectis christiani orbis Deliciis p. 189. legitur. P. 39. commemoras acerbissimam illam Maioragii cum Mario Nizolio agitatam controversiam, in qua enarranda quum accurate etiam versatus fuerit Cel. KRAVSIVS, in elaboratissimis suis ad PAVLI MANVTII Epistolas annotationibus p. 1065. sqq. optarem sane, ut hanc recensionem cum tua contulisses, idoneisque laudibus, uti pareres, ornasses. Nec tacenda plane fuissent ea, quae in *Schurfsteischianis* n. II. p. 12 habentur, iudicio eruditorum Italiae vicisse, & Nizolio Maioragium praelatum fuisse.

Quod ad recensionem scriptorum Maioragii attinet, magna industria abs te confectam: cum illa elenchus operum eius, cum editorum, tum edendorum & inchoatorum, uti post praefationem Maioragiani Commentarii in Ciceronis Dialogum de partitione Oratoria habetur, cum fructu coniungi poterit, cui si anni, formae & nomina

na eorum, qui editas excuderunt, adscripta fuissent, multum lucis tuo Catalogo affunderet. Innotuisse tibi eiusmodi Catalogum scriptorum Maioragii, Commentario eius in Rhetoricam Aristotelis praemisum, ex vita tua Maioragii p. 89. not. *2. apparet. At enim vero quum neque illas priores editiones Commentariorum in Aristotelis Rhetor. neque Commentarium in Ciceronis Dialogum de partitione Oratoria ad manus tibi fuisse, p. 80. & 83. ingenue fatearis: transcribam illum, uti in rarissimo Commentario in Dialogum Ciceronis, ex Amplissimi Senatus Lipsiensis Bibliotheca benevole mecum communicato, habetur, bona tua, ni fallor, pace, aliisque harum rerum amatoribus non inuitis. Ita autem se habet:

M. Antonii Maioragii operum Elenchus.
 Horum alia edita, alia edenda: alia inchoata sunt.

Edita.

Panegyricus, Mediolani in templo maximo habitus, quo die Dominus Angelus Arcimboldus Mediolani Archiepiscopus creatus est.

Oratio super memorabili quodam facto Ferrandi Gonzagae.

) (3

Ora-

XVIII AD EDITOREM EPISTOLA

- Oratio, habita in vrbis sapientissimi Iacobi
Philippi Sacchi, Senatus Mediolanensis Praefidis.*
- Oratio, scripta nomine iurisperiti, qui petit, ut in
Collegium iurisconsult. Mediol. cooptetur.*
- Oratio, pro Octauiano Rouerta, Tarracinae Episco-
po, dum in Academiam Mediolanensem recipere-
tur.*
- Oratio, pro Ioan. Sibio, Pontificis Max. commissa-
rio decumano, dum in Academ. Mediol. recipere-
retur.*
- Oratio pro Hieronymo Crotto, iurisconsulto; dum
in Academ. Mediol. reciperetur.*
- Laudatio Magdalenae Comitissae matris suae mortuae
Luti encomium.*
- Oratio de mutatione nominis.*
- Oratio in Aleatores, pro decreto Alphonfi Dauali, &
Senatus Mediolanensis.*
- Oratio aduersus eos, qui ornandae orationis studium
& dicendi elegantiam vituperant.*
- Oratio de contemnendis obretractatoribus, ad Media-
lanenses.*
- Oratio de vitae atque morum disciplina.*
- Oratio de Parentum in arudiendis liberis, atque A-
dolescentium in studiis optimarum artium, officio,
ad Mediolanenses ciues.*
- Oratio de modo proficendi in eloquentia, atque in
studiis bonarum artium.*
- Oratio de audiendi ratione ad Mediolanenses iuue-
nes.*
- Oratio ad Auditores suos, cum Mediolano discessurus
esset.*

Ora-

Oratio de praestantia litterarum, quam habuit ad Senatum Mediolanensem, quo tempore publice docere coepit.

Oratio de Grammaticae artis excellentia ad Senatuum populumque Mediolan.

Oratio de varietate.

Oratio de amore, quam habuit, cum quartum Aeneidos Virgilio librum esset interpretaturus.

Oratio de Musica.

Oratio de Arte Poetica.

De Bibliotheca publica Mediolani instituenda, & omni genere librorum instruenda, ad Alfonso Daulum, oratio imperfecta.

Praefatio de Agriculturae laudibus in Virgilio Georganica.

Praefatio in M. Tullii Cic. Topica.

Praefatio in eiusdem libros de officiis.

Praefatio in Homeri Iliadem.

Praefatio in eiusdem Odyssaeam.

Praefatio in Hesiodum.

Praefatio in Pindarum.

Praefatio in Demosthenem.

Praefatio in Aristotelis de arte rhetorica libros tres.

Praefatio in P. Virgilio librum quartum Aeneidos.

Praefatio in M. Tullii Cic. oratorem ad M. Brutum.

Antiparadoxon libri sex, in quibus M. Tullii Ciceronis omnia paradoxa refelluntur.

Deiisiones 25. quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Coelii Calcagnini criminationibus liberat.

Apologia in Marium Nizolium Brixellensem.

Reprehensionum contra eundem lib. 2.

*Recusatio omnium eorum, quae idem in decisionibus
ipsum Maior agit tanquam male posita notavit.*

De Senatu Romano libellus.

Epistolarum quaestionum libri duo.

*Commentarius in M. Tullii Ciceronis oratorem ad
M. Brutum.*

Paraphrasis in quatuor Aristotelis libros de Caelo.

*Paraphrasis in duas eiusdem libros de generatione
& interitu.*

*Explanationes in tres eiusdem libros de arte Rhetorica,
quos ipse latinos fecit.*

*Commentarius in Dialogum de partitione oratoria
M. Tullii Ciceronis.*

*Commentarius in eiusdem de oratore, ad Q. fratrem
librum primum.*

Dialogus de eloquentia.

Edenda.

Oratio in literas.

Apologia in Gaudentium Merulam Nouariensem.

Oratio de laudibus auri, sive Philochrysus.

Epistolarum liber.

Carminum liber.

*Commentarius in Virgilio Georgicon libros duas
prioris.*

*Commentarius in Horatii librum de Arte Poetica ad
Pisonem.*

Inchoata quamplurima, sed de quibus nos
comperti aliquid habuimus, haec sunt. I.

*De Nominibus propriis veterum Romanorum libri
quatuor.*

De risu oratoris & Verborum libro duo.

De Iuda litterariis institutis liber.

De

De officio Parentum & filiorum liber.

De modo proficiendi in studiis bonarum artium liber.

Symposiacon ad Plutarchi imitationem libri decem.

Commentarius in Virgilii Aeneidos librum quartum.

Commentarius in Ciceronis libros tres de officiis.

Explicationes in eiusdem paradoxa.

Conuersa ex Graecis multa, quae a quibusdam
imperitis dispersa ac dissipata fuerunt,
nominatim autem haec.

Isocratis Archidamus.

Platonis Gorgias.

(vras

Aeschinis, Demosthenis quae orationes inter se contra

Aeliani de varia historia libri.

Hermogenis ars Rhetorica.

Heranis Isagogae rerum Geometricarum.

Nicomachi Geraseni Arithmeticae institutionis libri.

Atque ex hoc Elencho inter alia clare patet, Maioragii libellum de Senatu Romano typis omnino excusum esse, de quo p. 95. dubitare videris. Vt vero TIBI, VIR DOCTISSIME, scrupulus eximatur omnis: monendum esse duco, hunc libellum non tantum in Bibliotheca Oporiniana p. 208. sed etiam in Bibliotheca Heiniana p. 149. fuisse. Mentionem etiam eius facit incomparabilis Germaniae Polyhistor, IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, in Bibliographia Antiquaria p. 491. sed erratum operarum incuria irrepsit, & pro anno 1516 legendus est annus 1561. Recte etiam obseruasti

p. 80. hunc Commentarium 1587. 4. prodidisse. His adicio typographum Franc. Franciscium Senensem & editorem Petrum Ayroldum Marcellinum fuisse. In huius & Maioragii laudem haec scripsit Bernardinus Parthenius Spilimbergius:

*Quod vivit, quod adhuc vocatus imis,
Spirat Manibus, integerque coctus
Inter disputat eruditiorum,
Quod doctis manibus venustiorum
Et noctu teritur, dieque doctus
Maioragius, hoc tui laboris,
Tui hoc muneris est Sororum Alumne,
Et Graiae, & Latiae decus camenae
Marcelline. Ideo tibi supremas
Grates pallida turba doctiorum,
Et flagrans studiis vigil Iuventus
Agit, tam nitide aureo a libello
Fugatis tenebris tenebricosis,
At quantum tibi Olympici Italorum
Splendor maximus, in chytum decusque
Pro illustri, & memori dicatione
Debent? Quibus est amor virorum
Facta perpetuis beare chartis
Musae dicite. At interim futuras
Vna cum Dominis tuis Libelle
Vince Olympiadas sacer, novusque,
Cur phoenix reparabilis iuventa,
Vtue millia multa seculorum.*

De-

Dedicavit hunc librum editor Pompeio Trisino Principi atque omnibus aliis Academicis Olympicis, & tam ex dedicatione quam ex praefatione apparet, hanc secundam esse huius commentarii editionem. Ita autem in dedicatione Ayroldus: Venio nunc ad id, *inquit*, cuius causa haec omnis suscepta est oratio; hoc est, ad doctissimum M. Antonii Maioragii, viri eloquentissimi atque eruditissimi, in Marc. Tullii Ciceronis Partitiones oratorias, Commentarium: quod nunc emendatius, quam prius, editum, & celeberrimae Academiae vestrae donatum dicatumue, iucundissimum vobis fore confidebam; sperabamque, illud magnum splendorem a vestri nominis claritate ac fama accepturum. Neque vero me latebat, multos in hoc Ciceronis libro explicando laborasse; neminem tamen felicitus, dilucidiusque, quod in tali, ut solet, requiri, tentasse, & affectum esse; tantumque abesse, ut alii lucem rebus attulerint, ut tenebras potius offuderint. Vidit Maioragius meus, ut acri est ingenio, Academici clarissimi; quae duae res olim coniunctissimae erant, & seiungi non poterant, eas hominum inertia, & laboris vitiatione esse disiunctas. Rerum enim
scien-

scientiam, & dicendi facultatem prisca, qui
 in studiis istis excelluerunt, diligentissime
 persecuti sunt. Qui enim fieri potuisset,
 ut, quae a valde bonis auctoribus perite scri-
 pta sunt, a nobis intelligerentur: nisi eam lu-
 cem rebus interpretis oratio, quam debet,
 attulisset? Vidit praeterea, quod, cum omnes
 disciplinae, & artes liberales constant per-
 ceptione rerum, quae verbis significantur,
 & dicendi ratione rerum comprehensio, sic-
 ut corpus ab animo sine interitu, seiungi non
 potest. Etenim si res subtraxeris, quid sunt
 verba? rursus quid de rebus laboras, si verba
 sustuleris? Eandem omnino rationem se-
 quuntur dicendi facultas, & intelligendi sci-
 entia: diuersae illae quidem, sed sic coniun-
 ctae, ut neque apte dicere possit, qui nihil
 sciat, neque multa scire videatur, qui de
 nulla re possit dicere. Quamobrem, sem-
 per Maioragius cum summa rerum peritia
 eloquentiam coniunxit: cumque esset re-
 rum scientissimus, & eloquentissimus; Me-
 diolanensium gymnasia ornauit, ciuitatem
 beauit, inclinantem eloquentiam erexit.
 Adeo, ut ad eum audiendum vndique popu-
 li ac nationes confluerent. Huius ego li-
 bros ad moralem, naturalemque philoso-
 phiam tum multo magis ad bene dicendi,
 dis-

differendique rationem, & caeteras artes
 liberales spectantes, saepe quasi de Platonis,
 Aristotelis, & M. Tullii ludo prodissent;
 perlegi. Et certe ex huius hominis inge-
 nio, & eruditione facile intelligi potest; qui
 sit in literis optimus sensus, quae ratio stu-
 diorum, quae denique vera & absoluta elo-
 quentia. Nulli enim auctores ab eo lau-
 dantur, qui parum, & castum dicendi ge-
 nus non sequantur. Quod cum passim
 omnes ex eius doctissimis scriptis intelli-
 gant, tum id luce clarius ex hoc in M. Tullii
 partitiones oratorias Commentario, cogno-
 scere possunt. In quo quidem conscriben-
 do, quod meditatione, quod industria, quod
 labore, quod diligentia consequi potuit, to-
 tum id (ut ego quidem scario) praestitit.
 Quod quidem Commentarium, vobis, Aca-
 demici nobilissimi, dono datum, si vestro
 iudicio, vestraque approbatione, quod
 vehementissime cupio; nonnullam in-
 genii laudem consecutum fuerit; non ad-
 modum aliorum iudicia, si adhuc viueret,
 Maioribus curaret. Notum est enim non
 solum Italiae, sed etiam exteris nationibus,
 omnes praecclaras artes ac disciplinas, in
 summo honore ac pretio apud vos esse;
 praeterea flores Academiam vestram Olympi-
 picam

picam excellentissimis hominum ingeniis, qui de qualibet re proposita maturum & prudentissimum iudicium ferre possint. Sit igitur hic liber, qui me tacente apud omnes loquetur, aeternum monumentum; unde homines, quid de vobis Academici nobilissimi, senserim, quid iudicauerim, intelligant: cum praesertim a sapientissimis atque eruditissimis hominibus iam olim pronuntiatum sit; in arduis, atque difficilibus rebus, etiam voluntatem solam sufficere &c.

Tota autem Ayroldi praefatio ita se habet: En vobis, Candidissimi Lectores, tantopore desideratum, & ab omnibus expectatum M. Antonii Maioragii doctissimum in M. Tullii Ciceronis Partitiones Commentarium, longe emendatius, quam prius, editum; auctum, locupletatum, & in novam prorsus faciem, nimirum propriam & suam, novissime ex auctoris manuscripto mutatum; additis plurimis, ac propemodum infinitis, quae ab omnibus pro faciliore, ac meliori rerum & verborum intelligentia desiderabantur. Totius autem emendationis rationem, quidque superiori accesserit editioni, statim unusquisque vel mediocriter eruditus comprehendere poterit. Plurima enim grauisimarum rerum praecepta addi-

addita sunt, ad commonstrandum, declarandumque libri artificium, ad stilum efformandum, mores oratoris, exprimendos, componendos, & ad veram absolutamque eloquentiam spectantia. Si vos diligentiam, studium, & operam, aequi bonique facere intellexero; sedulo etiam curabo, ut reliqua, quae adhuc restant, eiusdem auctoris venustissima, & politissima scripta in publicum prodeant. Interim, quemadmodum apud Virgilium mirabili cupiditate ac laetitia, intueretur coelo demissum clypeum Aeneas, & argumentum in eo coelatum diligenter considerat, cum quidem eum non modo operis varietas, sed etiam illa rerum futurarum praesagia, & commovent, & detinent, denique

Expleri nequit, atque oculos per singula
voluit

Miraturque, interque manus & brachis,
versat.

ita & vos nulla unquam satietas, aut legendi fastidium M. Tullii Partitiones oratorias capiat: quae tanquam thesauri quidam sunt, in quibus omnia artis praecepta, & ad omne causarum genus probandum argumenta, quaeque singulis in constitutionibus animaduertenda reponuntur & in Maioragium

um meum assidue oculos defigite, omnes locos diligentissime excutite, documenta pluribus exemplis confirmata vobis ita familiaria facite; ut quoties aliqua de re, vel deliberare, vel accusare & defendere, vel demonstrare & exornare volueritis, in mentem vobis illa doctissima, grauissimaque artis praecepta veniant. Licet enim studia bonarum artium difficilia quidem sint, tantam tamen secum annexam vtilitatem, atque honestatem habent, ut omnem difficultatem spernere debeatis. Valete.

Habe ergo, AMICE OPTIME, paulo fusiolem notitiam Maioragiani Commentarii in Ciceronis Dialogum de partitione oratoria. Nunc etiam quaedam editiones aliorum Maioragii opusculorum Catalogo tuo addendae sunt. Ad p. 55. obseruandum est, Maioragii Decisiones xxv contra Coelium Calcagninum Lugduni 1544. 8. apud Sebast. Gryphium prodiisse. P. 61. notandum, Antiparadoxon Libros VI. 1546. 8. apud eundem Gryphium excusos esse. Quae editiones Orationum Maioragii abs TE p. 86. non recensitae fuerunt: hae fere sunt: 1) Lipsiensis anno 1593. studio & opera Dan. Caesaris impressa, altera anno 1600. ter-

AD EDITOREM EPISTOLA XXIX

tia an. 1621. & quarta an. 1651. impressa. Eadem quoque prodierunt Monasterii 1599. & praeter Coloniensem de anno 1614. ab TE adductam, ibidem etiam 1619, 1649, 1676. eadem Orationes lucem viderunt, ut taceam varias Maioragii orationes nonnullis collectionibus inditas esse e. g. encomium Iulii in *Casp. Bornani* Amphitheatro sapientiae Iocoseriae p. 173. haberi, vbi tamen Maioragius noster perperam *Ioann. B.* vocatur.

Atque haec sunt illa, VIR CLARISSIME, quae ad TE cum de libro TVO, tum de vita & scriptis Maioragii, perscribere volui. Neque dubito, quin omnia eo, quoa me profecta sunt animo, accepturus, & qualemcunque hanc meam TIBI inserendi voluntatem aequi bonique sis consulturus. Quod reliquum est, de republica litteraria bene mereri, meque, quod facis, amare perge. Scribebam Lipsiae nundinis vernalibus A. R. U. cl. lccc xxxi.

Syllabus contentorum:

- Praefatio Editoris de vita scriptisque Maior agit* 1-96
- Epistolarum Quaestionum Lib. I.* 101
- Epistola I. Quod apud antiquos eadem fuerit lyra cum cithara* 1
- II. Quid rivitas vocentur, quid urbis contineatur, & quae sit utriusque vera definitio* 12
- III. Unde Senatus dicatur, & de ordine Senatorio quaedam* 18
- IV. Iniuste accusatum Cicero a Rutilio super familia Papyriorum & Ciceronis locus illustratus* 20
- V. Interpretatus Virgilii versus per sensum & exteriorum & interiorum distinctionem* 24
- VI. De Polycleto statuaria & Polygnote pictore, deque verbis fingendi & pingendi quaedam* 29
- VII. Declaratur Virgilii locus in Aeneidico & his poematum loco Servius notatus* 35
- VIII. Declaratus Ciceronis & Vulpiani locus contra Budaei sententiam & de censu ac censendi ratione* 40
- IX.

SYLLABVS CONTENTORYM

X. Explicata breuiter accentuum ratio ex Cicero-
 & Quintilian sententia 46

XI. Iudicandi artem, ordine naturae priorem esse in-
 ueniendi atque ad usum potioram contra Cice-
 ron's sententiam 53

XI. Cur apud Latinos unanimes amici vocentur? 61

XII. An homines a Deis vel daemonibus gigni pos-
 sent? 64

XIII. An mortui remiscantur & an sciant ea quae
 hic aguntur? 68

XIV. An odor corpori nostro possit, nuntium al-
 quod praebere? 74

XV. Notatur error Seruii. Post aethiopicam etiam Tra-
 gicos dici posse. Cur Virgilius omnes fere libros
 suos alicuius morte concludat. 77

XVI. Cur amantes dicantur esse saucii & cur amor
 cupido dicatur. 82

XVII. De sanguine & venis & affectionibus quas-
 dam. declaratur Virgilio locus. cur amantes pal-
 leant, & de spiritu per uenas diffuso 84

XVIII. Unde lacrymae nascantur & cur ex omni-
 bus solus homo lacrymet 88

X)(X) 2

XIX.

SYLLABVS CONTENTORVM

XIX. De sepulchris & sepelionis religione quomodo
explicata. 94

XX. Aeneam nullo modo cum Dido rem habuisse,
cum amittit trecentis atque amplius annis
fuerit antiquior. 98

LIB. II.

XXI. Quomodo propriorum nominum formas distinguantur
contra Grammaticorum sententiam. 102

II. Qua de causa qui vehementer laudantur in cogitatione
ferri aut excoli dicuntur. 118

III. Quid sit pudorem saluere & ibidem de pudore
quidam disputata. 121

IV. Quem morem aut quas caerimontas Romani veteres
in sacrificando seruarent. 125

V. Cur amantes furere dicantur, cur amor in madullis
haerere, & ibidem de medullis multa tractata. 130

VI. Declaratur Virgilius laeus, quid phantasia sit,
qualis in hominibus & belluis & alia quaedam
ad idem pertinentia. 137

VII. Quomodo distinguantur casus, fortuna, facta. 147

SYLLABVS CONTENTORVM

tum, providentia, & quae sunt eis subiecta & quomodo per eas res humanas regantur 143

VIII. Cur Virgilius Iunonem inducat pluviam, & grandinae & tonitrua concitantem & unde reuera fiant ea; quae Iuvoni Virgilius attribuit 151

IX. Notatur error Senui. cur canes sagaciter odorantur, cur odores nominibus propriis non distincti sint. quot modis aliqua res inodora dicatur, unde odores ad nares veniant, quid odor sit, cur ex odore magnam homo voluptatem capiat 159

X. Cur in montibus magna sit aquarum copia, cur amnes, lacus, fontes in montibus potissimum orientur, cur Homerus a Ioue fluentes voces amnes & cur sacri dicantur 163

XI. Epistolam omne dicendi genus admittere hoc est, & sublime & temperatum & humile. quae verba dici debeant usitata, in epistolis licere graecis uti verbis, quinam Ciceronianus dici debeat, quasdam ex Demosthene carmina interpretari 169

XII. Quomodo a Grammatico atque a Philosopho distinguitur orator, & quid inter oratorem, Rhetorem & declamatorem intersit 174

X)(X) 3

Olai

SYLLABVS. CONTENTORYM


<i>Olai Rudbeckii epistola ad Ioannem Heuelium</i>	179
<i>Io. Petr. Titii ad eunam</i>	180
<i>Ioannis Schefferi - ad Nicol. Heinsum Daniel.</i>	181
<i>fil.</i>	181
<i>Erasmi Bartholini - ad Ioannem Heuelium</i>	184
<i>Georg Casp. Kiribmayeri ad eundem</i>	187
<i>Gethofred. Guil. Leibnizii ad eundem</i>	189
<i>Iob. Georg. Graevii Epistola ad Regem Galliarum</i>	190
<i>ad Electorem Palatinum</i>	192
<i>ad eundem</i>	194
<i>ad Carolum Sancti-mansum,</i>	
<i>Ducem Montanensium</i>	196
<i>ad Ezech. Spaubemium</i>	198
<i>ad Petr. Dan. Huetium</i>	200
<i>ad Iacobum Gronovium</i>	205
<i>ad Petrum Petium</i>	207
<i>ad Claudium Nicasum</i>	208
<i>ad Ioannem Hardannum</i>	211
<i>ad Theodorum Cranen</i>	213
<i>ad Theodor. Ianson. ab Almel-</i>	
<i>ueen</i>	214
<i>ad d'Heer Peters, requestmeester</i>	
<i>van de Koning van Englandt.</i>	215
<i>ad Gisbertum Cuperum</i>	216
<i>ad Iob, Ciampinum</i>	219
<i>ad Antonium Magliabecki</i>	221
<i>ad Ewaldum Rulacum</i>	224
<i>ad Dankelmannum</i>	226
<i>ad Nicolaum Witsen</i>	228
	Iob.

SYLLABVS CONTENTORVM

<i>Iob. Georg. Gramm. Epistola ad Regem Galliarum</i>	231
<i>ad Cardin. Sancta Maurum, Du-</i>	
<i>cem Montauserium</i>	233
<i>ad Electorem Brandenburgicum</i>	234
<i>ad Dankelmannum</i>	237
<i>ad videntem</i>	238
<i>ad Gilbert. Cuperum</i>	238
<i>ad Dankelmannum</i>	242
<i>ad Henricum Cocceium</i>	ibid.
<i>ad Ioannem de Wit</i>	248
<i>ad Dankelmannum</i>	249
<i>ad unum ex Dankelmannis</i>	253
<i>ad Carolum Sancta Maurum, Du-</i>	
<i>cem Montauserium</i>	254
<i>ad Gilbertum Salisburiensem Epi-</i>	
<i>scopum</i>	255
<i>ad Charol. Martia de Felice</i>	257
<i>ad Ducem Montauserium</i>	258
<i>ad Gilbertum Cuperum</i>	260
<i>ad Duce[m] Montauserianu[m]</i>	270
<i>ad Eberhardum Dankelmannum</i>	271
<i>ad Aegid. Menagium</i>	272
<i>ad Dan. Haetium</i>	274
<i>ad D. N. Mandelsloo</i>	275
<i>Maigoragii Epistola ad Franciscum Sfondratum</i>	278
<i>ad Coelium Calcagninum</i>	280
<i>ad Eridericum Adduensem</i>	283
	Ma.

SYLLABVS CONTENTORVM

<i>Maioresii Epistola ad Iuani. Ambrosium Catenagi-</i>	287
<i>um</i>	
<i>ad Franciscum Cicerinum</i>	290
<i>ad eundem</i>	292
<i>ad eundem</i>	294
<i>ad eundem</i>	295
<i>ad eundem</i>	296
<i>Marii Nizolii Epistola ad Maioragium</i>	297
<i>M. Ant. Maioragii Apologia in Gaudentium Meru-</i>	
<i>lam, qua declarat a se minime relegatum esse Ci-</i>	
<i>ceronem ac Terentium, quemadmodum ille fin-</i>	
<i>xerat quodam in dialogo, & centum atque am-</i>	
<i>plius eius errores notat contra usitatam Ciceronis</i>	
<i>ac Terentio locutionem.</i>	



PRAE-



PRAEFATIO AD LECTOREM
DE
VITA SCRIPTISQUE
MAIORAGII.

Rem facerem, amice Lector, ab hoc loco fortasse alienam, superuacaneam certe, si, quae tuis hic oculis subiiciuntur, deliciae Epistolicae, pluribus nunc ego verbis ambitiose commendarem. Tanta enim scriptorum omnium, a Majoragii ingenio profectorum, amoenitas, tanta pulchritudo est, ut nulla cuiusquam laudatione, nullo praeconio plane indigere videantur. Non dimittendam potius oblatam hanc nobis occasionem esse putamus, elegantissimi huius, suoque tempore eloquentissimi ac facundissimi scriptoris, vitam aequae ac relictæ ingenii monumenta, non penitus obscura licet, minus tamen quam oportebat in vulgus cognita *1) ac celebrata paulo

*1) Non iniuria idecirco celeberrimus Petrus Burmannus in praefat. ad epistolas Gudii aliorumque celeberrimorum virorum superiori seculo Lugduni in 4. editas, conqueritur: Quotusquisque horum (scil.

lo plenius dilucidiusque, quam alii ante nos scriptores, e. g. Baelius *1), Morerius *2), Hoffmannus, *3), Teiffierius, *4) Ghilinus, *5) Pignellius, *6) Gaddius, *7) Imperialis. *8) alii que fecisse videntur, *9) exponere. Scripturae itaque Maioragii, quotquot in tanta eorum raritate nancisci poteram, fideliter perclustratis, quae-

cun-

Alciati, Maioragii aliorum) non dicam scripta & in literas merita, nomina vnequam fando audiunt? :

- *1) In dictionario Gallice conscripto recentissimae, quam clarissimus Des. Maizeaux procuravit edit. Tom. III. tit. Maioragius.
- *2) In Dictionaire historique &c. lit. M.
- *3) In Lexico suo satis noto latine conscripto lit. M. T. III.
- *4) Dans eloges des hommes sçavans. Tom. I. & III.
- *5) In lib. Italice conscripto cuius tit. Teatro dei huomini letterati, in 4.
- *6) In lib. aequae Italico Ateneo dei letterati Milanensî inscripto in 4.
- *7) In Scriptoribus non Ecclesiasticis Tom. II. lit. M. edit. in fol.
- *8) In Musæo suo: vbi & effigiem Maioragii aere adumbratam vides.
- *9) Hi quidem omnes Maioragii vitam scriptaque persequuntur, sed tam succincte ac imperfecte, vt vix assentiri possim celeberrimo Burmanno c. I. sic scribenti: De Alciato, Maioragio, Nizolio, Parrasio aliisque, qui plurimis scriptis & doctrinae monumentis longae obliuionis nebulas perruperunt, & perpetua doctorum virorum commendatione mentibus studiosorum infederunt, dicere nil attinet, cum eorum nomina satis ab interitu vindicata sint,

cunq̄ue ad eius vitam, ingenii monumenta, ceteraque rationes pertinere videbantur, hinc inde conquisita diligenter notavi, idque dedi operam in primis, vt conciliandae maioris fidei, maiorisque iucunditatis gratia, non meis ego sed auctoris ipsius verbis singula, quantum eius fieri posset, rerum momenta enarrarem.

Quo tempore quoue loco natus sit Marcus Antonius Maioragius, dubitationem habere videtur, cum ipse nullam eius rei, quod sciamus, fecerit mentionem. Hanckio *1) tamen & Morerio auctoribus, anno post reparatam hominum salutem, millesimo quingentesimo decimo quarto in agri Mediolanensis vico quodam, Maioraggio cognomine in lucem susceptus est. *2) Patrem habuit Iulianum cognomine *3) virum cum innocentia, atque integritate vitae, tum officio, fide, auctoritate pulli in suo municipio secundum, qui cum Maioragiam vicum incoleret, atque ita se committere ac liberaliter gereret, vt omnibus carus & iucundus esset, cognomen a loco fortitus est, & Maioragius appellatus. Mater illi fuit Magdalena,

a 2

ex

*1) In libro de rerum Roman. Scriptor. lib. I. C. LIII. p. 215. vbi & diem natiuitatis addit diem 26. Octobris.

*2) Falsum est, quod in Lexico suo Tom. III. p. 22. tradit, a castro cognomine dictum esse: cum vicus a patre illi relictus nomen indiderit. Falsum quoque est quod Morerius scribit: Maioragius étoit natif d'un chateau de ce nom.

*3) Vid. Maiorag. orat. X. p. 290. edit. de anno 1606. quae Lipsiae in 8. prodit.

ex antiqua nobilissima Comitum gente procreata. Praeterquam enim, quod ab Amphortio, Desiderii, Longobardorum regis, sororis filio, generis sui auctore, originem repeteret : maioribus ac propinquis iactare se poterat sago togaque multo illusterrimis. Habuit enim, ut Aloysium, patris ipsius consobrinum, qui saepe in exercitibus gloriose turmas duxit *1) caeterosque plures taceam, quinque fratres, omnes quidem eximios & praestanti virtute praeditos, sed duos praecipue, Petrum & Iacobum, viros eruditissimos atque in omni literarum genere plurimum ac diu exercitatores. *2) Ab his ortus maioribus Maioragius noster, quid mirum, si in puerili iam ac tenerrima aetate magnam de se expectationem concitavit, inque spem certam omnes induxit, futurum, ut admirabilis aliquando, summaeque existimationis vir evaderet. Hac praeclara pueri indole parentes magis excitati, nihil quod ad animum eius optimis ac praestantissimis disciplinis imbuendum pertineret, omittendum rati, homines non beatissimi, doctissimis eum praeceptoribus erudiendum tradiderunt *3) Idem quod ad domesticam disciplinam attinet, nihil in se desiderari passi sunt. Mater in primis omni in id studio ferebatur, *4) ut eum religiose quotidie institueret, amanter optimis moribus erudiret, ardentem ad

*1) Vid. Maiorag. Orat. IIX. p. 136.

*2) Ibid. p. 135.

*3) Vid. Orat. X. p. 191.

*4) Vid. Orat. VIII. p. 133.

ad optimas artes excitaret, liberaliterque educaret. Hinc modo adhortando corrigere, modo laudando calcar addere, modo exempla clarissimorum viro-
rum, in primis avunculi ipsius, Petri Comitis *1) quibus oculos ponendo ad virtutem artiumque ingenuarum studia incendere solebat. Quae matris in educando filio cura tantam vim habuit ad animum eius virtutis scientiaeque exornandum, ut eam longe acriores stimulos addidisse ad discendum ipse fateatur, quam omnes omnium praeceptorum, (quos plures tamen, eosque perquam eruditos habere, ei contigit,) admonitiones & adhortationes *2). Erat autem in puero praeter docilitatem quandam mirificam, diligentiamque non vulgarem valde propensus ad literas animus idemque ad virtutis sectandae studium vehementer excitatus. Quo fiebat, ut naturam ille ducem secutus, quaecumque faceret, omnia fugiendae turpitudinis & honestatis adipiscendae causa sibi facienda esse statueret, ut non otio sed labori, non libidini sed industriae, non inertiae, sed ingenuis artibus se natum existimaret. Sic enim ipse de se aliquo loco *3): stu-

a 3

dui

*1) Hic per multos annos Mediolani summa cum gloria bonas literas & artem oratoriam publice docuit. Et pro eo, quo in sermonis latini elegantiam & candorem studio ferebatur, politiores literas, prope iam temporum iniuria amissas, restituit; ad veterum scriptorum imitationem eloquentiaeque gloriam Mediolanensem iuventutem excitavit. vid. Orat. VIII. p. 135.

*2) Vid. Orat. M. VIII. p. 143.

*3) Vid. Orat. III. p. 225.

dui id vnum, inquit, semper ab ineunte adolescentia, summo studio conatus sum, vt nihil unquam aggredi tentarem, quod aliquo modo turpe ac indecorum videretur. Praeclari ipsius & ad summa nati animi etiam hoc indicium est, quod cum tanta, in pueritia ipsa, praeditus esset sagacitate, vt sollicitam aliorum disciplinam non vehementer desiderare, sed ipse iam vitae suae modum habere posse videretur: parentum tamen suorum monita nunquam despexit, sed summa semper animi cum obseruantia summaque obedientia profecutus est. Imo vero totum, quod vixit vitae spatium, adversus parentum voluntatem ac nutum non modo quidquam non fecit, sed ne facere quidem tentavit. Quos ita diligenter observavit, vt parentes decet: ita amavit, vt eos, qui, licet in tenuissima re familiari versarentur, nulli tamen vnquam sumtui pepercerunt, vt bonis eum in artibus atque disciplinis eruditum videre possent: ita cum illis consilia sua omnia communiabat, vt ne latum quidem, quod aiunt, vnguem ab eorum, patris in primis, sententia sibi discedendum putaret.*1) Cuius quidem pietatis suae non in adulta tantum sed & puerili iam aetate fructus copiose tulit. Adspirante enim diuina numinis gratia, breui tempore tantum in humanarum artium studiis profecit, vt tam celerem illius tamque inopinatum in literis progressum, nemo non admiraretur, nec sine causa mater speraret, futurum vt intra breve temporis spatium,

*1) Vid. Maior. Orat. VIII. p. 143.

spatium, frater ipsius iam dudum defunctus in eo remanserit. Ac nisi casus quidam minime opportunus mirabiles eius ad eruditionem impetus retardasset; adhuc puer & adolescentulus potuisse videtur cum doctissimo quoque viro de ingeni doctrinaeque & in primis eloquentiae principata contendere. Sed enim temporum iniuria, quae diu maxime perturbata ac tumultuosa fuerunt, effectum est, ut per annos amplius octo, tametsi literarum esset cupidissimus, nihil tamen in eis operae, nihil studii ponere liceret. *1) Vnde in illa, qua matri suae, foeminarum optima, parentavit, oratione *2) sic conqueritur: „Quod nisi postea tam turbulenta tempora subsecuta fuissent: fortasse multo magis in bonis literis; quam hactenus feci, proficere potuissem. *3) Tanta enim eo tempore belli vis ac iniuria familiam eius totam invaserat, ut, hostium impetu longe lateque vastatis agris omnibus, depopulata regione, direpta domo, parentes aequae ac liberi, rebus omnibus, ad usum vitae necessariis spoliati, sese in montes sylvasque abdere cogerentur; istisque haberent, si fama inediaque consumti non perirent, praedaeque fierent hostibus. Quorum tamen furorem parens non effugit, qui quidem captus ac spoliatus pecunia, in vincula coniectus est; In quibus mo-

a 4

rien-

*1) Vid. Orat. X. p. 191.

*2) Quae in collectione orat. eius in ordine est octava, sicque inscribitur: Magdalenae Comitissae matris suae mortuae laudatio.

*3) In Orat. VIII. p. 143.

riendum illi fortasse fuisset, nisi clanculum custodia elapsus sese liberasset. *1) Posthaec sedata paululum belli tempestate, ac quiete musis reddita; Mediolanum noster reliquit, seque ad consobrinum suum, Petrum Comitam, a quo liberaliter erat imitatus, Novocomum, Romanorum coloniam recepit. Cum enim publico humaniorum literarum doctoris munere ibi fungeretur, summoque cum plausu iuventutem undiquaque ad eum confluentem doceret: commodissimam sibi hanc occasionem putavit, studiis obsequendi suis, ac tot annorum, in otio paene traductorum iacturam farciendi. Laeto igitur animo huc profectus, cum aliquod tempus Primo dedisset, qui, cum studiose, tum peramanter eum erudire contendebat, & ipsius praeceptoris iudicio tantum iam in literis profecisset, ut Latinos & Graecos auctores non tantum per se ipsum intelligere, sed aliis etiam interpretari cum laude posset: *2) Mediolanum, antiquam maiorum suorum patriam & civitatem repetiit, vivente adhuc Francisco Sfortia, Mediolanensium Duce ac Principe. Vix eo peruenerat, cum eum, in urbe adhuc ignotum, Fanniana domus excepit, tantaque in eum liberalitate longo tempore usa est, ut huic se Lancillotto Fanniano, viro, summa virtute, fide, religione praedito non minus quam

*1) Vid. Orat. eandem. p. 144: & seq. Quam calamitosus, ibi queritur, quam infelix, quam ater ille nobis dies fuit! quam ipsa etiam cogitatione horribilis! &c.

*2) In Orat. X. p. 191.

quam parenti se debere palam fateatur. *1) Apud hunc annos circiter quinque versatus ad litterarum studia tam vehementer incubuit, ut in toto illo quinqueennio nullum sibi tempus a labore studiisque vacuum reliquerit. Nec ille honestam tantum animi recreationem, remissionemque aequalium studia ludos, conuiuia semper fugiebat, sed & cum maximo valetudinis suae detrimento, necessarium saepe corpori somnum denegabat, *2) ut coactus tandem sit Lancillottus Fannianus ab hoc eum labore tam immodico auertere, reprehendereque, quod nisi comparandae scientiae desiderio propriae salutis oblitisceretur, ac futurum esse praedicere, ut nisi in posterum sibi temperaret, suaeque parceret valetudini, certissimos in morbos incideret. *3) Quod & accidit. Nam aliquoties morbo tam grauius confectus est, ut in maximum vitae periculum adductus videretur. *4) Circa hoc tempus, aut non multo post, matrem eius Magdalenam, summa religione, multisque aliis virtutibus

*1) Ibidem. p. 192.

*2) Ibid.

*3) Orat. X. p. 192.

*4) Pertinet huc ipsa auctoris narratio in Orat. aduersus Gaudentium, separatim in Batavia impressa, vbi p. 2. multos, inquit, annos & latinis & graecis auctoribus ita operam dedi, ut nullam partem neque dierum neque noctium intermitterem, saepiusque etiam de salute propter nimias vigiliis periclitatus sum, donec tandem de medicorum consilio coepi aliquid de summa illa diligentia remittere.

tutibus ornatam feminam obiisse, verosimile est. Nam neque puerum admodum nec adultae aetatis fuisse eum tum, cum mater decederet, *1) ex oratione eius funebri quodammodo apparet. In ea memini, aliquo loco, inquit, decem abhinc annos, cum adhuc admodum puer essem, & vix duodecimum annum attigissem Petrusque Comes, eius frater diem suum obiisset &c. *2) Quantum in illa iam aetate dicendo valuerit, quantosque in arte Rhetorica atque oratoria fecerit progressus noster: eadem illa matris laudatio declarat, non minus eleganter ac diserte quam prudenter neque scripta. Nimirum toto illo, quod in Fanniana domo vixit quinquennio, nihil aliud Maioragius noster egit, nihil aliud molitus est, quam ut velis, quod aiunt, remisque ad eloquentiae laudem contenderet. In primis hoc autem studebat, ut, si quomodo fieri posset, amissam iam pridem in patria sua civitate, Mediolano dicendi rationem & declamandi consuetudinem sua opera restitueret. *3) Itaque, cum haecenus in obscuro quasi latuisset, totumque

*1) Mortis illius tempus in Orat. VIII, p. 134. ita indicat. Mater quidem nostra florenti adhuc aetate, quippe, quae nondum ad quadragesimum annum, peruenerat, diem suum obiit.

*2) vid. Orat. M. VIII, p. 143. spectat huc quoque locus p. 130. ubi se neque aetate neque ingenio satis valere ait, alius item ille locus p. 148. Tum vero pater apprehensa dextera multum obsecrauit, ut communium filiorum deinceps totam curam susciperes, &c.

*3) Vid. Orat. X. p. 192.

Tumque illud quinquennium studia sua, dedita
 opera, occultasset *1) tempus nunc tandem esse
 ratus in scenam lucemque publicam prodeundi,
 non tantum quotidiana propemodum dicendi
 exercitatione ipse usus est, sed etiam nobilissimos
 adolescentes incredibili quadam cum voluptate,
 propter eorum excellens ingenium, more veterum
 declamantes quotidie audiuit, dictionem eorum,
 quantum fieri poterat, ad illius divinæ Ciceronis
 eloquentias modum atque exemplar conformando.
 Docens autem alios, raro quodam modestiæ
 exemplo, ipse discere non erubuit. *2) Nam
 ne interea reliquarum ingeniarum artium studia
 praetermitteret, eodem tempore Aruntem Bata-
 leum; ingeniosissimum & acutissimum virum,
 dialecticam, quae, teste Cicerone, quasi contracta
 & adstricta eloquentia putanda est, publice inter-
 pre-

*2) Vid. Orat. eius XVIII. cum Mediolano discessurus esset, habitam. p. 376.

*3) Praeceptores suos lib. I. reprehens. C. XVI. p. 198. ubi Nizollo, qui non satis aptos cum praecceptores habuisse, obiecerat, respondet, his verbis ipse enumerat, ac praedicat. De praecceptoribus illud primum tibi respondeo, me tales habuisse, quales multi desiderant, pauci assequi possunt. Qui omnes adhuc viuunt & in summo honore ac pretio habentur &c. In Grammaticis atque Rhetoricis Angelum Appianum & Primum Comitum, consobrinum meum, de quibus nihil dico amplius, quam quod omnes intelligunt, neque meliores vsquam inveniri. In Dialecticis acutissimum virum Aruntem Bataleum habui, sub quo quan-

pretantem audiebat, *1) et in Mathematicis disciplinis Hieronymo Cardano, Philosopho Medicoque peritissimo sui que temporis Mathematicorum facile principi, dabat operam. Hinc magis magisque in dies inclarescebat, suaque doctrina ac praeclara informandi dexteritate discipulorum numerum quotidie augebat. *2) Nam ita ipse de se in oratione sua defensoria: „propter novam, „inquit, docendi rationem meam maximus quoti- „die nobilissimorum adolescentium concursus ad „me fiebat. nam & vos et caeteri cives nostri de „me iam eam opinionem conceperant, vt mihi „rectissime filios suos committi existimarent &c. *3) Quam nominis famam omniumque applausum, vt nova hac in primis docendi ratione conse-

tum profecerim, tu profecto ipse nisi plane plumbeus es, sentire potes. In Mathematicis hominem celeberrimum & non tantum Mathematicae, sed etiam Medicae facultatis principem, quo multum etiam philosophiae ex familiari consuetudine percepi. In naturali philosophia cum alios nonnullos tum praecipue Vincentium Magium, quem amplitudinis & honoris gratia nominano, philosophum nostra tempestate celeberrimum. Quin etiam iuri civili sub Alciato magno tantum operae dedi, quantum satis fit ad bonos auctores intelligendos & ad orationem plenioram efficiendam. &c. vide igitur quam inepte garrias, qui praecptores eos parum idoneos esse dicis, quos vniversus paene orbis terrarum admiratur.

*1) Vid. Orat. X. p. 193.

*2) Ibid. ead. pagina.

*3) Adde Orat. eius XVIII. p. 376, 377.

consecutus est, ita plurimum huc quoque contu-
lit, quod, cum domi suae discipulos in declamans
do exercebat, multi semper senatores, Iuriscon-
sulti, Medici, principesque civitatis coram ades-
serunt. In his aliquando senatus ipsius Princeps,
Philippus Saccus, senio iam confectus, multis ex
ordine senatorio comitantibus eo venit, eique
gravisimum eruditionis ac eloquentiae testimo-
nium multis audientibus dedit, quod idem alii
multi doctissimi homines approbarunt. Quid
quod etiam Magnus Princeps Alphonsus, Aualus,
qui non minor apud Carolum V. imperatorem
habebatur, quam olim apud Alexandrum M.
Ephaestion, apud Scipionem Laelius, apud Oc-
tauium Augustum Agrippa, domum aliquando
suam inuitavit, & apparatu munificentissimo,
planeque regio excepit. *1) Atque haec ipsa res illi
ad publicum artis oratoriae munus, quod ante
eum Petrus Comes auunculus eius per multos
annos Mediolani summa cum laude obierat, in pri-
mis aditum patefecit. Hac enim eius dexteritate,
ac iuuentutis informandae scientia plane admira-
bili impulsus, quem modo honoris causa nomi-
navi, Philippus Saccus, Mediolanensis senatus
Princeps, non modo ad provinciam hanc peten-
dam eum inuitavit, sed & suffragationem illi suam,
omnium sine dubio potentissimam & probatissi-
mam, obtulit. Quod ille salutariter ac amice da-
tum consilium eo promptius secutus est, quo sibi mul-
to &

*1) Vid. Orat. XVIII, p. 377.

to & ad famam clarius & ad iuventutem docendam accommodatius fore iudicabat, si tantus vir tantaeque auctoritatis publice docendi provinciam a gymnasiarchis sibi demandari procurasset. Haec igitur a Senatu petita Philippo Saeci & Francisco Sfondrati, qui tunc temporis Mediolani primarius senator habebatur, & Imperatori Carolo a consiliis erat, non difficulter, magno omnium ordinis consensu, cum vix sextum ac vigesimum annum attigisset, *1) obtinuit. Quo quidem munere cum biennium summa cum industria ac diligentia sic perfunctus esset, ut laboris defectum nemo, excessum omnes accusarent: repentina iterum belli tempestas subitaque flamma coorta est, quae ut discantis quondam, ita iam nunc docentis industriam praeclarissimos conatus spe citius interuertit. Cum primam enim fama peregreuisset, ingentes Gallorum copias Alpes trans-

scen-

*1) Vid. eand. Orat. itemque X. p. 193. Maioragii hunc calculum si sequimur, anno iam 1540. publicum munus capessi ait. Lectorem autem fessellisse putat Baelius, c. l. cum vigesimo sexto iam anno hoc munus adiisse iactitet. Idque partim tempore, quo scholas suas Alciatus primum aperuit, partim historia ipsa demonstrat. Maioragius, inquit, debite un menfonge, quand il dit qu'il fut recent Professeur S'age de 26 ans, & qu' au bout des deux années il s'en alla &c. Calculum denique sic emendat Baelius, ut anno demum, 42, hoc est aetatis vigesimo nono, munus hoc publicum consecutum tradat. vid. Bail, ipsum, cit. loco, & paulo post a nobis dicenda.

fecidisse, atque in Taurinis confectisse, bellumque grane immineret: omnes continuo publici bonarum artium Professores, ut sit in eiusmodi temporibus, dimissi & studia literarum intermissa fuerunt. *1) Aliis igitur Professorum alio converfis: noster Ferrariam urbem petiit, eam tunc ac cogitatione, ut, quoniam bellum non semper fore sperabat, iamque in ea quam relinquebat, civitate, non plane nullam nominis celebritatem esset consecutus, ad eandem publice docendi provinciam instructior atque eruditior aliquando reverteretur.

*2) Publice itaque vale dicto *3) Ferrariam cum pervenisset, & praeclare intelligeret, quantum sibi ad oratoriae artis munus pulchrius ornatiusque obeundum & ad probatissimos Latinae linguae auctores melius dexteriusque interpretandos vel mediocrius iuris civilis cognitio adiuventum afferre posset, praesentem occasionem arripuit, eodemque ardore animi, quo in reliquis studiis consueverat, civile ius amplexus, Andreae Alciato

*1) Vid. Orat. X. p. 194.

*2) Vix tamen hoc colligere licet ex his verbis orat. XVII. sub init. neque enim posthac ex hoc loco more solito me quisquam summos auctores &c. interpretantem atque officio meo studiose inuigilantem, fortasse unquam audiet.

*3) Scil. in Orat. XVIII. p. 370. ubi praedicatis Mediolanensium in se meritis, causas quoque discessus, quam facundissime exponit, & partim temporum iniuria, partim etiam quodam consilio suo se discedere pronunciat. vid. & Orat. eius apologeticam in Gaudent Merulam.

Alciato, cuius iurisconsulto non suae tantum aetatis, sed etiam veterum paene principi, qui cum civile ius Ferrariae profitebatur, operae nonnihil *1) plurimum autem Vincentio Magio, Philosopho tunc temporis ac Rhetori summo, dedit. Nam cum meminerat, non idcirco se iuris civilis studium amplexum esse, ut aliquando consulentibus de iure posset respondere, sed tantum, ut facilius bonos auctores intelligeret: Philosophiam quoque, quam praesertim ab ineunte aetate semper plurimum adamasset, non esse negligendam, sed vel in primis sibi tractandam putavit. *2) Non praetermisit etiam cum doctis ac praeter caeteros celebribus huius civitatis viris amicitiam familiaritatemque contrahere, saepeque eruditis eorum societatibus colloquiisque, ad proficiendum maxime idoneis, interesse. Trium autem praeceteris virorum, Bartholomaei Riccii, Gregorii Gyraldi, & Ferrariensis Principis consiliarii consuetudinem amabat. De quo ita ipse in Epistolicarum quaestionum lib. I. Ego vero, inquit,

*1) Errant itaque Hoffmannus & Thuanus, quorum ille in Lex. T. III. p. 22. Maioragium tradit, postquam octennium in patria docuisset, Theologiae se totum dedidisse: hic vero Hist. lib. XVI. p. 341. post nauatam totos tredecim annos in erudienda iuuentute Mediolanensis operam, adeoque non diu ante mortem ad sacrum demum studium se contulisse. Nam etsi studio quoque Theolog. temporis studii quoque aliquid dicauerit: nec tamen totum, nec tam sero eidem sese tradidit.

*2) Vid. epist. VII. Ferrariae 1543. conscriptam.

Inquit, multos quidem haecenus cognoui, qui non omnino videantur indocti, sed suo iudicio valde sint sapientes. Verum ut eos praetermittam, qui falsam scientiae persuasionem induxerunt, cum tribus mihi summa familiaritas intercescit, qui non fucata sed vera & solida doctrina praediti sunt. Primus ille est, qui suo labore bonas plurimum litteras haecenus illustravit, & quotidie magis illustrat, Barth. Riccius, cuius consuetudine mirifice delector. Alter Gregor. est Gyraldus, cuius multa extant elegantius atque erudite conscripta opera. Tertius Ferrariensis Principis, Herculis Attestii, consiliarius est, vir omni virtutum genere cumulatifime ornatus &c. His aliisque studiis honestis, ac laudabilibus occupatus, nescio quomodo, tamen factum est, ut Ferrariae ac Mediolani in primis nonnullorum inimicitiam odiumque in se susciperet. Quod cum saepe alibi, tum eo in primis tempore apparuit, cum certas quasdam ob causas, nomen adhuc usurpatum immutasset. Scilicet Antonii Mariae illi alias praenomen erat: quod integrum mater illi, partim singulari quodam in patrem amore, partim superstitione ducta, imposuerat. *1) Antonium quippe ex parentis, dudum defuncti nomine appellauerat, ut in filio patrem quasi restitueret. Mariam vero boni omnis gratia dixerat, ut illo sanctissimae

b matris

*1) Vid. Orat. Mai. X. p. 190. erat itaque Morerius, Marcum Antonium Mariam fuisse appellatum tradens.

matris nomine quasi munitus superstes foret. Hoc igitur nomine quemadmodum a primis incunabulis non a matre solum, quae ipsi illud indiderat, sed etiam a patre atque ab omnibus vicinis appellatus erat: ita ad hoc usque tempus, quo Ferrariae versabatur, perpetuo retinebat. Ac bene erat, si de illo temere immutando nunquam cogitasset. Verum, nescio quomodo, illi, Ferrariae cum esset, *1) suasque lucubrationes quasdam amicorum hortatu edere pararet, in mentem veniebat, deposito hoc nomine aliud assumere. Ad quod faciendum, illumne latinae puritatis linguae studium, an alia res quaedam nobis fortasse non cognita perduxerit, haud facile est diiudicare. Equidem, si ex Maioragii ingenio iudicare mihi liceat, non tam intempestiuo quodam ac immodico latinae eloquentiae amore quam vanitatis superstitionisque odio hoc fecisse putem. Quamquam enim Religioni Pontificiae addictus esset, nec unquam alium in scriptis suis animum, quam Pontificiis sacris per omnia consentaneum prae se ferat, ab omni tamen anili superstitione prorsus abhorruisse intelligo. Nullum enim in scriptis eius vel minimum vestigium apparet, unde vel inepte eum supersticiosum vel ad fabulas temere credendas ac propagandas pronum, vel abiectum

*1) Errat hic quoque Morerius, quando scholam aperuisse Maioragium Ferrariae versantem pronunciat. Ita enim ipse de se in Orat. XVIII. p. 378. Hactenus praeceptoris partes sustinui, post-hac me discipulum diuinarum atque humanarum ~~isum~~ peritorum fore profiteor.

lectum quendam reliquiarum sanctorumque cultorem fuisse conicias. Omnia sunt potius in scriptis eius graua, omnia iudicii plena, atque ab omni vel leuissima vanitatis specie remota. Quam igitur in tota vita sua fugiendam putauerat, superstitionis leuitatem, quid mirum si in suo ipsius nomine, ipsoque operis, quod nunc primum emittebat, limine ferendam non iudicauerit. Nullum enim auctoris scriptum accuratius examinari, ac rigidam magis censuram incurrere plerumque solet, quam quod primura lectoribus se conspiciendum praebet. In hoc omnium oculi conuertuntur, huius singula paene verba, singulae voces, in titulo praesertim comparentes, accuratissime fere expenduntur. Orationes igitur quasdam suas, defensionesque contra Coelium Calcagninum Ferrariae emissurus, non illud amplius superstiosum Antonii Mariae nomen, a vetulis sibi inditum, sed Marci Antonii potius, auctorem se subscribens usurpabat: assumpto simul a patre Maioragii cognomine, quod ille, vt diximus supra, sortitus a vico Maioragio fuerat. *1) Atque ab hoc tempore ille semper Marcus Antonius Maioragius ab omnibus notis, ignotis vocari coepit. Ibi tum Maioragiani nominis famaeque inimici (vt paulo post apparuit) diu iam optatam occasionem sese nactos esse putarunt in eum quantocius inuehendi. Simulac namque restincto iam belli tumultu, studiisque literarum Mediolanensi in ciuitate instauratis, eodem inter-

b 2

missum

*1) Vid. Orat. X. p. 190.

missum publice docendi munus iterum aggressurus, elapso circiter anno *1) rediisset, nominis huiusce immutationis crimine accusatus est. *2) Cum enim nec in vita eius quidquam quod crimini illi dare possent, inuenirent, hunc tandem accusationis praetextum auide arripiebant. Veram huius accusationis causam non aliam fuisse, quam inuidiam, nemo facile dubitabit. Quae sicut perpetua virtutis comes est, ita Maioragio deesse plane non poterat. In pristinam enim, quam summa cum laude, ac iuuentutis Mediolanensis ingenti commodo, quondam sustinuerat, muneris publici dignitatem, quam liberalissime honorificentissimeque ab vniuerso senatu receptus, non maiori tantum, quam antea stipendio, sed honore etiam adficiebatur: communis quasi literarum praeceptor deinde habitus, ac Italiae totius oraculum. Quod cum adversariis eius nimis molestum ac grave visum esset, omni primum ratione co-

*1) Hinc si qua res explicatu difficilis occurrebat. Maioragii consilium expetebatur. Qua de re inter alia testatur epist. Caroli Fagneri (quae in collect. Gud. est 38. p. 125.) hoc initio: Supplico a V. S. per la sua amoreu iolissima bontà, sic contenta indiar per il suo diuino ingegno se dalle lettere sottoscritte &c. si può cauar qualche senso &c. Hinc etiam ipse in epistol. quae est. lib. I. 9. sub init: Tantum mihi, inquit, auctoritatis tantumque scientiae attribuis, vt me tanquam honorarium arbitrum de doctorum hominum controversiis facile sententiam ferre & vere diiudicare posse existimes.

* 2) Vid. Orat. X. p. 197.

ne conati sunt efficere, ne pristinum locum recuperaret; deinde cum res aliter ac sperauerant, illis accidisset; infamiae ac criminis notam illi inurere contenderunt. Fabio igitur Lupo, & Macrino Nigro *1) accusatoribus cum in iudicium vocaretur; ita grauius causam dixit, vt eloquentiam eius, ac dicendi vim cuncti obstupescerent. *2) Tribus autem capitibus tota eorum accusatio potissimum versabatur. Primum quod contra leges ac instituta maiorum, deinde contra omnem consuetudinem, denique contra decus ac honestatem Maioragius egisset. Ad haec singula igitur docte non minus quam acute & eloquenter respondens, nullam primo neque diuinam nec humanam legem proferri posse dicebat, qua cautum sit, ne nomen immutare liceat; deinde hanc nominis immutationem & patrum nostrorum memoriae factitiam & hoc tempore saepissime fieri solere a viris eruditis, exemplis compluribus probat. Tertio denique loco nihil a se neque contra honestatis, neque decori regulas peccatum esse declarat. His inquam infirmis aduersariorum rationibus diserte solideque refutatis, nominis tandem

b 3

a patre

*1) Hos ead. Orat. p. 208. Professorum munere Mediolani functos, inque arte Rhetorica & oratoria iuuentutem instruxisse commemorat. In his Lupum grauissimum aduersarium sibi fuisse significat, his verbis: p. 202. Reliqui minus aliquanto mihi sunt infensi, hic vnus vrget, instat, quiescere non patitur, sanguinem meum sitit &c.

*2) Hanc orationem spectat Gôthard, Costa, quando
ita

a patre accepti inque Maioragii nomen mutati² (nam id quoque aduersarii criminabantur) rationem affert vtique idoneam : nec a se fictum esse hoc nomen, a Maiore, quod aliis omnibus maior esse velit, indicat. Amphortios comites maiores esse dictos, atque ab ipso Longobardorum rege Desiderio honoris hoc primum nomine appellatos. *1) non negat, nec diffitetur, auunculum suum, Primum Comitem quin & Patrem ipsum Iulianum omnesque qui secuti sunt, melioris latinitatis gratia, de Comitibus nomen in nomen Comitum mutasse ; Maioragii vero cognomen sibi esse haereditarium demonstrat. Duas autem in primis rationes ad hanc nominis mutationem perpulisse. Primum nominis ambiguitatem ; quod ab omnibus, quibus familia nota non erat, dignitatis hoc nomen habebatur. Deinde vt superbiae suspicionem vitaret ; cum facile fieri posset, ut sibi ipsi hoc nomine dignitatem ipsam arrogare voluisse non nemo suspicetur. Vereri se
non

ita ad Maioragium. Illud in primis dici non potest, quantopere mihi arriserit, quod ab eodem Magio, praeceptore nostro, audiui, nempe te commutati cognomenti causam dixisse in Senatu Mediolanensi h. e. in theatro virorum ab omni parte absolutissimorum, id quod ita mihi pergratum accidit, vt vehementer sim in hoc honore tuo atque etiam gloriae gratulatus, & paulo post addit ; Eam orationem, quam pro re tua habuisti, summis laudibus in coelum Magius extulit. vid. in Gud. collect. a Burm. edita ep. 37. p. 223.

*1) Vid. eand. Orat. p. 215. seq.

non sine causa, ne quando idem sibi accideret, quod Primo Comiti, consobrino suo contigerat. Qui cum in Germaniam ea de causa profectus fuisset, ut Erasmi consuetudine per aliquod tempus frueretur, priusquam ipsum Erasmum conueniret, ad eum literas dedisse, quibus aduentus sui causam declarabat, quarum in extrema parte nomen suum, ut fit, ita subscripserat: Tui studiosissimus Primus Comes Mediolanensis. Hanc cum Erasmus subscriptionem vidisset, credidisse statim magnum aliquem adesse principem, sui visendi gratia. Quare licet admodum senex & infirmus esset: tamen quo studio quoque apparatu potuit, obuiam consobrino suo longe processisse. Sed postquam homunculum vnum, nullo comitatu, nullo seruorum grege stipatum & bene quidem literatum, sed nullo elegantiori cultu vestitum reperit, errorem suum ridere iucundissime coepisse: & tamen eum multo gratiorem aduenisse, quam si magnus Princeps fuisset, multis audientibus testatus est. *) Hac ipsa nominis ambiguitate deceptum Sebastianum Gryphium, cum literas ad eum Maioragius dedisset, seque Comitem inscripisset, tanquam Principi illi respondisse, clarissimumque Comitem non semel appellasse. Verum ut ad litem illam Maioragio temere intentatam redeamus: sic ea dirempta & perorata est, ut non sine laude accusatus, cum turpitudine aduersarii discesserint. His interim

b 4

aliisque

*1) Vide totam hanc historiam iisdem verbis a Maioragio expositam Orat. X. p. 217.

aliisque multis, quae illi ab inuidis & maleuolis hominibus quotidie fere mouebantur, discordiis contentionibusque partim, partim etiam intemperanti nimis ac immodico in litteris prouehendis & iuuentute instituenda labore fractus ac debilitatus *1) non diu postea vixit sed, nouo morbo, nescio quo, correptus, cum circiter quadragesimum primum aetatis annum impleisset, *2) & ad summum

*1) Cum publica enim informatione priuatam domesticam coniungebat, maximumque semper adolescentium, ex omnibus locis ad eum concurrentium numerum secum habebat; humaniorum quae vocant studiorum alumnos. Cum vero hoc nimis oneri ipsi esset, hypodidascalum primum adsciuit laborum administrum (de quo vide binas eius epistol. ad Cicerinum datas in append. prima IV. & V.) deinde cum & hoc nimis molestum & variis coniunctum difficultatibus videretur; priuatas tandem scholas abdicauit, publicas retinuit: Testante hoc epistola Aleciati ad Francisc. Cicerinum data his verbis; Filius, tum illi addictus socius instruendi erant literis vt vocant humanioribus, perquirendus erat, qui hoc posset & vellet. Vnde nisi ex fonte aut riuulis. Petendus erat M. A. Maioragius ille celebris, occasio non admittebat. Iamdudum huius oneri valedixerat. &c.

*2) Thuano auctore, postquam tredecim omnino annos Mediolanensi iuuentutem docuisset prid. nonas Aprilis in Deo obdormiuit. Epitaphium eius 14. annos professionem egisse docet. Morhof. in praefat. ad orat. de auro, quadragesimum aetatis annum vix impleisse ait: in quo tamen errat. De morte Maioragii haec habet Picinelli in Ateneo del

nam euectus esset dignitatis gradum, *1) anno post reparatam salutem millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Ferrariae decessit. Mortuum illius corpus in Ambrosiano templo maiore ad sinistram ostii partem sepultum, tumuloque a se viuo extracto, a Bartholomaeo Comite, vxoris fratre, honestis exequiis illatum est. De quo ita Hieronymus Ghilinus, *2) Daicopolite, inquit, letete e componimenti piglia-ua tanto gusto e piacere, che poneua in di- mendicanza la salute, e bisognaua, che di quando la sua complessione non atta a sostenere tau-

b 5

ta

dei letterati Milanesi con questi studii non mai intermissi rimase la sua complessione oltre modo sneruata e mentre senza veruna reserua batteua la carriera della gloria, certo nella meta immatura della morte che lo sorprese in età d'anni 41. Baelio auctore impletis quadraginta annis & sex mensibus 5. April, 1555. obiit. Ex testimonio ipsius Mai. in repreh. lib. p. 12. per quatuordecim omnino annos iuuentutem erudiuit.

*1) Colligere hoc est ex epistola A. 1550. ab Andr. Camutio ad Franciscum Cicerinum scripta, cuius hoc initium; Tibi gratulor & mihi gaudeo, Francisce suauissime, quod tandem conspexeris comminus Maioragium nostrum ad sublime fastigium honoris prouectum esse, qui non fortunae ludentis temeritatem, (vt maior hominum turba solet) sed virtute propria emerfit. Vtinam similibus saepe videremus scepra conferri, ecclesiaeque titulos insignes &c. vid. in Collect. Gud. ep. XXXI. Lucanum scriptam.

*2) Admodum vitiose hic Ghilizius in Hoffmanni Lexico appellatur, in vita Maioragii.

»ta fatica da infermità sopraggiunta cedesse
 »a questa: il che gli abbreviò in maniera la vita
 »che trouandosi ella hora mai fiacca e debole non
 »potè passare gli anni 41. Morì nella sua patria
 »e fu sepolto sotto al portico della chiesa di S.
 »Ambrosio maggiore del lato sinistro della por-
 »ta * 1) &c. h. e. ex politioribus literis scriptisque
 componendis tantum ille voluptatis capiebat, vt
 in periculum sanitatem adduceret, tandemque
 magis magisque in dies corporis viribus fractus,
 cum oneri amplius ferendo par non esset, infirmi-
 tasque accederet, coactus sit illi succumbere, quod
 tamen

* 2) Ibidem hos in Maiorag. honorem conscriptos elegos vides. Primum Rotini illos:

Dum tua miratur Latium quae dogmata condis,
 Et quo Rhetoricam lumine, Marce, doces:
 Has visa est Pytho coelo depromere voces
 Vt mea ditescant lumina scribe diu.

Item alios:

Quae modo differuit pro rostris mellea dictat
 Eloqui scriptas lingua magistra notas.
 Lingua docet calamo, reso quod promiserat
 ore,

Signat & in cartis, quos amat ipsa, modos.
 Tanta tuae Antoni celebris non gloria suadae
 Aut voce aut calamo, si caruisset, eras.

Itemque Iosephi Mariae Ciriae illos:

Torrenti similis locuples opulencia liguae.
 Visa simul docto cum Ciccone loqui.
 Ecce sed exanguis tumulo liquor aureus aret.
 Cognatum ad cinerem, venaque prima redit.
 Nullaque facundis superesset gratia labris
 Ni modo facundus te cecinisset olor.

tamen mortem eius tantopere maturavit, ut cum viribus iam tum esset prostratis ac detritis, vnum & quadraginta annos non superauerit. Mortuus est in patria, sepultus sub porticu Ecclesiae sancti Ambrosii maioris, ad finistrum latus portae &c. Tumulo eius sequens Epitaphium inscriptum legitur:

M. Antonio Maioragio

Dicendi Magistro Singulari

Latinis Graecisque literis perpolito

& libris editis illustri

Qui publice docuit annos IX

Vixit XLI.

Bartholomaeus Comes, vxoris frater.

B. M. posuit.

Praematuram hanc ac praeacerbam viri mortem amici non tantum ac fautores eius, quorum praecipue in numero erant Ferdinandus Adduensis, Patritius Mediolanensis, Sebastianus Corradus, graecarum ac latinarum literarum Professor Bononiensis, Barthol. Riccius, Vincentius Magius, Paulus Manutius, Octavianus Scotus, Franciscus Caluus, Octau. Ferrarius *1) Angelus Appianus, Aruntes Bataleus, Joa. Ambros. Cauenagus, Petrus Pomeranus *2) aliique, sed vniverfus literatorum

*1) Hunc in lib. reprehens. virum doctissimum, summa sibi necessitudine coniunctum, vocat: in ore omnium versantem.

*2) De hoc ita in Orat. contra Gaudent. p. 4 Quin etiam te Pomeranum, eruditissimum virum & mihi summa necessitudine coniunctum, quem praesentem adparere video, non leuiter offendit.

torum coetus, omnesque quibus mulae elegantiores curae cordique sunt, ingenti dolore, multisque lachrymis sunt prosecuti. Quantus enim in eo vir decessisset, quantam obitu eius literae elegantiores cladem accepissent, quantum denique tota non tantum Mediolanensis civitas, sed & Italia ipsa decus amississet, constabat. In hoc enim vno omnia, quae vix singula apud alios, reperiebantur. Ingenium illi natura tribuerat & felicissimum & ad omnes res aptum *1) vnde Ptalippus Picinellus *2) viuacissimo, inquit, d'Intellecto con tutta felicità si fece franco possessore e dell'arte oratoria e delle lettere così latine como greche. His calculum addens Teisserius cit. l. Tom. I. p. 107. Il avoit, inquit, un tres beau genie propre à tout ce qu'il vouloit entreprendre &c. Iudicio si quis alius praeditus erat acutissimo & limatissimo. Mens praeterea docilis ei contigerat, memoriaque non infelix, cum summo studio, inexpugnabili industria, perpetuisque vigiliis coniuncta *3) Tenerissima ab aetate nulla re alia delectabatur, quam vt scri-

*1) Ingenii tarditatem illi obiicit Nizolius, idque causae esse dicit, quod cum multa legerit, pauca tamen intelligat. Testantur autem contrarium Maioragii scripta, sane quam ingeniosissima, multoque saepe conspersa.

*2) Vid. illius Ateneo dei letterati Milanesi p. 409.

*3) Hinc in Orat. c. l. cum praesertim ego, inquit, tot vigiliis ac laboribus hanc modicam mihi dicendi facultatem compararim, vt omnes facile intelligerent in bonis auctoribus me diu diligenterque esse versatum.

scriberet, lectitaret, disceret, meditaretur. Has ille animi delicias ac voluptates, omnibus corporis oblectamentis longissime anteponebat. „Cum ab ineunte, inquit, *1) adolescentia mihi persuasisset, nullam artem esse praestantiorē, aut quae in ampliori gradu dignitatis hominem locare posset, quam literarum: Ita earum studiis deditus sum, ut nihil aliud mihi dulce, nihil suave, nihil iucundum videretur.“ Habebat enim animum, laudis studia accensum, nihilque nisi egregia cogitantem. Nullum itaque virtutis genus in eo non reperiebatur. Humanitatem si quaeris: nihil eo erat in aliis vel colendis vel observandis promptius, nihil in beneficiis dandis liberalius, nihil amabilius. Quo fiebat, ut non minus felix in custodiendis conservandisque aliorum amicitiiis quam comparandis fuerit. Hanc enim, ipse inquit *2) laudis ac dignitatis pulcherrimam esse viam semper agnoui, nullos habere penitus, modo fieri possit, inimicos, amicos vero plurimos: hoc igitur officio semper in omnes, quibuscum mihi fuit aliquod negotium, usus sum, ut in eos tam facilius essem ac modestus, ut omnes me amarent plurimum. In privatis non tantum amicorum, sed

&

*1) Confer orationem eius apologeticam aduersus Gaudentium Merulam, p. 2. & sequentibus. Quantum literarum fuerit aestimator, vel inde perspicuum fit, quod etiam tum, cum relaxandi animi gratia vel rem ageret, vel in suburbano versaretur, ab literis non abstineret: vid. epist. quaest. lib. 1. ep. 11. circa fin. & lib. 1. ep. 19. circa init.

*2) Vid. eand. orat. apologet. p. 2.

& publicis officii negotiis rite obeundis recteque administrandis tanta erat fide ac sinceritate, quanta non maior a quoquam expectari queat. In nulla re suam unquam vel gloriam vel utilitatem, aliorum semper quaerebat. Hinc ita aliquando auditores suos appellans, *1) quod ad legendi, inquit, rationem attinet, magis ad utilitatem vestram, quam ad ostentationem meam studium applicare constitui. Satis enim magnam gloriam mihi reportare vilis fuero, si studiis vestris quam plurimum prodesse potuero. Praeter hanc in docendo fidelitatem, reliquis etiam omnibus, quas in publico doctore requiras, virtutibus praestabat; in primis industria, dicendi facundia ac perspicuitate; quae quidem postrema virtus eiusmodi est, ut sit aliquis quantumvis eruditus, quantumvis in docendo diligens ac industrius, perspicuitatis dono si careat, vix muneri suo satisfacere ac docendo aliis prodesse posse videatur. Et quoniam dicendi perspicuitas in sermonis potissimum proprietate, verborum delectu, rerum denique ac verborum ordine consistit, *2) studiosissime semper haec omnia, Cicerone praesertim ac Terentio in exemplum sibi propositis, fuerat persecutus. *3) In verborum, inquit,

*1) Vid. praefat. eius in Ciceron. Topica.

*2) Conf. Commentar. eius in Oratorem Cic. p. 93. & alibi. Perspicua, inquit, erit oratio, si dilucide planeque dicetur.

*3) In orat. in Gaudent. Hoc, inquit, omni tempore, quo literis incubui, nihil mihi fuit antiquius, quam ut latini sermonis proprietatem intelligerem.

quit, *1) defectu quod C. I. Caesar eloquentiae
 principium esse dicitur, adeo diligens, ac paene di-
 xerim superstitiosus eram, ut nullum omnino ver-
 bum, nullam verborum coniunctionem, nullam di-
 cendi formulam admittendam mihi esse censerem,
 quam non apud veteres latinos atque probatos
 auctores inuenissem. *2) Diligentiam eius pa-
 tientiamque in docendo plane admirabilem, in-
 ter alia sic praedicat Picinellius. *3) Sostenne-
 con mirabili valore quæsta carica per lo spatio dic-
 due anni. Leggeua all' hore prefisse &c. Audi-
 tori-

rem, & stylum meum cum rerum varietate tum
 splendore verborum exornarem. Non sine in-
 iuria igitur hanc illi sermonis puritatem deroga-
 re conatur Nizolius, de quo ipse in Reprehens.
 lib. I. p. 121. Clamas, inquit, me penitus barba-
 rum, & nullum verborum defectum habentem.

*1) Vid. Orat. X. c. I.

*2) In hoc autem puri latini sermonis studio tantum
 abest, ut seruillem quandam Ciceronis imitatio-
 nem cum Longolio, Bembo, Sadoletto aliisque
 probauerit, ut potius in epist. quaest. lib. II. ep.
 II. ad Corbitum data, sic scribat. Illas autem
 accusationes, quibus ais nonnullos uti contra nos:
 Ciceronianus non est, Tullianus non est, ego
 penitus nihili facio, cum praesertim nullum ad-
 huc scriptorem inuenire potuerim, qui ex omni
 parte Ciceronianus esse videatur. Mihi enim ne-
 quaquam ille videtur esse Ciceronianus, qui ver-
 ba tantum & locutiones Ciceronis imitari conten-
 dit, id quod plerique faciunt, sed qui eas disciplina
 atque illam eruditionem, qua cumlatus erat ille
 diuinus orator, assequi pro virili parte conatur &c.

*3) In teatro dei letterati Milanesi cit. loco.

toribus suis tam comem semper tamque affabilem se praebebat, ut nunquam non his aditus ad eum pateret: ac saepenumero, illi cum lectione absoluta, de superiori loco descendisset, ad eum accedere, variisque de rebus ad eruditionem pertinentibus interrogare: saepe etiam per literas, si coram ipsis non liceret, cum eo colloqui, variasque quaestiones ponere solebant. Hinc ipse in epistola quadam. *1) Discipuli mei, inquit, per literas quaestiones quaedam arduas mihi proponunt, tanquam alicui Philosopho, cum tamen intelligant me magis Rhetoricae quam Philosophiae naturali operam dare. Quanta in Deum fuerit pietate, quantaque veneratione sanctissima eius oracula profecutus sit, *2) in caeteris Maioragii illa loquuntur, Reprehensionum lib. I. p. 78. „Veritatis ipsius lucem atque sempiternae vitae felicitatem, de qua dubitasse videtur Aristoteles, Plato non satis ad veritatem differuisse, quamvis nihil de ea dubitaret, in sacris literis nostris intuemur, & ad illam aeternam domum, ac beatorum sedes, quam Platoni bonis viris pollicebatur, iam patefactum ac munitionum iter habemus. Optimum enim omnium ducem ac Philosophum ad immortalitatem Christum sortiti sumus: quem imitantes vitam & mores nostros multo sanctius instruemus, quam si totam Platonis & Aristotelis Philosophiam

*1) Epistolicarum quaest. lib. 2. epist. X.

*2) Ad hanc pietatis virtutem iam in pueritia a matre fuerat excitatus quod, in orat. VIII. aliquoties testatur.

ophiam imbiberimus. Huius ille praesidii munitus, eodem erat in vtraque fortuna animo. Nec eum unquam vel secundae res poterant efferre, vel aduersae quaeris deicere. Aliquum vel iniurias vel obreclationes, quanta fieri poterat animi aequitate ac patientia, semper tolerabat, omnique studio, ne temere quenquam lacefferet, cauebat. * 1) Semper ego, inquit, * 2) eam laudem duxi maximam, quam sibi quisque propria virtute pararet, non quam per alterius incommodum ac calamitatem acquireret. Itaque vere hoc possum iure iurando affirmare, me neminem unquam offendere statuisse, nisi grauissimis iniuriis lacessitum &c. Vitae morumque integritatem vel vnicum hoc demonstrat, quod, cum aliquando inimici eius, vel speciem aliquam criminis, cuius eum accusarent, quaererent, excogitare nullatenus possent, * 3) Vir denique erat aequitatis iustitiaeque tenacissimus. Non fraudulentus, non fallax, sed ab omni astutia, dolo ac perfidia quam maxime alienus, suum cuique tribuens, virtutemque vel in hoste aestimatis, magnique pendens. Ista etiam Philippum Melancthonem, hominem quamuis, ut nos vocant, haereticum, sui generis factis alienum, ob artis tamen Rhetoricae scientiam, mirum quan-

* 1) Huc etiam verba spectant in apolog. contra Gaudent. p. 6. Timerem enim, ne quisquam me naturam maledicentem existimaret, a quo vitio maxime semper abhorru.

* 2) In orat. contra Gaudent. cit. loc.

* 3) Vid. orat. eius X. passim.

tum effert ac praedicat, sic scribens. *1) Sed
 Trapezuntio longe commodius loq. Caesarius &
 Philippus Melancton, qui mihi homines videntur
 viam atque aditum ad Aristotelis opera munire
 atque aperire voluisse, quorum conatus ad
 eo magnopere laudandi sunt, quod hanc tam
 egregiam scientiam, iam pridem barbarorum
 commentariis & vt ita dicam, somniis inquinatam
 & squalentem atque horridam, quodammodo
 purgare & nitidiori cultu exornare contendunt.
 Quot autem quantaeque sunt Maioragil
 virtutes, tot etiam ac tanta eius extant in literarum
 rem vniuersam, omniaque studiorum genera,
 eloquentiam praesertim ac Rhetoricae artem,
 merita. Equae enim Rhetoricae pars est,
 quam ille non perfecit, illustrauit, nouaq. quasi
 luce perfuderit? Quidnam eius oratione est pulchrius,
 quid ornatus? quid perfectius? qua profecto,
 siue sermonis candorem ac puritatem, siue vocum
 elegantiam, seu figurarum splendorem, siue
 periodorum concinnitatem, siue pondus argumentorum,
 siue denique rerum ordinem iustamque mensuram
 spectes, nihil hoc saeculo nostro melius atque
 absolutius fingi aut excogitari potest. Suauitatem
 stili eius Ghilinus merito ita praedicat: Masauigliosamente
 dilettaua la soauità & l'impeto delle sue facondissime
 parole e con l'uno e con l'altro lusingando l'orecchie
 tiranneggiava gli affetti ed a guisa de ape con dolce
 licore legando; sensi con

*2) Vid. reprehension, eius lib. I. p. 59.

con lo stimolo della persuasiva gli animi trāsfigge-
ua. h. e. Mirabiliter delectabat suauitas ac vis im-
petusque facundissimarum vocum, & horum vtro-
que aures perfundendo affectus animi percellerat,
apiumque instar dulcissimo liquore permulcens
sensus, persuasionis quasi stimulo animos punge-
bat. Cum hac mirabili eloquentia, scientiaque
Rhetorices, tanta erat, vt iam diximus, erudiendae
inuentutis, dexteritas coniuncta, vt difficile dictu
sit, vtrum dicendi arte maior, an docendi peritia
extiterit. Vt recte Morhofius *1): Erat Maio-
ragius non ad docendum tantum comparatus, sed
& in dicendo ita promptus, vt suae aetatis oratores,
praecipue Io. Iudunna Iuxā superaret. Multos
& haec nostra & superior aetas tulit optimos vel
oratores, vel praeceptis Rhaetoricae artis traden-
dis eximios. In vtroque autem qui peraeque ex-
cellerent, & eloquentiae laude & Rhetorices scien-
tia, non modo pauci memoria nostra, sed nullus pro-
prietate, si perpaucos excipias, extitit cum Ma-
ioragio nostro comparandus. *2) Nemo certe
vniuersum, quotquot vnquam exorti sunt Rhetorum,
c 2 prae-

*1) In praefati ad orationem de auro.

*2) De hoc ita Io. Imperialis praef. 6. Maioragius non
postremum hoc in Sacratio locum sibi vendicat,
eo merito, quod artis Rhetoricae interpret exi-
mitus Tullii lepores cum Aristotelis dogmatibus
coniunxit. Hac enim ratione maximum illud
contulit studentibus donum, quod cum in isto
praeceptore soliditatem agnoicant, in altero cul-
tissimam eorum praxin &c.

praestantissimam hanc humani ingenii artem tam multis tamque praeclaris scriptis, aetatem omnem laturis, ceu luminibus quibusdam illustravit. Atque haec haecenus ad laudes Maioragii pertinebant. Restat, ut nec vitia eius, leuia illa quidem, ac facile excusanda, sed vitia tamen, taceamus. Quibus ut nemo vnus in vita caret, ita nec a Maioragio nostro penitus remota esse potuerunt. In primis ad fastum ac superbiam, cum aliorum, ut fit, contemptu coniunctam, natura ferebatur. Quo fiebat, ut doctrinae suae, qua prae multis aliis eminebat, famae item ac meritorum suorum conscius, interdum sublatius se gereret, suasque ipse laudes non in sermonibus tantum sed & scriptis passim decantaret. Cuius iactantiae ut exempla non plane nulla afferamus: Reprehensionum suarum libro primo *1) Nizolium aduersarium sic alloquitur: Vides ne me paruo temporis spatio id aliqua ex parte assecutum, quod tu toto tuo vitae curriculo nulla ex parte vnquam assequi potuisti, ut Ciceronem si non perfecte imitari, at saltim adumbrare, quodammodo possim. - - Quod ipsum cum omnibus notum esse possit, & tu plane intelligas, occultum habere non potuisti. Satis iactanter quoque de se earundem reprehensionum lib. II. *2) Ita gloriatur: Cum multa subtiliter ac philosophorum more essent in antiparadoxis meis disputata, tu qui nullam esse dialecticam hoc nostro

*1) p. 12.

*2) p. 120.

nostro tempore putas &c. In primis huc locus ille spectat Repreh. lib. I. Cap. V. *1) ubi suam ipse doctrinam ita iactitat: Meas vero lucubrationes cum omnes alias, tum ea praecipue, quae vituperas Antiparadoxis, si quis paulo diligentius legat, non paruum in se rerum & verborum varietatem doctrinamque continere. Neque non huc pertinet locus ille, ubi Nizolio, ingenii tarditatem ipsi obiectanti, respondens: nec sane, inquit *2) mihi vnquam laudem vendicaui, quamvis poeta quidam ambitiose dicat

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Alterum vitium est diuacitatis ac cupidinis vindictae, ad quam nimium quantum etiam procliuus videbatur. Nam etsi iniuriis ac maledictis neminem vltro prouocaret, ab aliis tamen prouocatus ac temere lacesitus, maledicendo omnes superabat. Testes eius rei clarissimi sunt bini illi reprehensionum libri, contra Nizolium diulgati. Nullum enim est maledictorum, nullum facile subfannationum genus, quo eum non proscindit; quem modo prudentissimum modestissimumque vetulum, modo mendacem, modo ex vepreculis & fenticetis extractum foricem, modo viperam, modo plagiarium appellat. Et quid quaeso iniuriosius in quemquam dici aut excogitari potest, quam quod prima statim pagina legitur? „Itaque securi sint licet posthac omnes aduersarii tui, ludant,

*3) p. 14.

*1) In cod. repreh. libro, non longe ab initio.

„scriptis ac iocentur tecum, sine vilo p̄bocacitatis
 „tuae timore te secure laceſſant, tibi denique bar-
 „bam etiam tuto vellant, quia totum in me vi-
 „rus tuum effudiſti. Quid illis praeterea eſt
 „inordacius, quod ſub finem ponit. Equidem
 „maiores in modum admiror, quod illi ſapienter
 „viri, Veneti, apud quos habitas, cum te tan-
 „to iudicio pollere videant, non te ſtatim arripi-
 „ant & decemvirorum caput eſſe iubeant, vt vni-
 „verſo ſuo iudicio praeficiant, ducemque creent,
 „quo bina poſſis in eorum adminiſtranda republica
 „pro tuo ſingulari iudicio ſuffragia ferre. Vt alia
 nunc loca taceam.

Vita Maioragii, qua fieri potuit breuitate, ha-
 tenus a me expoſita: neceſſe nunc eſt, de con-
 trouerſiſ eius cum doctis agitatis, ſcriptis item &
 operibus, ad poſteritatis memoriam tranſmiſſis, ali-
 qua adtexere. Primum illi certamen cum Coelio
 Calcagnino, *1) docto quodam nec incelebri Ita-
 lo, *2) interceſſit. Liberius hic namque in Cice-
 ronem eiusque ingenii monumenta, officiorum
 praefertim libros, in quibus viginti quinque er-
 rores ſe deprehendiſſe putabat, inuectus, ſcri-
 ptum quoddam, diſquiſitionum in officia Cice-
 ronis, titulo inſignitum *3) reliquisque eius ope-
 ribus

*1) Hunc minus recte Lud. Coel. Calc. vocat Lexici
 eruditi auctor, Hoffmanni Lexico fortatte ſe-
 ductus.

*2) Poeta & orator hic erat ſuo tempore celeberrimus,
 eccleſiaeque cathedralis Ferrarienſis Cano-
 nicus.

*3) conf. ſequent. paginas.

ribus, maiori in forma iunctim editis adiectum di-
 uulgauerat. Itaque officii sui ac muneris esse
 putabat Maioragius, aduersus hunc vnum omni-
 um audacissimum, vt ipse eum vocat, Ciceronis
 insectatorem in arenam descendere. Suscepta
 igitur in se Ciceronis defensione, librum illi oppo-
 suit, decisionum titulo ornatum, tamq. acie, charta-
 que, quod aiunt, dentata scriptum, vt nisi morte
 praeuentus esset, indignatione moriturus fuisse vi-
 deretur. Iisdem paene verbis controuersiam hanc
 describens illustri Leibnizius *1) Scripserat, in-
 quit, Coelius Calcagninus disputationes siue dis-
 quisitiones Basileae apud Frobenium anno supe-
 rioris seculi 44 editas, quibus paulo liberius offi-
 cia Ciceronis reprehendebat. Continuo id male
 habit doctos viros Tullii cultores, ex quibus Ia-
 cobus Gripholus Romae apud Aldum, M. Anto-
 nius Maioragius Mediolani Ciceronis defensio-
 nem videre. Vix autem in lucem prodierat
 Maiorgii haec defensio, cum e vita decessit Cal-
 cagninus, totaque haec controuersia simul exspi-
 rauit. Altera ei cum Mario Nizolio *2) Bri-
 xellensifuit multo grauior controuersia. Ve-
 ram eius originem pauci norunt: tanto diligen-
 tius a nobis explicandam. Decisiones Maiora-
 gii aduersus Calcagninum editas ac reprehensas a
 Nizolio aene peperisse litem plerique arbi-

c 4

tran-

*1) In doctissima sua praefat. quam Nitzolii Antibar-
 baro Philosoph. Francof. in 4. a se recuso praepo-
 suit.

*2) Vid. Lexicon eruditorum p. 314.

trantur. *1) Sed falso: cum ob hanc Ciceronis defensionem Nizolius laudauerit potius Maioragium quam reprehenderit. *2) Editis autem postea a Maioragio Antiparadoxis in paradoxa Ciceronis paulo durius inuehentibus: tantopere ille coepit excandescere ac commoueri, vt acerbissimam ad illum epistolam, septem paginis circiter constantem, ac plenam querelis scripserit. Qua quidem irritatus Maioragius, non statim reprehensionum libros, vt celeberrimus Morhofius opinatur, *3) sed vel apologiam suam, inferius memorandam, vel quod probabilius est, aliam et similem epistolam opposuit. Multo iracundior hinc factus Nizolius quam in superiori proxima epistola minatus fuerat, acerbiores etiam, nisi ab inuectiuis suis absteret, refutationem, eamque vt opinor, nunquam editam, vel hoc saltim tempore rarissimam, cumque multis aliis scriptis obliuioni traditam in lucem dedit. Hinc lite magis magisque quotidie aucta atque exacerbata, aliisque

*1) Huius sententiae quoque videtur esse Libnizius cit. loco ita scribens: Superueniens enim Nizolius Coelium, quod Ciceronem impugnaret, Maioragium, quod Ciceronem & Aristotelem simul defendi posse putaret, perstringendos fuit &c.

*2) Vid. epistol. Nizol. collect. epist. Guian. a Burmanno editae insertam.

*3) In Polyhist. p. 343. vbi sic scribit. Postea vero cum ipse Maioragius antiparadoxa aduersus Cic. scriberet, acerbissimam ad illum epistolam, scripsit Nizolius, qua irritatus Maioragius duos libros reprehensionum aduersus Nizolium edidit fatidicatos &c.

que vitro citroque emissis scriptis, injuriarum
 plenis: tanta denique vis inimicitiae tantumque
 odium inter illos motuum consecutum est, ut
 nullo plane consilio ad pacem concordiamque re-
 duci potuerint. Concurrerant & alia, *1) quas
 inimicitiam ac similitatem eorum plurimum au-
 gebant. Nondum erat oblitus Maioragius, quam
 subdole ac fraudulentè secum egisset Nizolius,
 quam publicè ipsi munus eripere tentasset. De
 quo ita ipse, *2) Septem inquit, ut opinor, ab-
 hinc annis, cum instabili sede atque incerto do-
 micilio conditionem quaerens huc illuc vagareris,
 Mediolanum venisti, quo ego tempore cum, vix-
 sex & viginti annos attigissem, artem oratoriam
 publice docere coeperam. Hic ego te primo de-
 facie quidem, sed non intus, quod aiunt & in cu-
 te, cognoui: cum ipse tua sponte me domum me-
 am non amico sed fraudulentè animo salutatam.
 Ductus ego quadam opinione atque admiratione
 tua, quoniam observationes illas sub tuo nomine
 editas, quas nondum ego videram, maiorem in-
 modum extollebas atque iactabas, te multum ob-
 servare coepi, atque etiam volumen illud obser-
 vationum & habendum mihi in bibliotheca & le-
 gendum esse censui. Posteaque addit: Triduo
 aut ad summum quadriduo post initam cum eo
 amicitiam, nefario proditorum more, conatus est

c 5

mih;

*1) In his invidiosum aemulandi studium, dum qui-
 libet eorum praecipuus esse vellet vid. Ioh. Imper-
 rialis in museo histor. p. 126.

*2) Lib. primo reprehensionum, non longe ab initio.

„mihî publicè legendi provinciam eripere. Sed
 „magno cum dedecore a senatu Mediolanenti re-
 „pulsam tulit. Omnes vno ore senatores affir-
 „mant, longe melius huic provinciae me adhuc
 „adolescens & imberbem, quam eum vetera-
 „num ac senem satisfacere posse. Tam graviter
 ab eo violatus Majoragius, tamen nec cum eo
 ynquam nec cum alio questus est. Tantum
 autem abest, vt hac animi eius mansuetudine ac
 lenitate ab obtestandi flagitio abductus sit Nizo-
 lius, atque ad amici officia reuocatus, vt magis ma-
 gisque in dies cedenti insultauerit, eo in primis
 tempore, cum antiparadoxa luci traderet. Nam
 cum se solum Ciceronis obseruatorem putaret,
 non aliter hanc Ciceroni illatam iniuriam quam
 maledictis, contumeliisque verborum grauissimis
 vindicandam iudicabat. * 1) Itaque non sinistro tan-
 tum sermone eum carpere, & quavis occasione
 Ciceromastigem, aliisque maledicentissimis no-
 minibus appellare, sed & acerbissimis scriptis im-
 petere, Antapologia in primis, quam non calamo
 sed rabie, non atramento sed veneno, non in
 membrana sed atra bili conscriptam ait Maiora-
 gius. Non potuit itaque diutius hic se contine-
 re, quin, cum antea moderatius cum eo egisset,
 eadem dicendi acrimonia virulentiaque composi-
 tum illi scriptum proponeret. Iam praeniderat
 haec

* 1) Majoragius in lib. reprehens. Nizolium inter-
 alia sic accusat. Cum sinistro sermone me car-
 peres, deinde contumeliosis scriptis prouocares,
 deinde quibuscunque posses maledictis publice
 la cerares, &c.

haec Nizolius nondum emissâ tela. Horum itaque declinandorum causa, Sebastianum Corradum virum celeberrimum, & vtriusque amicum, qui pacem inter se concordiamque faceret, ac Maioragium a respondendo auocaret, subornauerat. Data hic igitur ad Maioragium epistola, humanitatis plenissima, sic ad pacem eum adhortatur: *2) Scriuendo hora hora a Roma a Monsignore Marcantonio Flaminio, mi pareua sentir vn contento nell animo grandissimo, considerando haer duo Marcantonii per amici, huomini di tanto valore quanto conosco, & sempre conoscerà tutto il mondo. E fu tanta la dolcezza, ch'io mi risolli

*2) Vid. in collect. epistolar. Gudian. ep. 34. p. 121. Italica sic latine vertas. Scribenti iam iam literas Romam ad Marcum Antonium Flaminium non sine voluptate in animum venit cogitare, binos mihi esse amicos Marci Antonii nomine insignitos: tantorum meritorum homines, quanta totus agnoscit, semperque etiam agnoscet terrarum orbis. Tantamque hinc cepi voluptatem, ut non potuerim non, hanc ad te, carissime vir, epistolam dare, cum ut te salutarem, tum ut facerem te certiozem, quod iam ante infinito meo in te amore ductus scripsi, nihil me magis optare, quam ut meis commotus adhortationibus, ab inepta tandem rixa desistas. Et credo equidem, diuino quodam impulsu factum, ut ita te monuerim, cum omnes in eo docti mecum conueniant, non esse eam laudabilem, sed magno potius reliquis tuis praeclearis cogitationibus impedimento. Bocchius certe eques, cui ego antiparadoxa tua legenda dedi, quique idcirco te admiratur, non
paruum

rifolli, dolce il mio Signor, di scriuerui la presente, per salutarui e di lui, che alli passati anco vi scrissi

paruum ex hac controuersia uestra dolorem capit. Ne nescias, musae ipsae grauius afflictae propterea videntur. Quantum hoc igitur hominibus dolorem afferre putas? Nemo itaque maiori tristitia affigitur Corrado uestro, qui cum doctis omnibus tam deditus sit quam qui deditissimus, toties excrucietur, quoties inter eruditos quoscunque bellum exortum esse comperit. Quanta igitur doloris vi abreptum me esse credis, cum inter duos hoc saeculo nostro praestantissimos ac celeberrimos viros, eosque tantopere mihi amicos litem oriri sentiam. Per meum igitur in vos amorem, quo maior esse nequit, iurans vobis affirmo, me si a laboribus nunc publicis vacarem, Mediolanum ad vos venturum vosque oraturum esse, vt uestram iniuriam, dummodo iniuria est, (quod equidem iam non inquiram, qui pacem quaero potius) mihi beneuole, meoque amori condonetis. Pacem inquam vos oro, vosque obtestor, vt mihi hanc litem condonetis, quam si fieri possit, obliuioni plane datam ac sepultam cuperem. Date mihi igitur suauissimi viri, hanc veniam, quam in commodum uestrum mihi expeto, vt rem totam Corrado uestro relinquatis. Idem Marium orabo, nec dubito, quin ab eo impetrauero, cum facile agnoscat me, quidquid facio, uestri honoris causa facere, omniumque eruditorum, quos equidem veneror, vosque praecae caeteris, a quibus si repulsam ferrem, animum plane desponderem. At me consecuturum esse optatum non dubito, qua spe fretus scribendi finem facio, meque vobis ex animo, de meliori nota commendo, totumque trado
27. die Februarii, 1548.

ferissi, mosso dall' infinito amor, che io vi porto, e vi confortar a lasciar la rissa cominciata, e credo veramente, che iddio mi facesse parlare, perche tutti questi dotti vengono nella mia opinione che non sia cosa di molta laude e di grande impedimento all' altri vostri pensieri. Il Signor Caualliero Bocchio veramente, al quale io feci leggere, vostri antiparadossi e che percio v'ammira, si duole infinitamente di questa vostra controuersia. Vi diro il vero, credo che le muse ne sentino gran cordoglio. Hor pensate che facciano gli huomini. Non è però alcuno che più se ne attristi del vostro Corrado, il quale per esser vero e deuoto seruitor di tutti letterati, piange ogni volta che senta esser nata guerra tra quali siano, che facciano professione di lettere. Come pensate dunque, che io mi doglia hora, che io la veggio nata tra duoi dellj più rari, che habbia l'età nostra e tanto miei amici Signori. Io vi giuro per l'amor, che io vi porto, di cui non può esser maggiore, che se fossero le vacanze, che io veneia Milano, per impetrar questa grazia da voi, che mi donate a me questa ingiuria, se pure è ingiuria, che io non la voglio cercar, ma voglio cercar la pace. E così per questa vi prego, e vi scongiuro a condonar mi a me questa differenza, qual voglio se possibile sia, che la mandiamo in obliuione. Si che Signor miei cordialissimi date mi questo contento, che per vna vostra intendo, che il tutto rimettiate al vostro Corrado. Et il simile farò con M. Mario, e son certo che impetrarò tutto quel, che da

da lui vorrò, perche egli conoscerà che io mouo per l'honor vostro e di tutti i letterati, i quali io adoro, e tra gli altri voi duo, dalli quali se non impetrassi questa grazia, mi disperarei. Ma non dubito, e con questa fede fò fine a questa mia scritta. Di cuore naturalmente a voi mi raccomando & offero. il di 27. Febr. 1548. in Bologna &c.

His amantissimis licet literis, cum praeter omnem tamen expectationem Maioragius nihil responderet: alteras ad eum dabat, hanc in sententiam scriptas: *1) V'ho scritte due altre, *2) mie sopra

*1) Citato loco pagina sequenti. vbi epistola in ordine est 35.

*2) Tertiam hanc esse epistolam super hoc argumento scriptam hinc apparet. quarum prima tamen non extat: sed altera tantum & tertia, quam latine sic conuertas. Binas iam ad te dedi, super controuersia te inter, & Nizolium exorta, in quarum vna, pro ea qua ad te scribens vti soleo libertate, te rogaueram, vt susceptam hanc cum Nizolio inimicitiam mihi condonares. Simile enim faciet Nizolius, iamque ea de re ad illum scripsi, nec dubito, quin hanc mihi veniam sit daturus. Eandem de te spem concipio. Expecto responsum tanto Maioragii mei animo dignam, in tempore mittendam, antequam ulterius res procedat. Nam si tu responderis, nec ille tacebit, resque illi peius ibit. Plura aperirem, si coram alloqui te liceret. Nolo autem chartis hanc committere. Da mihi interim hanc gratiam quam meo omniumque doctorum nomine a te contendo, qui alia a te quam apologias expectant. Nam si existimatio tua defendenda est, alii pro

Sopra la lite che hauete con Mons. Mario Nizolio
 & in vna con quella sicurtà, che di me mi dō
 v'hò ricercato che a me donaste questa differen-
 zia, che il fimil farà il Mons. Nizolio e di ciò gli
 scriuò, e non dubito, che non mi faccia questa
 grazia e la medesima fede hò in voi voi &c. Af-
 petto vna risposta degna di quel bell'animo del mio
 Maioraggio, e quanto più tosto innanzi, che si pro-
 cede più oltre, perche se voi rispondeste, egli poi
 anche vorebbe rispondere e la cosa potrebbe an-
 dar di mali in peggio. Se io vi potesse parlare
 all' orecchio, Signor mio, vi direi più cose, ma
 non vorrei commettere a carta tal cose. Frà
 tanto fate questa grazia a me, che vi la demando in
 mio nome & in nome di tutti i letterati, i quali
 vogliono & ispettino da voi altro che apologie,
 e se bisognera defender l'honor vostro, vi saranno
 che pigleranno l'armi in mani, non che lo sfilo. ma
 non è bisogna, che egli dà se se defenderà. In-
 nanzi pasqua ispetto questa risposta da voi, a cui mi
 raccomando. il di 13. Marzo. 1548. Bologna.
 Cum nec his quidquam literis Maioragius re-
 pōneret, subitacundus, vt videtur, Corradus ter-
 tias *1) vel quartas potius adiecit, seuerius pau-
 lo scriptas. Quarum hic finis est. Ispetto vo-
 stra risposta quanto più tosto, che gia l'ho hauuta
 da M.

pro te non calamum sed arma capient, sed non
 opus est eam defendere, cum seipsam fatis tuea-
 tur. Ante paschatis festum repositionem a te
 expecto, cui me commendo.

*1) Vid. cit. l. p. 123, epistolam ordine 36.

da M. Mario. E sò non non vorrete cedergli in questo di gentilezza, come non voleste ceder nello scriuere de dottrina &c. h. e. Quantocius tuam expecto responsonem, a Mario iam acceptam. Nèc enim te illi humanitate magis quam doctrina concessurum esse putem. *1) Tam saepe igitur tantisque verborum lenociniis ad respondendum prouocatus Maioragius, tenere se diutius non potuit, quin ita Corrado, arbitro responderet. *2) Ternas tu quidem ad me literas te dedisse scribis, sed ego tantum vltimas accepi: in quibus humaniter sane, atque etiam, vt opinor, amice rogas, vt, quam cum Mario Nizolio suscepi litem, vel potius quam ille mecum, is enim me prius temere atque iniuriose lacesiuit, tibi condonem atque illi parcam. Verum mi Corrade, non satis aduertisse videris, quousque nostra contentio processerit, & quam ab eo grauius laesus fuerim. Quis enim Antapologiam eius contra me legens, me ad taciturnitatem inuitet, nisi qui magis eius honori quam meo, faueat? Ego quidem certe, si, saluo honore meo, fieri posset, voluntati tuae libentissime satisfacerem, & Nizolio parcerem: Sed hoc mihi iam non est integrum. Est enim in manibus egregia illa Nizolii Antapologia, in qua plura sunt paene conuicia, quam verba. Le.

*1) Cit. loco p. 123, ep. 36.

*2) Praefixa legitur haec epistola reprehensionibus eius, quam quoniam & alias nusquam apparet, & ad praesentem historiam in primis spectat, totam inseruimus.

ba. Legitur & a doctis & ab indoctis. Itaque licet multi sint eruditi, qui eius ineptias rideant, & maledicta vituperent: nolo tamen hanc tantam in me maculam inueterare. Vnum illud tibi polliceor, me non eius exemplo, charta quod alunt dentata, rem acturum, neque conuiciis, homine ingenio minime dignis, vsurum, sed pro ipsa tantum veritate pugnaturum, neque enim aliquod ego vnum vocabulum, non ita Ciceroniane dictum insectabor, quod ille pueriliter in me cum omni contumelia facit, sed totas eius paginas ita discutiarn, vt omnes admirentur, in eo tam incredibilem fuisse imprudentiam: qui modo secum ipse pugnet, modo fallaciter concludat, modo sensa auctorum perperam interpretetur, modo imperite distinguat, modo omnia confundat. Quin etiam plures locos ostendam, vbi impudenter figgat, & turpissime mentiatur, & tu si verus amicus es, vis mihi auctor esse, vt haec contra me vel potius contra veritatem scripta taceam? Age mitto meas priuatas iniurias, quas obliuisci libenter soleo. Poterone pati publicam tot praestantium virorum, qui dialecticam & philosophiam hodie profitentur, ignominiam? quos scriptis suis Nizolius indignelacerauit? cum dicat, eos nihil penitus quod aut vtile sit aut honestum in scholis suis docere, sed garrulos, ineptos ac loquaces esse: neque veram hoc tempore dialecticam & philosophiam inueniri, sed ineptam tantum & garrulam disciplinam. Imo vero cominus congressus cum aperte desipere, delirare, furere demonstrabo.

d

Quod

Quod cum fecero, hanc, si volet pacem, petat, aut respondeat, nihil enim recusabo. Interea taceat, neque conciliatores & arbitros honorarios quaerat, sed expectet publicum ignorantiae suae praeconium. Te vero, mi Corrade, ita me Deus bene amet, propter summum ingenium & eruditionem tuam vehementer amo. Verum illud a te contendo, ne huic nostrae contentioni te immisceas, priusquam omnes eius a me calumnias refutatas esse intellexeris. Vale Mediolano 12. Calend. April. 1548.

Eandem concordiae, inter celeberrimos hosce duumuiros constandae conciliandaeque prouinciam in se susceperat Ioannes Oporinus, doctissimus ille Basileensium typographus, a Nizolio sine dubio & ipse excitatus. Hinc ille in epistola *1) ad Cicerinum, Maioragii discipulum dignissimum, & amicum summum; Idem etiam, inquit, vel a Nizolio & Maioragio fieri velim, (vt scilicet a concertationibus abstineant.) Et a Nizolio forsitan facile impetraro, vt qui se mihi ex animo bene velle non vnis literis ad me scriptis hactenus testatus fuerit, cuius equidem in prouocando Maioragio petulantiam tantum abest vt probeam, vt per occasionem etiam de ea cum eo expostulaturus omnino sim. *2) De Maioragio quid mihi polli-

*1) Quae in collectione Gudian. est epistola 78. p. 266.

*2) Haec Oporini verba dilucide testantur, rixae auctorem fuisse Nizolium: Satisque causae habuisse Maioragium, in illum inuehendi.

polliceri debeam, tu ipse videris. Vellem autem omnino, quidquid huiusmodi otii ac eruditionis in tales contentiones impendere Maioragius instituit, in aliud argumentum aliquod, & sua eruditione magis dignum & reipublicae literariae utilius futurum impenderet potius. &c. Haec inquam Oporinus, quae flagrantissimum eius conciliandae pacis studium aperte producit. Et inuitus profecto fecit, ut Maioragii illud scriptum contra Nizolium protrusum, reprehensionumque titulo insignitum ex officina sua typographica exire pateretur, grauisimis scilicet saepeque iteratis Maioragii aequae ac Cicerini sollicitationibus propemodum coactus.

Sed missa hac quoque controuersia, ad tertiam denique accedo, quae cum Gaudentio illi Merula, viro semi erudito, qui de Gallorum Cisalpinorum origine & antiquitate libros tres reliquit, intercessit. Obiicerat hic illi crimen, Maioragii iudicio omnium grauisimum. Terentium scilicet ac Ciceronem, quos in vita semper hic maximi fecerat, solosque propemodum sibi in exemplum proponendos, solos imitandos elegerat, non modo ab eo interpretationem haberi, sed & iudicio ipsius damnatos esse, publico quodam, dialogi nomine insignito, scripto *1 affirmauerat. Hanc igitur mendacissimi hominis

d 2

minis

*1) In hoc dialogo plusquam centum errores notasse se pronunciat Maioragius partim contra receptam a Ciceroe loquendi consuetudinem, partim, quod omnino turpissimum est, contra grammaticorum omnium & latinorum auctorum consensum.

minis calumniam ac temeritatem *1) vt a se propelleret : iam non in priuatis amicorum colloquijs, sed pro concione publica, defensionem sui a se suscipiendam publicoque in confessu recitandam putauit. Extat haec eius apologia, superiori saeculo ex repertis Mediolani schedis Ultrae-
 Et in 4. typis edita: Vbi haec inter alia verba, ad pertinentia controuersiae originem leguntur., Me
 „vero quis non intelligit meritisimo excaudescere ? iureque velle tantam iniuriam vlcisci : me
 „iudice damnatus est Cicero, quem vnicum elo-
 „quentiae lumen veneror ? cuius lectione suau-
 „tatem quandam incredibilem sentio, cuius solo
 „nomine recreor ? Pro dii immortales tantamne
 „esse huius falacis impudentiam ? vt tam aper-
 „te mentiri non erubescat ? Sed efficiam hodie
 „profecto, vt luce clarius appareat, Merulam
 „non solum Ciceronem non legisse, sed ne bonas
 „quidem literas vnquam a limine salutasse. & pau-
 „lo post addit. Sed cum omnem in literis mihi
 „auctoritatem conatus sit eripere, impudentissime-
 „que meo iudicio praestantissimos omnium au-
 „ctores, Terentium & Ciceronem mihi familia-
 „rissimos, damnari sinxerit : facere non potui,
 quin eum turpiter mentiri ostenderem &c. In
 tota

*1) Quam falsa haec fuerit Gaudentii accusatio, Ma-
 ioragii illa testantur in reprehensionum libro pri-
 mo vbi: Ego, inquit, non aliunde, iudico, quam
 ab vno Cicerone latini sermonis candorem &
 elegantiam comparari posse &c. Idem in Anti-
 paradoxis, Ciceronem Romanae linguae paren-
 tem, & paulo post Deum suum vocat.

tota igitur hæc apologia, facundissimo ore prolata, nihil aliud agit, nisi vt errores Gaudentii contra sanctitatem commissos *1) pæne puerile et innumeræ, corrigat, castiget. Numquid caeterum huic ille Maioragii apologias postea responderit, quorsumque hæc disputatio euaserit, nos latet. Non probabile tamen est ad mordacissimum hoc scriptum aduersarium tacuisse, cum præsertim plagii eum criminis tam aperte accusauerit; vt propterea non dubitet clarissimus Vir Theod. I. Almeloventius in syllabo suo plagiariorum *2) in numerum eorum, qui scripta aliorum expilant, aliorumque messes, vt in proverbio est, excantant, reiicere. Furtum ipsum Maioragius ita, vt in breuius contraham exponit, *3) Legat quis ea quæ Ioach. Camerarius in primis

d 3

mum

*1) Variæ hic occurrunt obseruationes, quæ latine puritatis studiosis non parum prodesse puriorisque latinitatis indicibus Lexicisque vt vocant Antibarbaris supplemento esse possunt.

*2) Prodit hic liber Amstelod. 1694. in 8.

*3) Scil. in lib. reprehension, primo sub initium conf. Teissier. cit. l. Tom. III, p. 69. it. epist. Maiorag. ad Cicerinum. quæ in append. inuenitur, caeterum nescio quid sibi veliat Gaddii illa in scriptor. non Eccles. p. 52. Maioragius ante annum 1550. publicæ luci donare coepit ingenii foetus haud indignos immortalitate. Nam & multo ante hunc annum sua scripta publicauit Maioragius & post eum Oratio eius in Saccl nuptias reperitur etiam in nouissima illa Maioragianarum orat. & præfat. collectione sæpe edita, vt & sequens in alcatores.

num librum Tusculanarum quaestionum doctissime commentatus est, ibi reperjuntur haec omnia loca, in quibus Ciceronem cum Terentio, Terentium cum Plauto comparat: quae bonus hic pastor Gaudentius ad verbum in dialogum suum traduxit: & paulo post, quatuor pagellas integras ad verbum exscripsisti &c. Haec de controuersis Maioragium inter aliosque viros doctos ac celebres agitatis. Iam varia eius, quae nobis reliquit, docta non minus quam elegantia omnique orationis cultu expolita ingenii monumenta, eo quo licet ordine, quaque fieri potest accuratone, percensebimus. Exordiemur ab iis, quae in prima iam tum adolescentia luci dedit. Horum sine dubio

I. Est in nuptias Philippi Sacci, Patricii Mediolanensis confecta ac recitata oratio. Testatur enim hoc ipse, dum aduersus Nizolium, scripta sua omnia maledicentiae accusantem in haec verba scribit. Videamus ea, quae iuuenili quodam calore magis, quam firmo iudicio iam a me sunt in lucem edita, quae tu omnia tanquam maledicentissima vituperas, vt omnes maleuolentiam tuam agnoscant. Cum essem adolescentulus ac paene puer orationem eam, quam habueram in nuptiis Philippi Sacci, senatus Mediolanensis Principis, emisi, quam plures viri doctissimi & tui dissimiles, vt ab adolescente profectam valde commendarent: in qua praeter laudes ipsius Principis & totius senatus nostri probare etiam conabar seni homini ducentam vxorem esse.

II. Eius

II. Eius scriptum luci traditum, est Oratio in aleatores. Sic enim cit. loco pergit. Non ita multo post exercendi stili gratia in aleatores dechamaui, quam orationem meam cum non ideo scripsissem, ut ederetur, Franciscus Caluus, nippius rerum mearum admirator, me insciente, typis suis publicauit. *1)

III. Sunt Decisiones contra Coelium Calcagninum. *2) Hic enim, ut supra iam attigimus, disquisitiones in officia Ciceronis, octo circiter plagulis comprehensam, emiserat, variis in hoc Ciceronis libro locis censoria virgula notatis. Titulus ipse e. g. non arridet; non de officis, sed de officio, quod ipsius ex sententia, multo plenius atque vberius dictum fuisset, inscribendum arbitratus; praesertim cum & suum de simili argumento librum Panaetius *περὶ τῆς καὶ ἀπορίας* inscripserit. Deinde iustam ac adaequatam officii definitionem a Cicerone non esse datam putat. p. 257. liberalitatem cum iustitia ab eo confundi existimat p. 259. Ciceronem propterea reprehendit, quod ab honesto tantum & utili officii rationem repetat, cum a iucundo quoque fuisset deducenda. p. 260. prudentiam ac sapientiam non satis dilu-

d 4

cide

*1) Conf. de hac orat. supra citatam Maioragii epistolam ad Cicerinum.

*2) Disquisitio Calcagnini reperitur p. 252. in operibus eius, quae Basileae 1544. in fol. apud Frobenium hoc titulo prodierunt: Coelii Calcagnini, Ferrariensis, Protonotarii Apostol. opera aliquot &c. Hanc editionem accuravit Antonius Musa, ut ex praefat. liquet.

cide distingui autumat p. 262. improbat eam, quam de mercatura fert sententiam. Quodsi enim probanda sit mercatura, perinde bonum esse institorem, qui cymbam pipere onustam, quam esse institorem, qui ingentem nauim onerariam remotissimis ex regionibus aduexerit; cum non de quantitate sed qualitate quaestio oriatur. Haec inquam & alia multa in Ciceronis officii loca non bene intellecta Coelius in hoc scripto suo castigauerat, tam friuole & immodeste, vt suarum esse partium existimaret noster, *1) Ciceronis patrociniū suscipere. Peculiare itaque scriptum Decisionum titulo insignitum atque a celeberrimo quondam Graeuio, editioni officiorum; Ciceronis elegantissimae, quae 1688. Amstelodami in 8. prodit; vna cum Calcagnini disquisit. & Iacobi Gripholi defensionibus p. 171. insertum *2) illi opposuit, in quo cum ea, qua solet facundia

*1) Praeter Maioragium Ciceronem defenderunt Iacobus Gripholus, de quo supra, cuius defensiones contra Calcagninum Venetiis 1546. apud Aldum prodierunt, Ioachimus Camerarius, Hieron. Wolffius & Samuel Rachelius. conf. Leibnitium cit. loco, vbi & addit Maioragium, stimulanse imprimis Octauio Ferrario, peripatetico celebri & Nizolii aemulo, quique immoderatam illam de Aristotele iudicandi libertatem concoquere non poterat, tam acriter aduersariis repondisse. conf. celeb. Fabritii Bibl. L. Suppl. p. 325.

*2) Scilicet hoc illi scriptum rarissimum dono miserat celebris Magliabechius. De quo ita in praef. caeterum non possum tacitus praeterire beneficium

diā atque eruditione, singula Ciceronis loca vindicet. Et librum ipsum quidem multo melius de officiis quam de officio inscribi potuisse probat, cum multo haec plenior ac melior sit inscriptio: Omnem enim artem, omnem aetatem, omnem ordinem, omne denique genus hominum his libris comprehendisse Ciceronem, sui que singulos officii admonuisse, necesse igitur fuisse, ut si latine loqui vellet, de officiis non de officio titulum imponeret. * 1) Addit denique scriptores veteres, quoties de rebus quae non vna possint specie comprehendī, verba faciant, plurali numero inscriptiones apposuisse. Veluti Aristotelis libri Physicorum, Ethicorum, Politicorum, Plutarchi item de placitis philosophorum, amatoriae narrationes &c. Admodum adolescentem composuisse hoc scriptum Maioragium, sequentia ipsius verba testantur * 2) Fuerim fortasse vehementis Calcagnini reprehensor & adolescentiae feruor me paulo acriorem reddiderit, nondum enim septem & viginti annos expleram, cum id opus conscripsissem &c. & alio loco: Cur Calcagnino viuentē non contra eum certamen suscepisti, cur expectasti,

d §

vt

um omnibus laudatissimi viri Ant. Magliabechi, qui vt me Tullium & omnem rem literariam sibi infinitis meritis dudum deuinxit, sic ad hos libros ornandos mihi dono misit M. Antonij Maioragii disputationes perelegantē contra Coelii Calcagnini disquisitiones, quas frustra quaesieram in celeberrimis Bibliothecis.

* 1) Vid. Reprehension. lib. H. p. 205. & 213.

* 2) Vid. reprehension. eius libri I. circa init.

„vt ego paene adolescens in medium prodirem, &
 „Ciceronis causam defenderem, expectasti vt ego
 „iuueneri aetate quodammodo exultans tuendum
 „Ciceronem susciperem &c. Quo tempore pri-
 mum, quoque loco exiuerit hoc scriptum, *1)
 dubium quodammodo habere videtur. Maiorag-
 gio ipso teste, Ferrariae primum prodit. Ita
 enim in oratione X. p. 195. Erant in manibus,
 inquit, eo tempore mihi (scil. Ferrariae) lucubra-
 tiones quaedam, quas vt amicis id a me flagitanti-
 bus obsequeror, in lucem emittere cogitabam :
 quae verba paulo postea haec sequuntur : Pri-
 mum igitur Ferrariae cum orationes quaedam
 meae defensionesque Ciceronis contra Coelium
 Calcagninum in lucem venissent &c. Cum his
 autem pugnat epistola dedicatoria, scripto huic
 praemissa, quae octauo Iulii die anni 1543, vt
 ex *avarsia* patet, conscripta est, certio-
 remque facit lectorem, eo adhuc tempore publicum
 munus suum tranquille Maioragium Mediolanense
 in vrbe obiisse. *2) Non esse concilianda haec
 inter

*1) Baetio optante 1543. prodit : sed hoc fal-
 sum est.

*2) Scilicet huc spectant epistolae verba : Accesser-
 ram nuper in forum, quo mihi rarissime per-
 occupationes meas licet accedere, cum iuuenis
 quidam ex his, qui me publice proferentem au-
 diunt, familiaris ac necessarius meus, mihi libel-
 lum attulit, quem nunquam antea videram, in
 quo mira quaedam se legisse dicebat, & ante e-
 um diem inaudita : nempe Ciceronem in officia
 quinque & viginti locis a Coelio Calcagnino no-
 tatum & reprehensum.

inter se pugnancia loca, fortasse aliquis putet; & vel errorem memoriaeque lapsum, vel fraudem commisisse aliquam Maioragium nostrum suspiceretur. Verum salua res est. Viam inuenit Baelius, qua haec in speciem pugnancia conciliet. Nempe ille sic existimat: anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, hoc est eodem, quo modo commemoratam epistolam Mediolani exarauit, anno, nondum has terras hostilia arma infestasse, id quod sequenti demum anno factum est. *1) Volentem autem postea Maioragium typis hoc scriptum diulgare, exorto bello Ferrariam confugere coactum, ibidem edidisse. Altero itaque postquam docendi munus Mediolani obtinuerat, anno circiter, hoc est millesimo quingentesimo quadragesimo primo scribendarum harummet decisionum initium fecit *2;) quadragesimo tertio Mediolani adhuc mortuus praefationem adiunxit, & quadragesimo denique quarto Ferrariae inter belli tumultus luci dedit. *3) Caeterum hic

hic

- *1) De hoc belli tumultu ita Baelius in Lex. cit. l. Puisque les leçons publiques cessèrent, a cause que l'armée de France est arriuée dans le Piemont, il faut mettre cette interruption en 1544. Le Duc d'Enguien fut envoye cette année là en Italie avec un renfort des troupes & gagna la bataille de Carizolles. &c.
- *2) Nondum enim septimum ac vigesimum annum se expleuisse tradit, cum hoc opusculum conscripserit.
- *3) Hanc supputandi rationem varia probant in Ma-

hic Maioragii liber non defensionem tantum Ciceronis sed & varia grauius & acerbe dicta continet. *1) Diffusetur hoc quidem auctor, Nizolium in reprehensionum libro sic compellans. Nullis Coelum conuiciis, nullis maledictis ita exagitaui, vt tu praeclare censor & magister morum me insectatus es. Et eodem reprehensionum

ioragianis scriptis loca. In primis ille reprehension. lib. 2. p. 203. Quid? posteaquam decisiones meas vidisti, cur non statim si te Ciceronis causa mouebat, ea quae a me non recte defensa intelligebas, iterum defendidisti, cur post annum quintum atque amplius, ex quo in lucem venerunt, decisiones nunc tandem (scilicet anno 1548.) prodis. &c. Pertinet huc quoque epistola Maioragii, lib. I. epistol. quae est septima, quae non Ferrariae tantum 1544. vt in fine videtur data ac conscripta est, sed & non multo ante Maioragium eodem peruenisse testatur.

- *1) Ita e. g. p. 231. edit. graecian. tanquam Thraso, inquit, nihil aliud quam gloriam ambire videris. & p. 260. Non dubito, quin omnes agnoscant, te latinam linguam nunquam didicisse, qui nescias apud Latinos scriptores sapientiae nomine philosophandi rationem omnem contineri &c. Et p. 208. hic ironicis verbis Calcagninum perstringit. o praeclarum ac omnium literis ac sermone praedicandum facinus! vnum exitisse post hominum memoriam Calcagn. qui Cic. Romanae linguae Principem aggressus, gladium ei de manibus tanquam Marculi clauum eximere, atque illum transfodere conatus sit. Verum libet mihi cum Aenea Virgiliano tanquam ex alto loco proclamare. *Quo moriens ve ruis maioraque viribus audes.*

nunt libro p. 9. Quid ? inquit, in Decisionibus contra Calcagninum, quibus Ciceronem defendo, potestne quisquam aliquid maledictionis notare vestigium ? At illi contradicit Iacobus Gaddius, sic scribens. *1) Tantis tamen literatus tantisque Gyraldi laudibus onustus non caruit contemptore & censore rigidissimo. Siquidem Maioragius in libro, in quo Decisiones 25. quibus M. Tullius Cicero omnibus C. Calcagnini comminationibus liber, at multis verbis contemptu ac contumelia proscindit Coelum & Tom.H. p. 51. animose, inquit, ac luculenter scripsit contra Calcagninum, quem atrocius laceravit &c.

IV. Sine dubio scriptum sunt Antiparadoxa eius. Cum eia loco Maioragius sic pergat : Scripsi deinde Antiparadoxa, quae te ideo excruciarunt, non quia quisquam in eis Ciceroni imaledicat &c. Paucorum in manibus est scriptum, nec multis notum. In eo autem adolescentes inter se sermocinantes, variaque in Ciceronis paradoxis loca, non tam eius accensandi, quam ingenii exercendi gratia introducuntur. *2) Nam ita ipse cit. loc. In antiparadoxis, inquit, modestissime se gerunt adolescentes, qui ibi loquuntur, leniterque Ciceronem accusant, magis adeo ve
me

*1) In libro de Scriptor. non Eccles. Florent. edito. T. I. p. 121.

*2) Multa conditione hoc quoque scriptum referunt, variaque Ciceronis aliorumque veterum Philosophorum ac Rhetorum loca docte explanantur.

me ad respondendum prouocent, quam ut de Ciceronis maiestate quidquam detrahant, quod vel coeco perspicuum est. Negam tamen nequit Maioragium, ingenii doctrinaeque fortasse ostentandae causa longius interdum processisse, suaeque nimium ingenio indulgisse. Nactus propterea est acerriuum in Nizolio aduersarium, eo in primis irritatum, quod non Aristoteli tantum, quem parum ille aestimabat, inuidibile quantum tribuisset, sed & Ciceroni interdum ipsi praetuleret. *1) Non potuit itaque sibi temperare, quin Ciceromastigem aliisque contumeliosis nominibus Maioragium passim appellaret. *2) Iustitiae an iniuste hoc factum sit, alii iudicabunt. Ipse quidem certe Maioragius hanc omnem a se amotam

*1) Ita e.g. Maiorag. in Repreh. lib. I., Cap. V. p. 14. Profecto inquit, quanto in dicendi facultate caeteris omnibus non latinis tantum, sed etiam, meo quidem iudicio, graecis antecelluit, tanto in differendi ratione Aristotele caeterisque Peripateticis inferior est.

*2) Gaddii ex sententia Ciceronis paradoxa omnia a Maioragio refutantur; Ita enim in laudato libro p. 119. Ego vero, inquit, non laudarem Maioragium ob rigidum vel contumeliosum dicendi genus, quem laudo ob eloquentiam & doctrinam a me conspectam in particulis nonnullis huius operis (scil. decisioh.) & alterius, inscripti anti-paradoxon lib. 6. in quibus M. Tullii Ciceronis omnia paradoxa refelluntur, quosque Alciato magno dicauit &c. Verum fallitur hoc suo iudicio Gaddius, cum nec omnia paradoxa Ciceronis nec tota ea refutauerit.

amorem vult suspicionem. Volo, inquit, *1) vt ipsa Antiparadoxa, propter quae me Ciceromastigem ausus es appellare, te iugulent, primo quia in eis satis doceo me Ciceronis esse maxime studiosum & eius nominis amantem: Deinde quod etiam multis locis eum laudo. &c. Eiusdemque libri toto capite quarto probat, non suo ex sensu se locutum, sed ex eorum opinionibus qui ibi colloquuntur. Consuetudinem autem esse philosophorum & oratorum, vt vel per alienas personas vel per suas aliqua vituperent, eademque deinceps laudent. Prouocat etiam ad epistolam antiparadoxis suis praemissam nec magis vere Ciceronis a se placita accusari quam vel apud Platonem, Philosophia a Callicle quodam, vel iustitia a Trasymacho improbatur. Et profecto si quod res est dicendum: excusandum potius quam reprehendendum tantopere Maioragium in hac causa esse existimo, cum ioco potius *2) quam serio

*1) Conf. Reprehens. lib. I. cap. IV. p. 13.

*2) Cit. loco. Editis, inquit, in lucem antiparadoxis, in quibus exemplo doctissimorum & clarissimorum hominum, qui hoc genere scribendi se se frequenter exercuerant, me iussisse, declarat epistola, quam eis praeposui, quae etiam ipsa eorum plena est. conf. eius libri p. 16. vbi sic scribit: Quid ea collatio, qua significo me non minus peccare, si Ciceronis rationes falsas esse credam, quam eos, qui vel aënum esse mortalem, vel nullum esse Deum putant. & paulo deinceps. In paradoxis, inquit, ubicunque me loquentem facio, Ciceronem iniuste accusari dico. Quid

serio Ciceronem in paradoxis philosophantem carpat, fatisque alias ostenderit, quanta eum veneratione, quanto animi cultu prosequatur. Caeterum quo anno scriptum hoc prodierit, non adeo exploratum est. Verosimile tamen videtur circa annum 1545. vel 46. publicatum esse. Haec eba: quondam in animo Ioannes Oporinus, doctorum virorum in Ciceronis orationes & Philosophicae lucubrationes denuo editurus Maioragii Antiparadoxa iis adiungere. Hinc ita ad Cicerinum: *1)

„Praeter haec vehementer te orarim, ut a Maioragio mihi exores si quid forte annotationum habeat aut obseruationum in Ciceronis orationes aut Philosophicos eiusdem libros, mecum ut communicare ad proximam aestatem velit. Sum enim editurus doctorum hominum in Ciceronis orationes & Philosophicos libros eiusdem lucubrationes, quas & antea, ut nosti, semel edidi, & cuperem noua aliqua accessione editionem illam commendari denuo. Et si nihil aliud Antiparadoxa saltem D. Maioragii adiici paradoxis Ciceronis poterunt. In quibus si quid a D. Maioragio vel emendatum vel mutatum esset, eius mihi copiam ab illo fieri cuperem. Mittere autem haec ille Maioragius detrectauit, nondum satis, ut putabat, exasciata ac perpolita. Quo factum est, ut nunquam postea, quantum

nos

Quid quod in eadem epistola eos occulte mordeo, qui veteribus contradicere student, quaeruntque per alienam ruinam emergere.

*1) In Gudiana collect. epist. 7. p. 160.

nos quidem scimus, typis iterata, rarissimam inter
libros hodie numerentur.

V. Scriptum est oratio eius apologetica, an-
no 1548. publici iuris facta quod his ipse verbis
testatur. Ecce autem anno superiore (hoc est 48.)
in senatu Mediolanensi de mutatione nominis caus-
sam dixi: quae oratio mea est in manibus omnium.

VI. Est apologia contra M. Nizolium, eodem
ut videtur, anno publicata. Haec enim c. l. ad-
dit Maioragium. Emissandem, iniuriis tuis cor-
actus Apologiam contra te, qua pro meritis in me
tuis tecum egi quam lenissime. Certaminis hu-
ius, ut iam supra memoravimus, initium fecerat
Nizolius, editisque scriptis Maioragium prouocauit.
Primum quale scriptum fuerit: obscurum
admodum & incertum est. Leibnizius opinatur,
defensiones eius pro Cicerone *1) reliquis ante-
cessisse. At fallitur in eo celeberrimus vir:
cum iamdudum antea certamen initum fuisse
appareat. *2) Epistolam potius, Gudianae, quam
celeberrimus Burmannus edidit, collectioni inser-
tam, primum esse scriptum putamus Maioragio
oppositum. *3) Haec, ut opinor, excepit volu-
men

*1) Haec partim separatim prodierunt, partim sub
indice defensionum aliquot Ciceronis locorum
editioni Ciceronis officiorum Venetae anni 1554.
in fol. subnexae sunt. Easdem etiam editioni
officiorum Cic. Venetae de anno 1568. subiectas
esse, memorat Fabricius in Suppl. Bibl. Lat. p. 138.

*2) Vid. Maiorag. in reprehens. libris passim, in pri-
mis p. 203. & seq.

*3) Patet hoc ex tota epistola, inter alia ex his ver-
bis.

„meh aliquod typis non impressum: de quo in
 „in primo reprehensionum libro p. 18. quæ in
 „tua, inquit, locutione notaram, partim sin-
 „gula defendisti, partim quia primum contra me
 „volumen tuum non est typis impressum, ore du-
 „rissimo pernegasti, quæ fuga tibi nunc præcisa
 „est, quoniam in manibus est antapologia tua. &c.
 Quomodo inscriptus fuerit hic liber, parum con-
 stat. Certum tamen est, vel probabile saltem,
 Antiparadoxis fuisse oppositum. In hanc enim
 sententiam scribit Maioragus: * 1) „Editus in tu-
 „ncem Antiparadoxis, quanto opere in me debacchatus
 „es? quis te pestiferum, in me virus ebriamentum
 „non audiuit? Vos, vos appello, viri eruditissimi,
 „quos ego pro singularibus atque eximjis virtutibus
 „vestris maxime veneror, atque suspicio, Pante
 „Manuti, teque Octaulane Scote. Vos non sine
 „taedio frequentes in me Nizolii latratus audiistis,
 „Vos volumen illud veneni plenum vidistis ac le-
 „gistis, quod ad me more scilicet amicorum ac
 pro-

bis. His itaque de causis factum est, ut te non
 tanquam inimicum, edito libello inimice refutan-
 dum, sed tanquam amicum per literas familia-
 res amice reprehendum & quasi admonen-
 dum putarim &c.

* 1) Huc pertinent Nizolii illa in citata eius epistola:
 De caeteris, quæ ad veritatem, vel falsitatem pa-
 radoxorum pertinent, ut aduersus argumenta Ci-
 ceronis a te dicuntur, alio loco scribere cogita-
 mus, hoc est in explanatione Paradoxorum, quam
 differre volumus tamdiu, dum ad hæc respon-
 deas &c.

propterea hominum, non fatendum iudico-
rum prius iuris &c. Atque hoc ipsum sine du-
bita volumen est, quod in praesenti hac Apolo-
gia refutandum sumsit, tam virulenter conscripta,
ut novam illi refutationem Nizolius, Antapologiae
titulo affectam continuo obuerterit, omnium fa-
cite scriptorum, contra aduersarium emissorum,
vehementissimum & acerbissimum. * 1) Quod ne
impune fecisse videretur, par pari referendum ar-
bitratus Maioragius, eadem illi vehementia com-
positum sequens scriptum illi opposuit * 2) quod
in ordine est

* 1) Hinc in reprob. p. 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14. & 15. & 16. & 17. & 18. & 19. & 20. & 21. & 22. & 23. & 24. & 25. & 26. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31. & 32. & 33. & 34. & 35. & 36. & 37. & 38. & 39. & 40. & 41. & 42. & 43. & 44. & 45. & 46. & 47. & 48. & 49. & 50. & 51. & 52. & 53. & 54. & 55. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60. & 61. & 62. & 63. & 64. & 65. & 66. & 67. & 68. & 69. & 70. & 71. & 72. & 73. & 74. & 75. & 76. & 77. & 78. & 79. & 80. & 81. & 82. & 83. & 84. & 85. & 86. & 87. & 88. & 89. & 90. & 91. & 92. & 93. & 94. & 95. & 96. & 97. & 98. & 99. & 100.

* 1) Hinc in reprob. p. 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14. & 15. & 16. & 17. & 18. & 19. & 20. & 21. & 22. & 23. & 24. & 25. & 26. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31. & 32. & 33. & 34. & 35. & 36. & 37. & 38. & 39. & 40. & 41. & 42. & 43. & 44. & 45. & 46. & 47. & 48. & 49. & 50. & 51. & 52. & 53. & 54. & 55. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60. & 61. & 62. & 63. & 64. & 65. & 66. & 67. & 68. & 69. & 70. & 71. & 72. & 73. & 74. & 75. & 76. & 77. & 78. & 79. & 80. & 81. & 82. & 83. & 84. & 85. & 86. & 87. & 88. & 89. & 90. & 91. & 92. & 93. & 94. & 95. & 96. & 97. & 98. & 99. & 100.

* 2) Antequam huic scripto respondisset Maioragius, defensiones ille suas publicabat contra Calcagninum aequae ac Maioragium directas. Hasque respicit noster, quando in reprehension. p. 124. scribit: Aliam nobis librum mittendo polliceris, in quo demum Ciceronem defendas. Expectemus igitur praecellam illum atque egregium librum, duobus illis (scilicet in edite volumini & antapologiae) credo similem, quos omnium rerum inopes & egenos canoris nugis & maledictionibus refertissimos ad me misisti. Paulo modestius compositum, nec tam multis quam reli-

qui

VI. Hunc præferens titulum : M. Antoni Ma-
 ioragii reprehensionum libri duo, contra Mariam
 Nizolium Brixellensem, in quibus multa & varia
 disputantur, quæ cum magnam in legendo iucun-
 ditatem, tum non mediocrem utilitatem afferre
 possunt: huc accessit reculatio omnium eorum,
 quæ Nizolius in decisionibus eiusdem M. tan-
 quam male posita notavit. Totus hic liber vno
 alphabeto & sex plagulis in 4. constat: Medio-
 lani, quantum ex titulo perspicitur, impressus. At
 commentitium hunc esse impressionis locum, pro
 Basilea positum, nec ex aliâ, quam Joh. Oporini
 nitidissima officina produisse, cum typus ipse,
 si quis alius correctus & elegans, tum epistola O-
 porini ad Francisc. Cicerinum, hoc ipso anno
 data, significat. Reprehensiones Maioragii, in-
 quit, cum dudum impressissem, nisi maioribus ali-
 quot operibus occupata fuissent prela. Non du-
 bito autem, si mundanis Francofurtensibus red-
 dero, tam absolutas eas esse vel intra paucos dies
 absolutum iri. *) Dederat scilicet negotium Ma-
 ioragius amico cuidam suo Cicerino, Mediolani
 tum versanti, ut cum typographo quodam Ger-
 mano, aut aliquo alio ageret, per quem reprehen-
 sionum

qui maledictis refertur fuisse titulum eodem libro
 p. 203. testatur his quidem verbis: Quo in
 opusculo licet non tam rabiosus sis, quam in An-
 tapotogia tua fueras, credo quia totum in ea vi-
 rus tuam effuderis &c. conf. etiam de hoc Nizolii
 libro celeberrimum Fabricium nostrum in Bibl.
 Lat. eiusque Supplement. loco.

*) Vid. in Cuiuslibet epist. 30. p. 169.

scriptis hinc hinc, aliaque in posterum scripta,
 divulgaret. Scribit itaque Cicerinus ad Michae-
 lem Singrinum, Typographum Basileensem et
 quidem proponit. *1) Qui cum conditionem
 eandem acciperet, sed ob impedimenta, nescio quae,
 impediendi negotium differret: datis hic ipse ad
 Christophum Hieris, sententiam illius de hac re ex-
 quitur. *2) Ad quas ille comitet, multisque ver-
 borum lenociniis, libenter se illi quavis alia in re
 gratificaturum respondet, tantopere se autem ab
 quomodolibet, quibus eruditi vicissim se impugnant,
 atque de alterius fama detrahere conetur,
 scriptis mandudum abhorrere, ut religioni sibi du-
 cas Maioragii hoc scriptum aduersos Nizolium
 imprimere. Et ipsa auctoris verba: *3) Equi-
 dem ut nihil magis in votis habeo, quam ut & tibi
 & Maioragio gratificari aliqua in re possim: ita
 quousque illa in re id fieri velim, quam hu-
 jusmodi concertatione ac veluti perorata, et per vos
 publicanda, quam Maioragium suscepisse cum Ni-
 zolio scribitis. Quam potius velim me tantum va-
 leat apud te & Maioragium auctoritate, ut fopire
 potius, si qua inter ipsum & Nizolium eodra est
 simultas, possim, quam ut promulgandam esse
 censeam. Indignas postea has esse eruditorum
 concertationes, ipsisque auctoribus perniciosas ac
 que ac ignominiosas: duorum sui temporis cele-
 berrimorum virorum Cornarii & Fuchsi pla-

e 3

mum

*1) Vid. ep. 76. p. 184.

*2) Conf. & Maioragii Ep. ad Cicerinum in append. 3.

*3) Epist. 78. p. 165.

num facit. Mille denique alia argumenta suppetere existimat, in quibus eruditi se exercent, tota propemodum mundo huiusmodi apologiis, & rixosis libellis satis operato. &c. Cum vero nihil fecius Maioragius suo publicandi proposito impaereret, acriusque etiam instaret; hac denique conditione librum se impressurum in se recepit, si recto vel plane prætermissio Nizolii nomine, & maledictis omnibus abstineret. Qua de re ad Cicerinum ita scribit: * 1) Scripseram de Maioragio nostro, me in excudendis illius lucubrationibus tam libenter operam meam omnem impensurum, quam in cuiusquam alterius, qui hodie vivit, eruditi hominis. Solum hoc deprecabor, ut si omnino scriptum illud, quod contra Nizolium iam abfoluisset, edi in lucem cuperet, ab illius nomine publice infamando abstineat, & scriptum ipsum non ederet, ut a Nizolio saltem & paucis aliquibus amicis intelligi facile posset, contra quem esset scriptum nomen vero ipsius interim non traduceret, rem infamam, ac disputationis institutæ veritatem publice adstruxisse contentus. Nisi forte in paucis aliquot exemplaribus, exprimi etiam Nizolii nomen vellet; & quibus videretur, distribuere cuperet in reliquis, quæ passim divulgari deberent, solum contra quendam, &c. nullius nomine expresso, fieri editionem passurus esset. Hactenus Oporinus & alij inquit

1) Vid. epist. 79 p. 167. integra hic epistolarum loca nos inseruissè, excusabit lector; cum ad Maioragianorum scriptorum historiam in primis illa pertineant, frustra que alibi quaerantur.

in quibus æquissima profecto pollulat. Condicio-
nem hanc tamen vitium impleverit, Maiorogium,
etatenqua Nizolis in plerisque exemplaribus omi-
feris, incertus sum. Ab acrimonia certe stulti, plu-
rimisque sarcasms aliisque dicendi aculeis non ab-
stinuit. Inquit ad librum ipsum accedamus, mul-
ta hic quidem conviciorum ac querelarum gene-
ribus est referta. multa vero etiam doctrina præ-
ceditur: multaque ingenii luminibus distinctis.
Quocirca nonnumquid oculos convertas, variis quasque
figuris, aliquisque dicendi artificijs ac phrasium
ornationis seu floribus conspersa vides. Præter
ea, quæ amone hic liber est, nec sui facile
sediolam lectorem a se dimittit. Tantas vero etiam
veritatis et boni in plurimis non privatis tantum
sed & publicis bibliothecis frustra quaeras. Hanc
durogensatem nostram cum multis alijs, quæ arita-
de se continent, hinc & hunc effruat. Ex qua
cum a nobis hinc literatissimoque librorum præ-
facto, clarissimo D. Suriano nobis prope per-
que hancque nobiscum communicavit. Horum
que non possident, nec utquam foretse maniscen-
tur in gratiam, paulo accuratius illum, quod ad
præcipua saltem capita, rerumque in iis compre-
hensarum momenta descriptum exhibemus. Binis
igitur libris constat, quorum alter quindecim, alter
sedecim capita complectitur. Uterque refuta-
tionem continet eorum, quæ in antapologia Nizo-
lius dixerat. Ac generatim quidem rationum ar-
gumentorumque inopia ad consilia ac mendacia
confugisse probat, ostenditque se minime inimi-
citi-

curarem esse auctorem, non sua sponte sed calculatis
 eius rationibus, ad festinandum venisse. Quamque
 obrecitavit Nizolius, scripsit ipsam omnium malis
 illis esse plena, in eo mensuram doceret, nec mi-
 nus in eo quod Ciceroni assigem se vocaverit, quoniam
 non ex suo sensu locusus sit, sed eorum, qui ibi collo-
 quantur cum etiam dixerit, Nizolius, Aristoclema-
 non, ut Philosophum sed et perfectum oratorem
 Ciceroni differendi Principem appellaret: in eo esse
 discipulum significat: in eo quoque frustratum, quod
 oratores in differendi ratione dialecticis et philoso-
 phis longe esse superiores adstraxerit, nulla pla-
 ne rationum fundamento subnixis. Negavit
 Nizolius dialecticam oratori esse necessariam, quam
 illi imperitiam commiserat, locumque Ciceroni
 quendam ex tertio de oratore libro, quem in senten-
 tiam suam fuisse traxerat Nizolius, ingeniose non
 minus quam docte vindicat. Varia deinde alia Ni-
 zolii asserta, veluti dialecticam ideo differendi ar-
 tem non esse, quod disertos homines non efficiat:
 veram dialecticam a bonis auctoribus vituperari
 potius, quam laudibus offerri: veram illam
 non esse, nisi in philosophis, et in antiquis
 auctoribus, et in philosophis, et in antiquis

1.) Nizolius atque ac Minibrasius, hic in excessu,
 ille in defectu mihi peccasse videntur. Hic enim
 dialecticam nimis extollens, hanc unam esse sci-
 entiam veri & falsi disceptatricem esse aiebat,
 cuius praesidio si reliquae disciplinae priuenter,
 nullo modo fides sua tueri posse. eandem quae-
 que magistrum ac dominam reliquarum scien-
 tiarum ambrosiositate factabat. Ille contra ni-
 mis eam deprimens contemnebat, nullamque
 superesse plane dialecticam putabat.

antiquam dialecticam nostris his temporibus
 non tueri, Philosophiam Academicam & Pe-
 riptericam adhuc integras extare & perfectas:
 plerumque quae sub Aristotelis nomine leguntur opo-
 ra, Aristoteli non esse. *1) Stoicorum paradoxa
 esse Socratica. *2) inconstantem Socratem fuisse,
 huc eadem semper mente ac sententia consistisse:
 hanc in quarum & alia veritati contraria Nizolii affer-
 ta in hoc primo reprehensionum libro grauius ac
 doctius refellit. *Enchiridion*, in quo maiusculis &
 impudens quosdam officio functum Nizolum
 in suscipiendis cetera se inuentionis ostendit. Ex-
 plicat deinde, quae sit *enchymena*, quosdam dicit
 esse eius significare ac Nizolo plane ignorata. Ex-
 plicit tunc *Enchymata* demonstrat, quando is in im-
 perfecta *enchymata* putat, non ad materiam pro-
 habilem sed ad formam syllogisticam refert. 2.
Enchymata eandem non habere materiam
 quam syllogismos. 3. conclusionem argumens
 non in fine sed in principio tantum po-
 nitur. *Enchymata* Rhetoricis conclusionem
 plerumque esse desiderari. Neque minus probat,
 Nizolum de *enchymata* lectum sibi ipsi con-
 muni.

*1) Scilicet ut segre faceret Maioragio, qui Aristo-
 telis lectione mirifice tenebatur, tenuissimis
 quibusdam coniecturis contra doctissimorum &
 omnium sententiam plenaque scripta Aristotelis
 esse negauit: ad quae respondens Maioragio,
 nec plura inquit, Aristotelis opera interierint,
 tamen ea adhuc supersunt, quae omnium prac-
 stantissima iudicantur.

*2) Conf. epistolam Nizolii ad Maioragium

tradidisse, duosque gravissimos errores incidisse, propriam quoque disisse, materiam enthymematum probabiliter concludere. His, inquam, scite solideque contra Nizolium disputatis, sequentia adversus eundem asserta vindicat. 1. voces leviutesque, quas in antiparadoxis cum minus latinas reprehenderas * 1) recte a se positas, 2. Nizolium non tantum non latine, sed ne grammaticè quidem loquendi rationem nosse, penitusque barbarum esse scriptorem, 3. Iudicium Nizolii de latinis scriptoribus plane esse falsum, 4. in disputando potius rationum momenta quam verba ipsa spectantem, 5. ridicule fecisse Nizolium, qui observationum suarum errata prius defenderit, quam quid in eis reprehendatur sciret, 6. Platonem nusquam a secerone vituperari, seque non sine auctore dixisse, trinitatem in Platonis dialogis, inveniiri. Inter cetera, quae in hoc opusculo occurrunt, notatu digna memorabilis illa duplicis plagii literarii a Nizolio commissi accusatio. Ac primum quidem de observationibus eius latinae linguae loquens, in quibus confarcinandi, neque artem nec iudicium adhibuisse multaque in eis cum falsa et absurda atque ridicula miscuisse, ait, de his inquam verba faciens, palam eius esse negat, Longolio potius

* 1) Scilicet ille scripserat rationes adducere, pro affertis ferre, putò sequi quod, pro infinitivo, a geritudo pro participio: clausulam pro membro, operari pro laborare. Metaphysica in sing. pro plurali. Nocumentum denique pro violatione, & parricidio, pro: morte parricidarum.

tunc, ut a multis doctissimis viris audiverit, adscri-
 bendis. * 1) Hunc enim illas non ut ederet, sed ut
 Ciceronis, cuiuserat studiosissimus, locos ad manus
 haberet, in vltim suum congesse. Has postea Ni-
 zolium, cum post auctoris mortem in eas incidisset,
 opere quasi simultuario congestas, nonnullis addi-
 tis ac immutatis, pluribus perperam interpretatis,
 omnes tandem pro suis edidisse. * 2) Et alio loco:
 Ego quidem, inquit, in iis observationibus quas
 Longolii surripuit & interpretationibus tuis au-
 ctas sub tuo nomine edidisti, multa errata notavi.
 Deinde in responsionibus eius ad Calcagninum (per
 quas, ut opinor, defensiones eius intelligis) tota non
 solum folia sed & capita expilasse clamat. * 3) Cum
 responsionem, inquit, tuam ad Calcagninum legis-
 sem: fuzites se meundē ridere coepi, quod non
 tantum verborum meorum sensum, velt atis fe-
 eisti

- * 1) Libro reprehension. p. 198. Lexicon hoc Nizolii
 farraginem sordidorum verborum, quam obser-
 nationibus Longolii adiunxerit, & syllabatim
 emendicatum opus.
- * 2) Hoc loco rationem simul ac viam aperit, qua pos-
 sit illud opus ita disponi & locupletari, ut longe
 facilius & vtilius LL. studiosis enadat. iuvenes in-
 de barbare loqui discere, postea affirmat. Denique
 iuvenes hortatur, ut reiectis his penitus obserua-
 tionibus Riccii potius & Doletii manuductionem
 sequantur.
- * 3) Huc pertinent illa Matoragii reprehens. p. 213.
 In secunda disquisitione si quid bene dixisti, par-
 tim ex duabus decessionibus meis secunda & vi-
 cesima collegisti, partim Iacobo Grifoto, qui post
 te in Calcagninum scripsit surripuit.

est. Sed etiam ipsa pœne verba omnia mihi, quibus
Cicerodem nouo scilicet & inaudito modo detendis,
surripisti. His in fine denique adiungit recusatio-
nem omnium eorum, quae Nizolius in decisio-
nibus eius tanquam male posita notauerat. Cuius
scribendae occasionem sequentem affert. Cuius
iam superiores duos reprehensionum libros absol-
uissim: allatae sunt ad me tuo nomine, nescio quas
defensiones, *1) hanc conscripse, contra Coeli Cal-
cagnini disquisitiones *2) in officia Ciceronis, in
quibus me etiam oblique faceras, quod quibusdam
in locis non satis in decisionibus meis defendisse tibi
videar &c. *3)

VIII

*1) Haeserit iam confectum diuque post Calcagnini
mortem, (decem scilicet annis circiter praeterlapsis)
Maioragius in reprehensionum libro I. circa in-
tium affirmat, haec adiiciens: nunc tandem cum
tribus conclusiunculis in medium prodis, qui-
bus scilicet non tam Calcagninum Ciceronis accusato-
rem, sed me etiam eius defensorem inuadas.

*2) Alii 25. alii 26. disquisitiones numerant. In
titulo autem scripti nihil aliud inuenitur: quam
disquisitiones aliquot in Cic. offic. &c.

*3) Cont. omnino de hoc libro epistolam Maioragii
ad Cicerinum, quae in saepe laudata Gudiana
collectione inuenitur, & appendicis loco in cate-
dedicta est. Cæterum hisce Maiorag. reprehen-
Nizolius postea, quantum scimus, non respondit,
nisi quod in Antibarbaro suo Philosophico, Ma-
ioragii hinc tantum locis, breuiter eum refellens
meminerit. Postremum librum, ut supra iam in-
dicauimus, illustris Leibnitzius, imprimendum
denegauerat, idque eo, ut memorat consilio, ut
vel

no VIII. Maioragi scriptum, in lucem publicam
 prolatum, est Paraphrasis eius in quatuor Aristote-
 licos libros de celo: graeco: *τῶν τεσσάρων βιβλίων* &
 quae celeberrimo Fabricio nostro in Biblioth. graec.
 Tom. II. lib. 3. p. 126. Basileae 1554. in fol. edita.
 Hanc quoque paraphrasin ex Oporiniana officina
 prodidisse, Oporini illa ad Cicerinum c. l. ep. 96.
 p. 182. verba indicant. Absolui tandem paraphrasin
 Maioragi nostri in libros Aristotelis de celo
 (scripta est epistola 1554. prid. id. Aug.)

IX. Est doctissimae eius opus in Oratorem Ci-
 ceronis, hunc praeferebat titulum: In Oratorem
 Ciceronis ad M. Brutum Commentarius, nuper
 adeo in eloquentiae studiosorum gratiam conferi-
 ptus tuncque primum in lucem editus: accessit lo-
 cuples rerum & verborum index. Basileae in fol.
 1552. apud Ioh. Oporinum 74. plag. constans. De-
 dicatus hic liber est Ioanni Ambrosio Caenago,
 Protophyfico & Mediolanensis atque Ticinensis
 Gymnasii praefecto. Ad quem inter caetera haec.
 Itaque cum nuper in oratorem Ciceronis ad Bru-
 tum, quem librum hoc anno publice sum interpre-
 tatus, fusiore & enodatiore explanationem ab-
 soluissem, eam in manus hominum sub tuo nomi-
 ne apparere volui. Dedicationem sequitur praefatio
 in oratorem Ciceronis coram auditoribus suis re-
 citata: hanc denique excipit commentarius ipse,
 auro

vel alieno labore contribuat aliquid ad philoso-
 phiae solidioris instaurationem, quae tot vbiq[ue]
 summis ingeniis contendentibus tam pulchre pro-
 cedat, adiuuandam.

auro contra carior, omnibusque in qui elo-
 quentiae sibi laudem pulchreque dicendi artem
 comparare student, multo vtilissimus. De hoc in
 praefatione ipse sic iudicat. Neque quemquam ve-
 strum, operis obscuritas perterrefaciat. Nam ita
 nos interpretatione nostra singula illustrare stu-
 dimus, ut etiam artis oratoriae penitus rudes, si
 diligenter animum advertere voluerint, pluri-
 mum se arbitrentur adeptos & ad dicendum & ad
 intelligendum. Ordinem in interpretando talem
 sequitur, ut praemissis Ciceronis verbis vnam ple-
 rumque periodum interdum plures continentibus,
 explicationem statim subiungat, quae tam elegans,
 concinna ac elaborata est, ut nihil vel ad ornatum
 perfectius, vel ad intelligentiam illustrius atque
 perspicacius dici vel excogitari queat. Nulla enim
 in toto hoc Ciceronis Oratore sententia, nulla vox
 est, quam non doctissime clarissimeque explana-
 verit. Caeterum hic liber, quod ad externum cul-
 tum attinet, tam nitide, correcte ac luculenter est
 impressus, ut Oporini nomen minime mentiatui.
 Ceperat is primo consilium, cum reliquis diuerso-
 rum in opera Ciceronis commentariis, Maiora-
 gii hunc quoque divulgandi. Quocirca ad Cice-
 rinum scribens: Quod ad Maioragii, inquit, *1) lucubrationes
 attinet, vellem per occasionem ad
 nos mitti, quodcumque in Ciceronis & Quintilianii
 opera ab eo est annotatum, quod in commentariis
 illis diuersorum in Ciceronis opera edendis toti fam-
 incumbamus. Et memini, non paucas lucubra-
 tiones

*1) Vid. epistol. in Gud. Collect. 73. p. 171.

tionem in eorum, quae ab eo hactenus conscripta
sunt, catalogo recenseri in Ciceronis diuersos libros
&c. Mutauit autem consilium ac seorsum primo
hanc commentarium impressit, posteaquam hinc
est Maioragii voluntatem a Cicerino intellexerat.
Hinc in alia ad eum epistola. *1) De Maioragii
inquit, lucubrationibus quod scribis, libenter ego
& tuo & illius consilio acquiescam, ac seorsum illis
(scilicet in orationem & partitiones Ciceron. commen-
tarios) primum excudam. Neque enim ita me-
rem plerisque ingratis futurum spero. Praeter
caeteras res in hoc opere commendabiles, vel hoc
illud imprimis ornatum ac commendat, quod ut re-
liqui omnes ex Oporini officina profecti libri, cor-
rectus cum maxime sit & emendatus. Nec mirum
id quidem, cum non aliis ille, ut saepe solebat,
corrigenendi curam remisisset, sed ipse omnia typo-
thetae manu posita perlegisset atque emendasset.
Quod his ipse verbis testatur: *2) In hac editione
si vel forma vel characteris elegantia forte respon-
dere expectationi vestrae non potero, saltem emen-
datione ac locupletate, quem adiecturus sum, rerum
ac verborum indice ut satisfaciam, curabo sedulo.
Legit ipse omnia imprimenda in hoc, quod non
ita in omnibus aliis licet, & colligit ipse indicem
&c. Tot igitur tantisque elegantibus hic liber com-
mendabilis, tam cupide a tam multis expetebatur,
ut paruo temporis spatio exemplis omnibus, quae
quadringentorum numerum non excedebant, di-
venditis,

*1) Cit. loc. ep. 84. p. 172.

*2) Ibid.

conditis, nona eius editio adornanda esset. Unde
 sic Oporinus in epistola ad Ciceronem, Maioragii
 amicum, scribit. *1) Maioragio me excusabis, ora-
 bisque ut, si quia forte in ista editione errata depre-
 henderit, annotare ne grauetur, ut secunda editio,
 quam nos breui adornaturos speramus, & emenda-
 tor esse & gratior studiosis possit. Nam maiori hac
 forma non plura quadringentis exempla excudere
 habuit, quo citius in forma minori quam octauam
 vocant, recudere ipsi potius possemus, quam pla-
 giariis quibusdam Italis aut Gallis, qui huiusmodi
 captandis inhiare solent, percipiendi laborum no-
 strorum fructus occasionem praebeamus. *2)

X. Maioragii scriptum illius est in partitiones
 Commentarius, quem cum proxime superiori in
 oratorem, merito doctissimum vocat Oporinus.
 Hoc liber oppido est rarus, neque ego sane vel im-
 passionis locum annumue scirem, nisi a celeberrimo
 Fabricio nostro diligenter hoc quoque observa-
 tum esset: in Bibliotheca sua latina sic scribens,
 *3) De partitione Oratoria dialogus, quo filius a
 patre Cicerone latine accepit, quae eidem de ra-
 tione dicendi graece tradiderat, in quem M. An-
 tonii Maioragii commentarius Venet. 1587. in 4.
 lucam vidit. Nec dubito, quin ut caetera diuini hu-
 ius ingenij monumenta, hoc quoque sit eximium, ac
 praestans. Meminit huius ipse commentarij sui.

Maiora

*1) Gr. 11. p. 22. p. 174.

*2) Meminit Fabricius in Bibl. Lat. suppl. lib. I. p. 93.
 editionis Venetae in 4. de anno 1587. quae tamen
 sine dubio Oporiniana multis modis est inferior.

*3) pag. 40.

Maiores in primo reprehensionum libro sequē
 iam sibi commentaria in Ciceronis partitiones
 pariter habuisse commemorat. Unde iam ante an-
 num 1549. elaboratum fuisse constat. Iamque in
 eo erat, ut hunc commentarium cum oratore sibi
 transmissum simul ederet Oporinus. Miserat iam
 ad Maioragium specimen editionis utriusque com-
 mentarii, primo quoque tempore, ut sperabat, ab-
 solvendae: cum temporum partim iniuria, par-
 tim operarum defectus consilium intemerentis,
 atque ad separatim edendam in oratorem commen-
 tarium Oporinum cogerent. Oratorem, inquit,
 *1) separatim excudere absque partitionibus oportuit,
 non mea culpa, cum vtilius fuisset utrumque
 coniungere, & librum utrumque alterius accessione
 reddere commendabiliorem, sed partim operarum
 defectus &c. partim temporum iniuria hoc facere
 non permiserunt. Remotis his tandem impedi-
 mentis: editionem nihil amplius morabatur. *2)
 Expectabatur tantummodo a Maioragio praefati-
 onis, aut epistola quaecunque commentariis
 praemittenda, ne ipso fortasse invito aut nesciente
 excusa viderentur: cum aliud ecce novum orire-
 tur impedimentum, quod hanc ditē speratam edi-
 tionem non modo retardaret sed plane interverte-
 ret.

*1) Vid. ep. cit. 156. p. 174.

*2) Non dubitabat igitur Oporinus ad amicum
 suum scribere, fore, ut partitiones propediem se-
 querentur, idque forma minori paulo & studio
 scholasticis commodiore, nisi omnino Maioragius
 mallet etiam hac eadem, qua orator excusus esset,
 forma excudi. conf. epistol. citat. p. 174.

ret. Nam dum praefatiunculam quotidie hic expectat: missis ad eum literis manuscriptum repetit Maioragius, non alio tamen animo, quam ut de integro illud, priusquam ederetur, recognosceret ac emendaret. Interea moritur Maioragius, omnemque simul recipiendi huius commentarii spem adimit Oporino. Viuente certe Maioragio, nunquam is prodiit. In ea enim, quae paulo ante mortem Maioragii scripta est epistola, se expectare scribit Oporinus *1) ea, quae in partitiones & quae de senatu siue de Republica iam pridem a Maioragio absoluta cognouisset. Primaigitur huius commentarii editio procul dubio est Veneta, quae celeberrimo Fabricio auctore, nobis enim vidisse nondam contigit, 1587. lucem vidit.

XI. iam scriptum sequitur, nimirum Commentarius in Rhetoricam Aristotelis. Cuius hic index est: M. Anton. Maioragii in tres Aristotelis libros de arte Rhetorica, quos ipse Latinos fecit, Explanations. Thesaurus potius eloquentiae variaeque eruditionis quam liber appellandus hic est Maioragii commentarius. In hunc enim quidquid propemodum habuit doctrinae, quodcumque sibi comparauerat artificii Rhetorici, longo rerum usu acquisiti ac confirmati, non sine summa diligentia congescit. Nec falluntur profecto illi, qui eorum omnium, quae nobis reliquit Maioragius scriptorum, princeps ac praecipuum hoc appellant, omniumque recentiorum, Hermolai Barbari, Georgii Tra-

*1) Cit. loco epist. 96. p. 182.

Trapezuntæ, Caroli Sigonji, Petri Victorii commentariis, doctissimis licet multoque studio elaboratis, doctrinae non tantum apparatu, sed & nitore stilî, interpretationisque perspicacia longissime anteponunt. Hinc recte de illo Morhofius iudicat: *1) Quid eius, in libros Rhetoricorum Aristotelis in Oratorem Tullii commentariis plenius & perfectius? quid politius est? Dicendî interpretandique ordinem eundem in eo feruat, quæ in oratore observasse diximus? præmissis nempe Aristotelis textu, in complures particulas distributo; explanationes deinde suas doctissimas, summamque auctoris & in graecis & latinis literis scientiam abunde restantes, dicendique perspicacia plane admirabiles subnectit. Duplicem eius editionem refert *2) celeberrimam, Fabricius, Vnam 1572. alteram 1591. Venet. in fol. *3) emissam. Accedit tamen tertiâ editio, nimirum Patavina a celeberrimo Fabricio benevole nobiscum communicata, quæ 1689. in 4. apud Ioh. Cagnolinum prodit, tribusque propemodum alphabetis constat: satis nitide quidem, sed vitiosissime impressa. Dolendum igitur est, Maioragio adhuc superstite, imprimi

f 2

non

*1) In præfatione ad orationem de auro. De hoc clariss. Moreri in dictionario ita iudicat: Ses commentaires sur la Rhetorique d'Aristote & l'Orateur de Cicéron témoignent que c'étoit (scil. admirabilis vires eloquentiae) avec justice. Miramur itaque, quare hanc eius commentarium Iacob. Gadius omiserit.

*2) In Bibl. gr. Tom. II. lib. 3. p. 120.

*3) Illa ex officina Fabii Paulini prodit.

non potuisse : ad prelum iam paratam : at non impressum. Testantur hoc enim Oporini illa ad Cicerinum : * 1) « Caeterum quod scire cupis, Philippus Mel. nihil in Aristotele vertit, sed constanter afferitur, Io. Sturmium & Rhetorica Aristotelis vertisse, & iam in eadem meditari commentarios, Vix tamen ante biennium absolutos fore puto, adeo est magnus cessator Sturmius, & spero longae prius Maioragii commentarium in eadem absolutum iri, quando & textum Rhetoricum iam pridem ab eo in latinum sermonem conuersam & editum intellexi. Et in alia ad eundem epistola Aristotelis, inquit, Rhetorica ab eodem versa apud Coelum nostrum vidi, neque quidquam opto magis, quam vt commentarios quoque in eadem quos parare eum iam aliquamdiu intellexi, aliquando etiam absoluat. » Paraphrasis haec Maioragii, teste Fabricio Bibl. gr. Tom. II. lib. III. p. 127. Basileae, ex officina sine dubio Oporini, 1554. eo scilicet, qui Maioragii mortem praecessit, anno, exiit. Ab hoc Maioragii libro priusquam discedimus, tribus, quod aiunt verbis, ab iniusta Natalis Comitum accusatione auctor vindicandus est. Nimirum hic in Mythologia sua in Maioragium nostrum sic inuehitur : Cum hic, inquit, Aristotelis locus (scil. lib. III. Rhetor.) ante nostram aetatem legeretur deprauatus, Petri Victorii, Patricii Florentini &c. ingenio est integritati restitutus, vt mihi, cum essem Florentiae, multis rationibus probarunt viri quidam ex intimis eius & eru.

* 1) In Gud. collect. epist. 86. p. 174.

&c. Horum gratiam testanti acce-
 dit commotus non potius non magno opere impro-
 bare M. Ant. Cuiusdam Maioragii nescio impuden-
 tissime appellem, an exquisitam ambitionem, qui
 cum explicatio prope Aristotelicæ artis ipsius
 Victorii scriptis accepta &c. ipsi non semel insula-
 rit &c. Vtrumque autem falsum est, cumque sum-
 mo mendacii crimine Maioragii imputatum. Nam
 nec Victorii vitquam commentarium expilavit, vi-
 ni omni doctrinarum genere ipse versatissimus, nec
 inhoneste eum vllibi, quantum scimus, aut con-
 tumeliose tractavit. Nam etsi passim in his com-
 mentariis Victorii sententiam non sequatur, sæpe-
 que errantem corrigat ut p. 2. p. 50. p. 176. p.
 397. p. 426. p. 822. 826. 889. 952. tantum
 tamen abest, ut inhoneste modo traducat, fugi-
 letque, ut potius in præfatione commentariis
 præmissa, sic eum extollat, ac prædicet. "Huic
 operi multa adiumenta nuper contulit, vir eru-
 ditus, Petrus Victorius, quem, ut meritis, est,
 honoris & amplitudinis gratia nomen, qui mul-
 tos sane locos & emendavit & citori pristina re-
 stituit, commentariosque non vulgares in totum
 opus conscripsit, & paulo post addit: nunc quod
 ille dedit, grato animo accepimus, & posthac et
 iam eius labore, quatenus licebit, perfruemur.
 sed quoniam non omnia, quod ait poeta, possu-
 mus omnes, etiam nos plurima, quæ ille non
 attigit, adiungemus &c.

XII. scriptum sunt Orationes & præfationes,

in

in vnum volumen collectae, multotiesque editae. Prima editio sine dubio est Veneta de anno 1582, in 4. cura Io. Petri Ayroldi Marcellini, Lipsiae deinde 1606, in 8. recusa. *1) XXV, orationes & XV. praefationes vt reliquae editiones continens. *2) Hanc secuta est alia Lipsiensis editio anno 1628: itidem in 8. *3) Omnium vitiosissima est, vt solent fere omnes ibidem impressi libri, editio Coloniensis anni 1614. accuratissima autem Lipsiensis, quam dixi 1628. typis excusa. Sic enim in praefat. editor M. Dan. Casar Officiensis: Cum varia in Venetiano Maioragii codice corrupte ac vitiose impressa deprehenderem, summamque exemplarium penuriam esse audirem: communis causa, commodi, hoc illum recognoscendi onus in me suscepi, vt auctoris laudem iam paene senescentem ab obliuione hominum atque a silentio vindicarem.

&c.

- *1) Idem affirmat Baylius, in notis ad vitam Maioragii sic scribens: Mt. Moreri a oublié les harangues & les praefations imprimées plusieurs fois. Je pense que la premiere edition est Venetienne 1582. &c. Hanc nonnulli in 8. prodiiisse putant; verum ex catalogo Bibliothecae Wolfianae, quae nunc Hafniae, duenditur p 520 constat, quarta forma excusam.
- *2) Lipsiensis editio cum notis Valent. Hartungi Prof. Med. prodiit. Notandum hic est Maiorag. in libro h. reprehens. praeter duodecim orationes diversorum argumentorum, quibus extremam manum nondum addiderat, quatuor praefationum tantum meminisse tot igitur ao. 1549. extabant.
- *3) Ahae etiam extant editiones Lipsienses, quae nunc ad manus non sunt.

&c *1) Harum Maioragii orationum tres non
 amplius, eodem superstite, exiuerunt *2) indigita-
 tas, ut opinor, ab Oporino sic scribente *3) Maio-
 ragii orationes quas misisti, & perplacent illae no-
 bis, quia elegantes in primis & prudentiam viri do-
 ctissimi haud vulgarem testantes. Reliquae ora-
 tiones omnes, Maioragio satis iam functo, in publi-
 cum prodierunt. Plures autem, quam quae in
 edita hac collectione prostant, orationes & con-
 scripsisse & habuisse Maioragium, admodum ve-
 rosimile est: in aliquo fortasse adhuc Italiae angulo
 latentes, nec in lucem facile ex tenebris emerfu-
 ras. Binas tamen quondam in lucem protraxit,
 indefessus aequae manuscriptorum codicum scruta-
 tor, & aestimator summus, illustris Marquardus
 Gudius, in orbe literario satis celebratus, qui cum
 Italiam caeterasque Europae regiones, eruditorum
 more, peragraret, inque doctorum virorum relicta
 monumenta nondum edita, passimque latitantia,
 summo cum studio inquireret: Maioragiana quo-
 que scrinia, Mediolani cum esset, sedulo inuesti-
 gans, praeter rarissimum in Virgilio Georgica
 commentarium, & epistolas Maioragii ad sui tem-
 poris eruditos scriptas, alias item epistolas vel

f 4

ad

*1) Forma deinde minore graecorum verborum
 ac sententiarum addita interpretatione, se has
 ipsas orationes editurum ibidem promittit.

*2) Nimirum in nuptiis Philippi Sacci, in aleatores,
 & in sui denique defensionem habita, de quibus
 vide supra.

*3) Epist. 84. p. 172.

ad Maioragium ipsum vel ad amicos eius datae, orationes duas inuenit, alteram de laude auri, alteram apologeticam in Gaudentium Merulam: quae cuius bibliotheca deinceps Ultraiekti 1666. in hoc indice diuulgatae sunt: *1) M. Antonii Maioragii orationes duae, vna de laude auri, in qua omnis generis hominum, praecipue Ecclesiasticorum vitia false traducuntur, altera apologetica contra Gaudentium Merulam, in qua plerimas vitiosae eius locutiones notantur & castigantur, nuperrime inter veteres auctoris schedas Mediolani repertas & nunc primum typis descriptas. De priori harum orationum haec notatu digna affert in Lexico suo Baelius: On n'avoit point osé publier en Italie la harangue de Maioragius contre l'avarice du Clergé, & in sequentibus addit: C'est une très belle pièce & aussi finement tournée qu'il se puisse. *2) Dignam itaque merito suo habuit celeberrimus Morhofius, quam cum sua eiusdem argumenti oratione typis denuo publicaret, hoc quidem indice: Philochrysis, siue de laudibus auri orationes duae, &c. quarum priorem inter Maioragii anecdota Mediolani repertam & Ultraiekti 1666. primum editam nunc recusam sistit, posteriorem eiusdem argumenti ipsis Kalendis Septembribus 1690. Kiloni habitam adiiciens Dan. Georg.

*1) Tanta autem exemplorum impressorum paucitate, referente Morhof. in praefat. ad orat. de auro, vt frustra nunc in officinis librariis quaerantur.

*2) Conf. Mr. Teissier in elog. & vit. erudit. T. III. p. 69.

Georg. Morhofius Lubecae 1690. 8. *1) Maioragii hanc de auro orationem, auream merito appellat Morhofius, adeo lepidam adeoque salfam, ut nihil falsius, nihil hominum mores acrius scribi possit. Iamdudum itaque in Italia cum reliquis orationibus, vel auctore adhuc superstitite, vel post mortem exiisset, nisi periculi plena res fuisset edere. *2) Sub auri enim nomine quis non videt pontifices ipsos, purpuratos patres religiosos, quos ordines plane omnes traduci falseque derideri. Altera in Gaudentium Merulam recitata oratio, non minus elegans, diserta, ac polita est adeoque digna quae a nobis hic iterum divulgetur. Tam variae enim in illa observationes Latinae linguae, admodum elegantes parumque obviae occurrunt, ut iucunde non minus quam utiliter ab eo, qui puritatem sibi amat, Latinique sermonis proprietatem sectatur, legi possit. Caeterum hanc orationem Maioragius paulo ante discessum suum a Mediolano recitasse videtur: quod ex his eius verbis conicias, Pudet me, inquam, in hoc esse ordine & Gramma-

f 5

ticum

*1) Eadem iterum impressa comparat in orat. & praefat. Morhofii Hamb. 1693. in 4. editis. Eadem recensita sedulo, totaque propemodum excerpta reperitur in *Mastr. Seckendorffii Lutheranismi*, Lib. III. p. 343.

*2) Hinc factum conicit Morhofius, ut in Catalogo operum Maioragii, qui commentario in Rhetor. Aristotelis praemittitur (in Patavina tamen editione nostra non comparat) in postrema editione expuncta sit haec oratio, cuius tamen in catalogo prioris editionis mentio facta est.

ficum appellari. Porro si quae haec erit una maxima causa, quae me vitae genus immutare cogat. &c.

XIII. Scriptum sunt Epistoliarum quaestionum libri II. quibus multa scitu digna, quae antea incognita erant, explicantur Mediol. 1563. 4. Quam pulcher ac elegans, tam raro obtutus hic libellus est, ut in quam plurimis instructissimis bibliothecis haud reperiat, ipsumque adeo Morhofianum nostrum, in his deliciis exquirendis sagacissimum, latuerit. Commemorat hic quidem in Polyhistoro suo lib. I. Cap. XXV. p. 344. ubi de ineditis eruditorum epistolis verba facit, non paucas quoque Maioragii epistolas inveniri, tersas, ut omnia eius viri, & elegantes. At harum, quas recedendas nunc curavimus, epistoliarum quaestionum mentionem nullam facit: quam & ii omnes, qui Maioragii vitam scriptaque persequuntur, omittunt: praeter unum Ghilinum, in libro saepius laudato Italico, theatro d'huomini letterati inscripto, ex quo Picinellius, ut caetera fere omnia, mutuatus est. Felicitior hic caeteris multis Maioragiani ingenii foetibus non diu in tenebris scribisque sepultus iacuit, sed octavo circiter post auctoris mortem, anno, prolatus est in lucem. Obstertrices manus illi attulit Mediolanensis quidam typographus, Franciscus Moschemius, qui eos a Primo Comite, Maioragii nostri Consobrino, forte fortuna nactus publicavit. De quo ita in epistola dedicationis praemissa ait: Quamobrem tibi nunc mitto

mite. Maioragi illius eruditissimæ & eloquentis-
 simi viri duos epistolarum libros, omni facultate
 et omnique doctrina repletos, quos mihi Primus
 Cetheus, vir sane bonus ac perofficiosus summa
 liberalitate largitus est &c. Reliquis omnibus elabo-
 ratiores has esse epistolas, non subito, ut pleræ-
 que ad familiares conscriptas solent, sed cum in-
 dustria contextas, vel inde licet perspicere, quod
 ad viros eo tempore eruditissimos, idque non sua
 sponte, sed per litteras quasdam dederit. Non
 nullas tamen etiam rursagens, omnique librorum
 contubernio, ut sic dicam, destitutus scripsit, non
 alio usus subsidio, quam vel ingenio nunquam
 sterili, vel aliquo suo excerptorum libro. Vid.
 lib. I. epist. 19. Vtunque autem sit: nullam in
 his epistolam vel reconditæ doctrinæ, vel sua-
 tissimæ elegantissæ, vel facundissimæ disertissimæ
 expertem deprehendes. Nec inveniet facile quis-
 piam epistolas, in quibus cum nitidissima stili ven-
 tate, tantam doctrinæ copiam ac raritatem con-
 iunctam videat. In primis hoc mirabile videtur,
 quod ad quamcunque dicendi materiam, tam pul-
 chre accommodare stilum suum, resque omnium
 difficillimas inque ipsis quasi naturæ adytis ac
 penetrabilibus reclusa ac recondita noverit tam lu-
 culenter tamque aperte describere. Quam igitur
 optandum, ut & reliquis huius viri epistolis,
 cum blattis tineaque forte consistantibus, situ-
 que squalidis fræstemur? Quam etiâ plurimum,
 ab officio sibi reliqui temporis in commentariis ali-
 isque ætatem ferentibus scriptis posuisse scimus:

magnam

magnam tamen etiam epistolarum vitra citroque
missarum multitudinem, in tanta nominis fama,
doctrinaeque amplitudine, reliquisse quis non cre-
dat? Quae enim in praestantissima illa Bur-
manniana epistolarum collectione, *1) Graevii
auspiciis, superiori saeculo in lucem prodire, nu-
merum vix quatuordecim excedunt. Quam prae-
clarissime igitur de rebus literariis mereretur,
qui Maioragii epistolas adhuc ineditas, ubique
demum reconditas, in publicum, commu-
nemque omnium usum produceret.

XIV. hunc praefert indicem: M. A. Maioragii
Comment. in Ciceronis dialogum, s. L. I. de Oratore
ad Q. Fratrem; M. Tullii Ciceronis super adeo in
eloquentiae studiosorum gratiam accurata Lo-
Petr. Ayroldi Marcellini, Mediolanensis, Medici ac
Philosophi Veneti, opera atque industria in lucem
prolatus. Cum indice rerum & verborum perquam
copioso. Venet. 1587. 4. apud Franciscum Francis-
cium.

*1) Quae hunc tit. habet. Marquardii Gudii & Clau-
dii Sarrauii Senator. Parisiens. vna cum responsis,
quibus accedunt ex Bibl. Gud. clarissimor. & do-
ctissimor. qui duobus ultimis saeculis floruerunt
epistolae &c. vltraquinquaginta, curante Petro Bur-
manno. Lugd. Bat. 1697. 4. Hanc collect. respi-
cere existimo observatiunculam illam Morerii di-
ction. in vita Mai. sub finem additam. On a cor-
rigé cet article sur les remarques de Mr. Bayle,
à qui l'on doit ajouter que l'on a imprimé quel-
ques lettres de lui qui lui sont adressées, dans
un recueil imprimé à Vtrecht 1697. On y peut voir
diverses Circonstances, concernant ses écrits.

cum Scenensem. Huius publicandi occasione in his
 rebus indicat editor in epistola, dedicatoria. „Pri-
 mus Comes Mediolanensis non solum Primus no-
 mine, sed etiam re, cum ob probitatem, tum ob
 multiplicem rerum cognitionem, & singularem
 eruditionem primus &c. cum abhinc annis octo
 mortuo Antonio ipsius fratre & patruo meo de-
 me optime merito, viro eximiae integritatis & s
 eruditionis latinis graecisque literis perpolito Pa-
 tauium proficere, fidei meae commendavit
 M. A. Maioragil, amicum suum, in M. Tullii Cice-
 ronis librum I. de orat. ad Q. Frat. reconditae do-
 ctissimae refertissimum commentarium, quod, cum
 me Venetias reciperem, per idoneos opifices im-
 primendo, describendum curarem.„ His com-
 mentarius duobus fere alphabetis constat, eo-
 demque ordine, quo alter, in tractatorem commenta-
 rius, elegantia non minus ac fecundia commenda-
 bilis, quam rebus, quae ad antiqua philosophorum
 placita dicendique artificium pertinent, abunde
 instructus; ut non immerito editor ita de eo
 iudicavit. Delectavit me mirum in modum pu-
 rum & latinum scribendi genus Maioragio pro-
 prium ac peculiare, eloquentia elegans ac accurata;
 oratio admodum erudita, gravibus verbis ac senten-
 tiis referta, non solum dilucide planeque, sed etiam
 ornate dicta. Delectarunt in primis diligenter ex-
 pensata atque excussa omnia, aperti qui latere vide-
 bantur huius libri loci: demonstratum declara-
 tumque artificium: probata cuncta rationibus-
 que confirmata.

Habes,

Habes hic B. L. scripta Maioragii omnia typis tradita. Quasi in vnum volumen quis colligeret inunctimque publicaret: nae ille & famae suae confuleret & nitidissima haec rarissimaque ingenii monumenta, ab interitu, vix alias effugiendo, vindicaret. Mense hoc quondam agitabat eximius Maioragianorum scriptorum aestimator, Iohannes Oporinus, in aliqua ad Cicerinum epistola sic pronuncians: *1) Cuperem omnia colligere, quae Maioragius haecenus edidit, & saltem catalogum eorum omnium habere, quo colligi facilius possent. Forte enim aliquando coniungi in vno volumine omnia simul & utile & gratum studiosis foret. Res tamen successu caruit, quo factum est, vt exulum instar Maioragiana scripta passim adhuc circumuolent, magnoque in periculo versentur, ne penitus aliquando, non sine summo amoenorum literarum detrimento, intercitant. Maius vero etiam interitus periculum illis imminet, quae partim iam perfecta, partim mutila in scriniis literariis etiamnum delitescunt. Huc pertinent sequentia 1. Commentarius eius in duobus primis Virgilio Georgic. 2. Liber de modo proficiendi in studiis. 3. De officio parentum & filiorum. 4. Libri duo de risu oratorio & urbano: quae omnia ipse Maioragius in libro primo reprehensionum ceu inedita & Ni-

zolio

*2) Ep. 76. p. 164. conf. epistolas Maioragii ad Cicerinum in append.

zolio adhuc inuisa commemorat, atque his similia, nondum plane elaborata promittit. *1) Impressis alii adhuc sequentia adiiciunt. Commentarium in Aeliani varias histor. 3. Librum carminum. 4. De nominibus propriis veterum Romanorum. 5. Librum de senatu. Verum ambigua res est, an unquam prodierint. *2) Postremos certe Graecius, si prodissent, thesauro suo rerum Romanarum, in quo non comparent, sine dubio inseruisset. *3) Quod reliquum est B. L. ea, quae par est obseruantia te oro, atque rogo, ut delicias hasce literarias, epistolas nempe Maioragii, Mediolani quidem olim impressas, at valde raras, Gratui deinde illas, nunquam antehac editas, mihiq; ab illustri quondam Viro beneuolentia concessas, cum Schaefferi aliorumque doctissimorum

rom

*1) In Topica quoque Ciceronis & librum de finibus commentaria parasse, nos docet Nizolii epistola ad Maiorag.

*2) Hanckio tamen cit. l. si credimus p. 215. de Senatu liber est impressus, de quo haec habet M. A. Maioragius de Romano senatu librum composuit in quo de senatorum origine, aetate, vestitu, filiis, dignitate, potestate, principis officio & aliis agit. Prodiit Mediol. 1561. 4.

*3) Nonnulli inuito plures adhuc libros a Maioragii ingenio profectos existimant, ut Teisserius, T. I. p. 107. & Morhof. qui cit. loca. Extant, inquit, praeclara ingenii eius monumenta, & in breui isto vitae spatio adeo numerosa, ut ipsum annorum spatium excedant, si in lucem edantur, quae in doctorum virorum bibliothecis delitescunt.

nam viderim epistolis & oratione Maioragii apo-
logica, in his rebus compicienda, eodem
quo a nobis proficere videtur anno, hoc est bene-
volis, gratisque manibus accipias. Vase scri-
bitur in Museo nostro Hamburgi. die 26. Octo-
bris. 1736.

M. ANTONIVS MAIORAGIVS.

Hic Tullianae assertor ille gloriae est,
Ferratiensis probra contra Caecilii
Quem ne videres nomen aeternis suum
Notis inustum infamiae, satis reor,
Antonii quam scripta prodire prius,
Minae libenter attingisse diuitem.
Matoragiue Ciceronis dignitatem
a Caecilio Calabrigini maledictis intulente oratione au-
taturus es. Idem scripta contra Manium Nizolium.
Ciceronis aliquot opera Commentariis exornauit.
Paraphrastes scripsit in Aristotelis libros de Genera-
tione & de Coelo. Orationes multas edidit varia-
que opuscula.

Io. Matthae. Toscanus in Peplo Italiae
n. 163. p. 495. edie. Fabric.

MARCVS ANTONIVS MAIORAGIVS
PHILOSOPHV8.

Pro Cicerone meo penna conficior ouante :

Calcagine tua non cadet ille manu.

(N. d. 26. Octobr. A. C. 1514.)

Casp. Conradt in Prosopogr. Mel. Millenar. 11. p. 121.

M. AN.



M. ANTONII MAIORAGII
EPISTOLICARVM QVAE-
STIONVM

LIBER PRIMVS.

I. *Quod apud antiquos eadem fuerit lyra cum
cithara.*

M. Antonius Maioragius Hieronymo
Cardano, Medico.

S. P. D.



Ultis tu quidem in rebus ita
excellis, Cardane, vt aut ne-
minem aut certe paucissimos
hoc nostro tempore inueniri
existimem, quos tecum in
omni genere laudis & scientiae conferre possi-
mus. itaque plurimum eruditioni doctrinae-
que tuae tribuendum esse statuo. Sed tamen
ab ingeniosissimo Poeta nostro Virgilio rectif-
sime atque verissime dictum est: Non omnia
possumus omnes. Quam ob rem te e iam sic-

A

ut

ut plerosque alios, in aliqua re, quamuis doctissimus sis, interdum hallucinari, verosimile est. Sicut heri vesperi, cum in familiari colloquutione dixissem apud te, in ea me esse sententiam, ut credam, apud veteres idem in Musicis instrumentum fuisse lyram & citharam: tu confestim hanc opinionem meam vehementer improbasti, risistique non mediocriter, illud addens, ioci, ut opinor, gratia, me tam esse studiis meis intentum, ut neque ea dignoscam, quae passim omnibus notissima sunt. Quis enim, inquisti, nescit lyram plectro, citharam penna siue digitis pulsari? nunquamne circumforaneos, & circulatores, in circumfusis vulgi corona lyram tangentes, & cantitantes adspexisti? nunquamne adolescentes ac iuvenes personatos in Liberalibus citharam per vicos digitis increpantes, audiivisti? non intelligis a lyra citharam, quod aiunt Musici, *διαφορά* discrepare? Sed audi, mi Cardane! quoniam heri non potui coram sententiam tibi meam comprobare: quid est, cum inter eruditos de rebus dubiis non ex opinione vulgi, sed probatissimorum hominum testimoniis contendendum sit: quod me ad populum atque imperitam multitudinem prouoces? cur a me petis, ut publicos potius errores, quam consensum optimorum auctorum sequar? quot vocabula vulgus immutauit, atque deprauauit? quot innouauit instrumenta! neque enim adduci possum, ut credam, eadem forma fuisse

fuisse lyram apud antiquos, qua nostro tempore videmus: quando veterem illam ac paene diuinam musicam prorsus amisimus. Quis enim hoc tempore Dorii modi diuinum impetum nouit? quo Pythagoras ille concitatos ad libidinem adolescentium animos facile sedabat, & ad religionem adducebat. Quis Phrygiam harmoniam intelligit, qua magnum illum Alexandrum saepius ad bellum inflammatum a Timotheo musico tradunt. Quid Empedocles, nonne tutum & incolumem ab inimicis hospitem suum musicae artis praesidio seruauit? Iam vero Terpander & Arion musicis cantionibus ciues suos a grauiissimis morbis eripuerunt. Illud etiam nos sacrae literae docent, Dauidem pastorem ac musicum cithara sua malum Daemonem a Satle rege procul arcere solitum. quae quoniam hodie nulli hac molli & eneruata musica, qua passim utimur, efficere possunt, verosimile est, omnem instrumentorum rationem esse mutatam. Noli igitur me ad vulgum prouocare, sed audi Virgilianum Iopam, qui cithara personat aurata docuit quae maximus Atlas: qui canit errantem lunam, solisque labores: ut intelligas, doctissimos fuisse veteres illos Musicos, non truales, quales plerique omnes hac nostra tempestate reperiuntur. nam apud Homerum etiam Demodogus in Alcinoi conuiuio, cithara suauiter & iucunde canit, & inter procos apud eundem Homerum

Phemius propter admirabilem canendi scientiam inuitus lyram pulsare cogitur. quin etiam, vt ait Horatius, cithara tacentem fuscitat musam, neque semper arcum tendit Apollo. Sed iam ad ipsam rem aggrediamur, & apertis rationibus ostendamus, eandem esse lyram & citharam. Apud graecos auctores tria nomina reperio, quae idem omnino significare videantur. est enim graeca lingua, quod omnes intelligunt, verbis cuiuscunque generis affluentissima: licet eam alicubi Cicero quasi verborum interdum inopem accusarit: vnde non iniuria fortassis a Theodoro Gaza reprehenditur. Sunt autem ea, quae modo dixi, nomina: lyra, cithara, phorminx. Ac illud primo nemini dubium esse potest, quin phorminx eadem sit, quae etiam cithara dicitur: cum hoc apertissime Suidas fateatur: qui ita scribit. *Φορμιγξ, κιθαρα, εν επιγραμματα; αφορμιγξ, ταυτο τοξα και αγκυλα δικτυα φοιβα.* quod non minus clara voce scientiarum parens Homerus Odyssaeae primo declarat. cum enim dixisset a ministro datam fuisse Phemio citharam: statim haec verba subiunxit, *ητοι εφορμιζων αιεβαλλε το καλον αειδειν.* vbi Didymus interpres seu quicumque is fuerit, *Φορμιζων* interpretatur cithara canere. patet igitur omnino citharam & phorminga prorsus eandem esse. Quod si demonstrare poterimus, etiam lyram eandem esse quae phorminx est, non erit dubitandum, quin ex Geometrica propor-

tione

tione lyra sit eadem quae cithara. Saepius enim ex te audiui vulgatissimum illud Geometrarum pronunciatum: quae alicui tertio sunt eadem, etiam inter se conueniunt. videamus igitur, an eadem lyra sit, quae phorminx a Graecis etiam dicitur. potuit hoc sane Horatius nos satis docere. qui principium eius cantionis in primo libro: quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumes recitare Clio? paene ad verbum ex Pindaro transfudit. Sic enim ille, *ἴναξι Φορμιγγες ὕμνοι τινα θεῶν τιν' ἥρωα τινα δὲ αἰδῶρα κολαθῶμεν;* satis enim aperte lyram dixit Horatius, quam Pindarus Phorminga dixerat. sed ex ipsius Pindari verbis hoc etiam facilius intelligitur. nam paulo inferius ita scribit; *πρῆπει τοῦ αἰνησιδάμου ἐγκομιῶν τε μελιλύραν τε τυγχάνει μιν.* hic enim Pindarus, quam superius Φορμιγγα vocarat, lyram appellat. verum, quia fortasse mihi facile coincide eandem esse lyram, quae Phorminx etiam dicatur; nec tamen ideo sequi contendes, vt lyra sit eadem quae cithara: video enim tergiuersari te hac in re posse & eo confugere, vt dicas, Phorminga nomen ambiguae significationis esse, qualia nostri temporis Dialectici solent aequiuoca nominare, quod lyram & citharam significare possit, quamuis diuersa sint instrumenta: non patiar te diutius errare. Phorminga praeterrmittam & duo tantum illa nomina discutiam, de quibus haec omnis instituta est disputatio. dico igitur grauissimorum aucto-

rūm testimoniis, me probaturum lyram eandem esse, quae etiam cithara dicitur. Praeterea Pindari interpretem, qui pluribus in locis lyram per citharam & contra solet interpretari. nam grauioribus hoc idem auctoribus affirmare possum, atque in primis Aristophanis auctoritate, qui Strepsiadem quendam in Nebulis ita de filio suo conquerentem inducit: *πρωτον μιν αυτην τη λυραν λασοντ' εγω κελμισ' εσαι Σιμωνιδου μολος, τον κυριον ως επεχθη. ο δ' ευθυς ως αρχαιον ειναι εφασκε το κιθαριζεν.* Primum, inquit, iussi eum lyram manu capere, atque illam Simonidis cantionem occinere, quae ita incipit. *κυριον ως επεχθη:* ille vero statim dixit: antiquum & obsoletum esse iam citharam tangere. Quod si diuersa esset a lyra cithara: profecto dixisset Aristophanes, *λυριζεν,* non autem *κιθαριζεν.* quid enim absurdius, quam si pater filio dicat: cape lyram; filius autem recusans ita respondeat, ego citharam nolo tangere? nisi sit idem instrumentum, Praeterea Xenophon in eo libro, qui est de tertia re familiari, qui oeconomicus inscribitur, ita inquit. *οι δε δεηματα πρωτον μανθανουσι κιθαριζεν, και τας λυρας λυμαινωνται.* qui primo, inquit, cithara canere discunt, ii lyras corrumpunt. Sed quid argumenta colligimus? cum liceat vno teste, singulari fide & auctoritate, Suida vincere? cuius haec sunt verba. *κιθαρα μυσικον αρχαιον, η η λυρα.* potestne quicquam planius aut aperius dici? Quin primo
Al-

Alcibiade Socrates apud Platonem dicit Alcibiadem citharam pulsare didicisse, deinde paulo post lyram vocat, quam superius citharam appellarat. At fortasse concedes, apud Graecos haec duo nomina pro eodem instrumento capi, sed apud Latinos esse distincta, quod verum esse nullo modo potest. nam Quintilianus institutionum suarum libro primo, ubi de Musica verba facit, sine vlllo discrimine & citharae & lyrae vocabulo uti videtur. tradit enim, apud antiquos hunc morem & consuetudinem fuisse, ut in conuiujs post coenam excellentium virorum laudes ad citharam canerent. eius haec sunt verba. & testimonio sunt clarissimi poetae, apud quos inter regalia conuiuia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur. idem non ita multo post ita scribit, vnde etiam ille mos, ut in conuiujs post coenam circumferretur lyra. cuius cum se imperitum Themistocles confessus esset (ut verbis Ciceronis utar) habitus est indoctor. Illud etiam plurimum hanc sententiam nostram confirmat, quod Virgilius in sexto dixit: Threicia fretus cithara fidibusque canoris. & Ouidius in epistolis: Threiciam digitis increpuisse lyram. ut Virgilius citharam Ouidius lyram ab Orpheo repertore Threiciam nominarit. dicitur enim Orpheus Threicius sacerdos & vates. ut in sexto Aeneidos. Nec non Thericius longa cum veste sacerdos obloquitur numeris septem discrimina vocum. Plinius in septimo tradit

Amphionem, vel Orpheum citharæ inuentorem fuisse. Diodorus in sexto laudem hanc Apollini tribuit, nonnulli Mercurium auctorem faciunt. sed utcunque sit: illud quidem certe satis constat, vbiq̃ Phoebum apud Poëtas cithara canentem induci. At Macrobius primo Saturnalium causam quaerit, cur Apollini septem chordarum lyra sit attributa. quod absurdum omnino foret: nisi sit eadem lyra quae cithara. Simonides ab omnibus inter lyricos poëtas numeratur: quem tamen cithara solitum vti fuisse constat. nam vt in septimo Plinius tradit, cum Terpander septem chordarum citharam effecisset: octauam chordam Simonides addidit, nonam Timotheus. Quid in secundo Fastrorum Ouidius, nonne clarissime demonstrat, nullam penitus inter lyram & citharam esse differentiam. nam vbi de Arione Methymnaeo verba facit: primo sic eum loquentem inducit. sed liceat sumpta pauca referre lyra. deinde paulo post, cum eum refert in mare desiluisse & suauissimae lyrae sonitu Delphinas commouisse, ita ait:

Ille sedet citharamque tenet, preciumque
vehendi

Cantat & aequoreas carmine mulcet
aquas.

Hinc est quod & a Graecis & Latinis citharoedi vocantur, qui lyras pulsant. quod satis declarat illud elegans ac facetum Stratonici dictum; qui cum imperitum quendam citharo-

roe-

roedum lyra personantem vidisset, qui bos cognomine dicebatur : olim, inquit, asinus ad lyram dici solitum est : nunc vero bos ad lyram recte dici potest. Ridiculus sane in hac parte Coelius Rhodiginus : cui tu non fortasse sine causa multum tribuis : qui citharim & cytharam ait inter se differre, vult enim, ipsa veritate compulsus, citharim quidem esse lyram, verum citharam aliud instrumenti gentis. sed omnino videtur literarum varietatem ignorasse. nam quae cithara communi Graecorum lingua dicitur, ea, teste Phauorino, citharis apud Aeoles appellatur. sunt enim eius generis quam plurima nomina, quae passim apud Graecos auctores occurrunt. vt ab hoc verbo *χαρα* sit *χαρις*. *παρα*, *αρις*. *δαμαλι*, *δαμαλις*. *εορτι*, *εορτις*. *αυλη*, *αυλις*. tale igitur est etiam cithara, citharis, quod apertissime declarat Homeri interpretres, qui primo Odyssae, vbi sic Homerus ait ; *Κυριξ δ' ἐν χερσὶ κίθαριν περιπαλλομένην Φημίω*, sic exponit *κίθαριν κίθαρον*. quod approbat etiam ille, qui Graece scripsit Etymologicon, in quo ita legitur. *κίθαρις κίθαρά παρα το κινειν ραδιως ἢ παρα το κειν εις εορτα της ακουοντας*. non est igitur dubium, quin Coelius in errorem incidit. quid quod alterum statim errorem haud scio an etiam hoc maiorem adiungit? Sic enim ait: citharis lyra est, qua vtentes vocantur citharistae, quos etiam *λυροδης* dicunt, at cithara est, vnde citharoedi vocantur. quibus ex verbis facile de-

prehendi potest, eum non intelligere, quomodo citharista & citharoedus inter se distinguantur: cum alterum a cithari alterum a cithara deriuari velit. quae verba idem significare docuimus. nos autem dicimus citharoedum esse, qui non tantum citharam pulsat, sed etiam cum ea cantat. quod pauci bene facere nouerant. ideo citharoedorum nomen in honore ac pretio habebatur. citharistam vero, qui cithara sine lyra simpliciter utitur sine cantu. quam differentiam ponit Phauorinus, & agnoscit etiam vir eximius Budaeus in Annotationibus suis: ubi sic ait. citharoedi, qui & fidicines dicuntur, citharae accinunt: citharistae citharam tantum pulsat. Sed nos, quamuis satis, ut opinor, superque causam nostram probauerimus: illud etiam addamus, quod huic rei conuenire mirifice videtur. est notissimum omnibus Graecorum prouerbum in homines imperitos, qui ad aliquam rem non sunt idonei, ut asini ad lyram dicantur. hunc titulum Varro cuidam Satyrae suae, teste Gellio, praefixit; & quidem Graece, hoc modo: ὄνος πρὸς λύραν. quod apud Lucianum pluribus in locis inuenitur. quid ergo? nonne idem Lucianus in Pseudologista sic ait; εἴτε δὴ το πᾶ λογῶ: ὄνον κινθαρίζων πειρωμῶτον ὄρων. videns, ut vulgo dici solet, Asinum cithara canere tentantem. atqui vulgo dicitur; Asinus ad lyram. est igitur eadem lyra quae cithara. nam quod hoc loco κινθαρίζων dixit Lucia-

Lucia-

Lucianus, alibi *Λυριζαν* dicit. Sed iam omnino, vt opinor, ita confirmata est causa nostra, vt nihil amplius de hac re dubitari possit. Tu, mi Cardane, siquid est, quod contra dici posse existimes, ad me scribas velim. Sunt enim eiusmodi disputationes & iucundissimae & vtilissimae. propter quas & in legendo diligentiores euadimus & in dicendo promptiores. licet enim verissime Democritus dixerit: veritatem in profundomersam esse; neque facile quidquam percipi posse: tamen illi propius ad scopum accedunt, qui sese in iaculando frequentius exercent. neque aurum & vniones inueniuntur, nisi ab iis, qui diligenter inquirunt. At dices in maioribus esse laborandum. fateor id quidem. sed tamen neque haec vlllo modo negligenda sunt, a nobis praesertim, quorum officium est, vocum vel homonymiam vel synonymiam indagare. in quibus literarum hominem labi, errare, decipi turpissimum est. Vale.

II. *Quid ciuitatis nomine, quid urbis contineatur, & quae sit vtriusque vera definitio.*

M. Antonius Maioragius Octauiano Arcimboldo

S. P. D.

Illuseras heri me nimis false, quod hominum conuentum, iure sociatum & ad suas res tuen-

tuendas sufficientem ciuitatem esse definiuif-
sem. dixerasque haec definitionem meam du-
pliciter esse vitiosam. primo quod etiam ex-
ercitus ea comprehenderentur. qui iure so-
ciati sunt & res suas tueri possunt, & tamen,
vt ais, ciuitates dici non possunt. Deinde
quod moenibus circumdatae ciuitates, in qui-
bus discordiae ac seditiones essent hac defini-
tione mea excluderentur: cum tamen eas, in-
quis, nemo neget esse ciuitates: quamuis in
eis non sint homines iure sociati, sed plerum-
que fures & latrones. Ego vero, mi Octaui-
ae, licet ingeniose nobis occurras: nihil tamen
a sententia mea dimoueor. nam tuas istas ratio-
nes molli, quod aiunt, brachio video me posse
repellere. Ac primo quemlibet iustum exer-
citus cuiuscunque nationis rectissime ciuita-
tem appellari posse dico: modo sit ita sociatus,
vt legibus atque institutis communibus vtatur,
& a se propulset iniuriam. non enim, cum ciui-
tatem dicimus, domos ac moenia significamus:
sed ipsam ciuium multitudinem, quae quam-
uis moenibus inclusa non sit: nihilo tamen
minus erit ciuitas. nam vt praeclare primo de
Republica docet Aristoteles, ciuitatem omnem
quandam esse communitatem, alicuius boni
gratia constitutam videmus. quod si quis ex-
ercitus iure conuenerit ad hostium iniuriam
propulsandam & res suas tuendas: quis non
eam hominum societatem & quasi conspiratio-
nem recte ciuitatem esse dixerit? Quid enim
est

est quod ciuitatem efficiat? annon id quod grauiſſimus auctor Aristoteles tradit, *τη αγαθη και δικαιη κοινωνια*? hoc est boni iustique communitas? vel quod Philosophorum Deus, Plato de legibus septimo scribit, *τα νομιμα εγγραφατε και αγραφα*, hoc est leges ac instituta scripta & non scripta? quae ciuitatum esse vincula sapientissime dicit. non igitur moenia, non aedificia, sed iura, sed consensus, sed iustitiae communitas ciuitatem facit. est enim homo, quod ait Aristoteles ciuile quoddam animal: quod naturali quadam inclinatione solitudinem fugit, conuentus & consociationes diligit. ex quo fit, vt naturales sint omnino ciuitates. qua ratione prudentissimus idem Philosophus concludit: fuisse ciuitates antequam domus vllae aut aedificia substruerentur: quoniam non domus sed consensus hominum ciuitatem constituat. Quod etiam bene Iulius Caesar intellexit, qui primo de bello Gallico Heluetiorum exercitum ciuitatem appellat; & partem exercitus partem ciuitatis. cuius verba libet hoc loco recitare. sic enim ait. Is pagus appellabatur Tigurinus. nam omnis ciuitas Heluetiorum in quatuor pagos diuisa est. hic pagus vnus cum domo exisset patrum nostrorum memoria: **L.** Cassium Consulem interfecerat, & eius exercitum sub iugum miserat. ita siue casu siue consilio Deorum immortalium, quae pars ciuitatis Heluetiae insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps poenas persoluit.

nit. Huc pertinet etiam, quod in somnio Scipionis tradit Cicero. Nihil enim est, inquit, illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociari, quae ciuitates appellantur. Sunt igitur ciuitates concilia coetusque hominum iure sociati, quamuis intra moenia non habitent. dixit enim egregie Lacon quidam, cum interrogaretur, cur Lacedemoniorum vrbs muris circumvallata non esset, sicuti reliquae: non terrea oportet esse moenia sed ferrea. constat enim ciuitatis robur in armis non in aggeribus. quod dictum Plato de legibus sexto sic protulit. *Χαλκα καὶ σιδηρα δεῖν εἶναι τὰ τεχνικὰ μάλλον ἢ γῆνα.* Quod autem vulgo ciuitates eas appellamus, quae sunt moenibus septae: non proprie loquimur sed per figuram, quam Rhetores Hypallagen, Grammatici Metonymiam vocant: cum id quod continet ponitur pro re quae continetur. atque ideo dixit Aristoteles, vrbes quae ex coementis & lapidibus constant, non proprie ciuitates appellari, quoniam construuntur & destruuntur, sed *ὀμωνυμίας* id est ambigua significatione, vel, vt Dialectici loquuntur, aequiuoce. vt si quis hominis statuam hominem esse dicat. Bene igitur Themistocles, cum oraculum interpretaretur, quod praecipiebat, vt Athenienses salutem muris ligneis tuerentur, persuasit Atheniensibus, vt Iustinus scribit, patriam municipes esse, non
 moe-

moenia: ciuitatemque non in aedificiis sed in ciuibus positam: atque etiam ad huius sententiae meae confirmationem illud accedit, quod ex Romana consuetudine dicebatur quis ciuitate donari, non qui esset in urbem receptus, sed qui poterat iisdem legibus atque iisdem honoribus frui, quibus populus Romanus. Itaque ciuitas in legibus & concordia populorum, vbicunque fuerint, esse dicitur: etiam si urbem non incolant. vrbs enim ea dicitur, quae munita est, & moenibus circumdata; ciuitas vero ipsa hominum multitudo, quae plerumque solet vrbes incolere. quod apertissime & elegantissime, sicut omnia, Cicero in Lucullo declarat. vbi Sp. Albinum Praetorem ait iocantem dixisse Carneadi. Ego tibi Carneade, Praetor esse non videor: quia sapiens non sum? nec haec vrbs, nec in ea ciuitas? tum ille: huic Stoico non videris. Aristoteles aut Xenocrates, quos Antiochus sequi solebat, non dubitauisset, quin & Praetor ille esset, & Roma vrbs, & eam ciuitas incoleret. quibus ex verbis apparet, id omnino falsum esse, quod tu meae definitioni secundo loco obieceras: nempe quod etiam ciuitates dicantur illae, quibus fures & latrones dominantur, & nulla fiant iudicia. fortassis enim eas vrbes esse concedam: ciuitates vero nullo modo. quoniam, vt docuimus, haec inter se nomina multum discrepant, quod etiam in oratione pro P. Sestio notauimus, vbi sic ait Cicero. cum conuenticula ho-

mi.

minum, quas postea ciuitates nominarunt, tum
 domicilia coniuncta, quas vrbes dicunt. solet
 quidem maiori ex parte ciuitas vrbem habita-
 re. sed tamen etiam sine vrbe ciuitas esse pot-
 est. sicuti contra saepe sunt vrbes, quas ciuitas
 non incolit. quod in Paradoxis optime Cicero
 declarat, his quidem verbis. Quae est enim
 ciuitas? omniscne conuentus etiam ferorum &
 immanium? omniscne etiam fugitiuorum. ac
 latronum congregata vnum in locum multitu-
 do? certe negabis. non igitur erat illa tum ci-
 uitas, cum leges in ea nihil valebant, cum iudi-
 cia iacebant, & quae sequuntur. At fortasse
 dices, ex Stoicorum disputationibus locum
 hunc a Cicerone desumptum esse: qui solebant
 admirabilia quaedam & a consuetudine com-
 munitatis sensus abhorrentia, proponere. Sicuti
 paria esse peccata. virum sapientem esse regem:
 etiam si mendicus sit; pulchrum, etiam si sit
 Therfite deformior. verum ego video, non
 hoc a Stoicis sed a Platone suo mutuatum esse
 Ciceronem. apud quem sexto de legibus nos
 haec verba notauimus; *πασά δὲ πρὸς πόλιν ἀπο-
 λισ αὐ γίνετο, ἐν ἧ δικαστρία μὴ καθίσταται ἰσθα-
 τα τροπον.* Omnis ciuitas, inquit, nomen ciuitatis
 amitteret, in qua non fuerint iudicia debito
 modo constituta. qua in sententia fuisse etiam
 Aristotelem, ex eius libris de Republica perspi-
 cuum est. vult enim omnium animalium opti-
 mum quidem esse hominem, si leges & iusti-
 tiam sequatur: at vero cum a legibus & iustitia
 dis-

differt: animantium omnium esse nequif-
 simum. quo fit, vt ex huius generis hominibus,
 qui nihil iustitiam faciunt, ciuitas constare
 non possit. Est enim lex, quemadmodum ait
 Demosthenes, inuentum ac munus Deorum, &
 conspirantis ciuitatis conuentum: ad cuius
 praescriptum omnes in ciuitate degentes vi-
 tam instituere par est: non igitur illi sunt in
 ciuitate, qui legibus & iustitiae non obtempe-
 rant. vnde genus id hominum dicuntur a
 Graecis *ἀποδιδυμεῖς ἢ ὄπατοι*, h. e. sine ciui-
 tate, sine tribu. Quare iam plenum & perspi-
 cuum est, ibi nullam esse ciuitatem, vbi non sit
 conuentus hominum, iure sociatus, & ad suas
 res tuendas sufficiens. vt verissima iam appa-
 reat definitio mea, quae nihil redundans, nihil
 parum explicatum contineat. omnis enim ho-
 minum multitudo, iure sociata, quae res suas
 tueri ac defendere possit, recte ciuitas appella-
 bitur. neque vilo modo erit ea ciuitas, quae
 non sanctissimarum legum & iudiciorum
 praesidio firmata sit. Quae cum ita sint:
 iam profecto vides nullam fuisse causam, cur
 meam definitionem irideres: quae doctissi-
 morum hominum auctoritate nititur & com-
 probatur. Vale.

III. *Unde senatus dicatur, & de ordine Senatorio quaedam.*

M. Antonius Maioragius Constantino

Adduensi

S. P. D.

Rem a me perquam facilem ac vulgatam, neque sane longa disputatione indigentem requiris. in qua tamen Bartolum, iurisconsultorum quasi coryphaeum quendam, hallucinatum fuisse, non immerito suspicaris. petis enim, unde senatus nomen deductum sit. quod ab assentiendo nimis absurde Bartolus appellatum esse credidit. Ego vero nullius auctoritatem Ciceroni praeferebam existimo: qui libro de senectute scribit: summum consilium a senibus appellatum fuisse senatum. quemadmodum, inquit, apud Lacedaemonios, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes. Erat enim Lacedaemone publicum concilium, quod Gerusia dicebatur. nam γερουσία apud eos senem significat. in quod tantum ii, qui integritate vitae & fide ac religione praestarent, cum ad senectutem peruenissent, eligi solebant. quod Demosthenis interpretes Ulpianus scribit. & Aristoteles in Politicis praemium hoc summae virtutis apud Spartanos fuisse prodidit. Quam etiam Plutarchus in Romuli vita iuniores tradit electos a Romulo, qui bellicis rebus incumbere; centum vero seniores, qui Rempublicam administrarent, & uniuersum populum

con.

consilio regerent, constitutos. qui Senatores ab aetate nominati sunt. Ouidius quinto fastorum:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros
Nomen & aetate mite senatus habet.

Eutropius, de Romulo verba faciens, centum, inquit, ex senioribus legit, quorum consilio omnia egit, quos Senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curae nominauit. Nam apud antiquos Romanos ii tantum in senatorum ordinem cooptabantur, qui & honestate vitae & aetate praecellerent. Unde Cynaeus, Thessalus, Pyrrhi, Epirotarum Regis, Legatus, cum Romam venisset, Romani Senatus maiestatem supra modum admiratus, Pyrrho, cum ad eum reversus esset, dixit: non se Romae sicut in aliis ciuitatibus senatum, sed confessum quendam magnificentissimorum Regum vidisse. cuius vocem Lilius primo Decadis libro nono sic imitatus est, eum de Alexandro Magno loqueretur. victus esset consiliis vnus iuuenis senatus ille? quem qui ex regibus constare dixit, vnus veram speciem Romani senatus cepit. talis erat Athenis Areopagitarum Senatus, quem Solon, vnus e septem Graeciae sapientibus, constituisse dicitur. in quo tantum eo; adscribi licebat, qui & senes essent, & omne curriculum anteaetae vitae suae in rectis studiis & honestate transigissent. Quare non est, quod amplius dubites, quin & male senserit Bartolus, & Senatus nomen a senectute deductum sit. Vale.

IV. *Iniuste accusatum Ciceronem a Rutilio super familia Papyriorum, & Ciceronis locus illustratus.*

M. Antonius Maioragius
Antonio Comiti, Consobrino suo
S. P. D.

Quæris, an iuste negligentiae nomine Ciceronem accuset Bernardinus ille Rutilius, qui de Iurisconsultorum vitis opusculum non sane contemnendum scripsit, propterea quod in epistolis ad Papyrium Pactum scribens Cicero J. Papyrium Mugillanum, censorium virum principem Papyriorum fuisse dixerit: cum Rutilius iste velit Sex. Papyrium, qui ex Romanis iurisperitis principem locum obtinuit, etiam Papyriorum familiae primum fuisse: idque Pomponii iurisconsulti auctoritate probare contendat. Ego certe non temere a Cicerone, cum in omnibus rebus, tum in Romanis historiis, quarum fuit diligentissimus observator, recedendum existimo, mirorque, tantam esse alicuius hominis audaciam, ut, quae in obscurissimis antiquitatis tenebris diutissime latuerunt, putet se melius hoc tempore posse eruere, quam suis temporibus inuestigavit Cicero, qui & Varronis diligentissime scriptos de Romanis rebus libros & Catonem de originibus & Pomponii Attici historias accuratissime lectitarit; multaque alia volumina, quae iam pridem temporum iniuria perierunt.

Quin

Quis etiam mult. is in locis gloriatur & praedica-
 cat, se antiquitatis studiosissimum fuisse, vt nul-
 li, praesertim in hac parte, possit in eum cadere
 negligentiae suspicio, atque eo magis, quod eo
 in loco Pactum reprehendit, quia dixerit Papyriam
 nullum vnquam fuisse. qui consul cum
 L. Sempronio Atracino fuit: cum antea censor
 cum eodem fuisset, annis post Romam conditam
 trecentis duodecim. quo in loco notanda est
 etiam Glareani cum Cicerone discrepantia: qui
 annis trecentis vndecim, hoc est vno minus,
 quam Cicero dixerat, post Romam conditam,
 hunc fuisse consulem scribit. Sed Ciceronis
 verba videtur omnino Bernardinus iste non
 intellexisse, non enim cum Papyrium Mugilla-
 num Principem Papyriorum appellat Cicero,
 vult etiam primum eius gentis fuisse, sed ideo
 principem vocat, quia primus ex ea familia di-
 gnitates maximas adeptus clarissimus extiterit.
 quippe qui censuram primo, mox etiam consu-
 latum praeclearissime gesserit. quamuis enim
 Sex Papyrius, de quo Pomponius titulus de ori-
 gine iuris verba facit, sacras omnes profanas-
 que leges, a regibus latas, vnum in volumen re-
 duxerit, easque diuulgarit: non tamen hoc eius
 factum tanti est, vt debeat ipse Papyriae gentis
 princeps appellari: cum praesertim ad Pactum
 scribens Cicero, Papyrios tantum eos celebret,
 qui insignes aliquo magistratu fuerunt. constat
 autem ante L. Papyrium Mugillanum, qui post
 exactos reges anno sexagesimo septimo con-

ful fuit, neminem e Papyriorum familia maiorem aliquem magistratum gessisse. Quare non iniuria, sed potius iure optimo Papyriorum princeps appellatur. quamvis enim ille Sex. Papyrius, a quo ius Papyrianum dictum est; Rex sacrificulus fuisse dicatur: tamen id sacerdotium atque ea dignitas nihil ad censuram & consulatum: quem L. Papyrius Mugillanus primus ex ea familia consecutus est. Ex his sane perspicuum est, nullam fuisse causam, quare Bernardinus iste tam insolenter negligentiae Ciceronem condemnaret, quem potius auctorem sequi debemus etiam in his, quibus a reliquis scriptoribus discrepare videatur. Tanta enim fuit eius in omni re diligentia, ut ab eo sine nefario scelere dissentire vix quisquam possit. Vale.

V. Interpretatus Virgilii versus, per sensuum & exteriorum & interiorum distinctionem.

M. Antonius Maioragius Bartholomaeo Riccio

S. P. D.

CVM pro ea, quae mihi tecum est, summa & iucundissima necessitudine nuper ad te venissem, & familiares inter nos, ut amicorum mos est, sermones conferremus: succurrit in dicendo quaedam mihi res haud vulgaris, quam te diligentius advertere magnopere desi-

desiderarem. Haecque versum e pastore Virgilio carmine illum vsurpauit:

Sensibus hinc imis, res est non parua, reponas.

Tu vero, postquam id quod dicturus fueram, peratente perque libenter audiisses: eius Virgiliani versus a me sententiam perquisiisti. Cur enim, inquisti, diuinus poeta noster, cum Palaemonem iudicem, quae dicerentur, diligenter attendere vellet, iussit vt ea sensibus imis reponeret? quinam tandem sunt hi sensus imi? aut quae sensuum apud auctores distinctio? nam qui sensus vulgo quinque numerantur, eos non video quid ad memoriam aut recordationem pertineant. neque sane intelligo, cur in sensibus potius, quam in mente aut memoria dicta sua reponi a Palaemone Damaeta velit. Nam Seruius ac caeteri, qui commentarios in id opus Virgilii scripsere, locum hunc tanquam apertum ac planum, neque vllis impedimentis salebris praetermiserunt. verum ego reconditoris aliquid doctrinae subesse existimo. Haec postquam ex te audiissem: dixi me per otium diligentius rem totam perpensurum, nunc igitur, re perquam accurate perpensa & cognita, dico non sine summa ratione factum a Virgilio, vt quae diligenter aduerti & memoriae mandari cuperet, ea sensibus imis reponi praeciperet. Verum vt huius carminis sententia facilius ac melius intelligatur: faciendum mihi arbitror, vt breuiter ac dilucide

sensuum omnium distinctionem ac vim aper-
 riam. neque enim aliter, qui sint imi sensus,
 intelligi commode potest. Pro igitur sen-
 suum genera Philosophi tradidere, vnum eo-
 rum, quos exteriores vocant, alterum eorum,
 quos interiores. sed exteriores omnibus qui-
 dem, qui vel mediocrem rerum notitiam ha-
 beant, quam notissimos esse, manifestum est.
 quis est enim qui nesciat quinque corporeos
 esse sensus, visum, auditum, odoratum, gustum,
 tactum? e quibus tactum & gustum hominibus
 cum belluis communes esse dixit Aristoteles:
 vnde etiam voluptates eas, quae tactu aut gu-
 statu percipiuntur, omnium esse foedissimas,
 sapientes viri censuerunt. In homine tamen
 acriorem esse tangendi sensum, affirmat: pro-
 pterea quod subtiliores homo nervos habeat:
 vnde tangendi facultatem oriri existimant.
 Oculorum, inquit Plato, est in nobis sensus a-
 cerrimus, qui tanquam speculatores altissi-
 mum locum obtinent, & nobis ad Dei cog-
 nitionem duces esse solent. Auriumque item
 est admirabile quoddam artificiosumque iu-
 dicium, vt ait Cicero, quo iudicatur, & in vo-
 cis & in tiliarum neruorumque cantibus va-
 rietas sonorum, narium etiam, & gustandi ma-
 gna iudicia sunt. Sed cur quinque tantum
 exteriores sensus homini sunt a natura traditi?
 Quidam ideo factum existimant, quoniam to-
 tidem partes sunt, e quibus vniuersa mundi fa-
 brica constituta est, quatuor enim primo no-
 tissi.

tissima sunt elementa, terra, aqua, aer, ignis. deinde ea, quam naturam quintam multis in locis appellat Cicero, Aristoteles quintum corpus siue aetherem. Tactus igitur terrae proprius est: sicuti visus aetherei luminis. nihil enim igni vacuum, ait Plato, videri potest: nec vero tangi, quod caret solido. solidum autem nihil, quod terrae sit expers. visus igitur aethereo lumini comparatur, & videndi vim aetheris quandam habere naturam peritiores volunt. gustus aquae rationem habet. confert enim Aristoteles saporem & odorem, & ait in sapore humorem, in odore vero siccitatem exsuperare. auditus aere cietur. aeris enim percussio sonum emittit, quem audiendi vis percipit. olfaciendi sensus ignea natura commouetur. omnes enim, quicunque sunt odores, ex calore proueniunt. hi quinque sunt exteriores sensus, a quibus ad animi sedem atque sensus interiores quasi vias quasdam aiunt esse perforatas. verum vt sensuum interiorum distinctio melius intelligatur: sciendum est, cerebrum, vt ait Plinius, sensuum omnium arcem & receptaculum esse. ipsum autem tradit Galenus tres habere concauas sedes seu ventriculos: primum in fronte, alterum in media cranii parte, tertium in occipitio, quae postrema capitis pars est. quot autem numero sint interiores sensus, non satis inter auctores conuenit. nam Aristoteles duos tantum ponere videtur, h. e. sensum commu-

nem & memoriam. alii vero plerique Peripatetici quinque posuerunt: vt totidem essent interiores, quot exteriores: atque eos ita distribuunt, vt primus sit sensus communis, secundus imaginatio, tertius aestimatio, quartus cogitatio, quintus memoria. verum Galenus, cuius nos sententiam sequimur, tres tantum esse affirmat: vt singulis cerebri ventriculis singuli sensus assignentur. Itaque in prima cerebri parte primum interiorem sensum statuimus, qui communis sensus dicitur. cuius vis est ac potentia, vt quae ab exterioribus sensibus percipiuntur, ipse apprehendat, atque in vnum quasi locum contrahat; deinde singula discernat atque diiudicet. hinc est quod virum ineptum ac delirum, quoniam res discernere ac diiudicare nescit, communi sensu carere dicimus. quod dictum plerique vsurpare consueuerunt: & tamen si ab eis rationem exquiras, haereant & nihil extricare possint. Secunda cerebri sedes cogitationem, siue rationem continet: quae consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus atque antecessiones, vt ait Cicero, non ignorat; similitudines comparat; rebusque praesentibus adiungit atque annectit futuras. In tertia atque vltima cerebri parte memoria consistit: de qua omnis est a nobis hic sermo institutus. haec ea pars est animi, quae caeterarum ingenii partium custos est: quam Cicero rerum inuentarum thesaurum appellat.

haec

haec quidem in homine vis est admiranda. quis enim intelligit, qua ratione fiat, ut infinitarum prope rerum & maxime variarum scientiam vna memoria complectatur? Sed iam his ita declaratis: videamus, quam erudite Damaeta noster, licet imperitus pastor, & quam artificiose locutus sit. iubet enim Palaemonem iudicem verba sua non audire solum, hoc est exteriore aurium sensu percipere, neque tantum considerare & cogitare, sed ita memoriae mandare, ut postea recordando reminisci facile possit. fit enim in iis sensibus, qui interiores dicuntur, mira quaedam perceptarum rerum vicissitudo. nam cum aliquid complecti memoria volumus: primum illud audiendo vel aliter sentiendo communi sensu apprehendimus, deinde cogitatione ac ratione quasi confirmamus, postremo memoriae, hoc est imo atque ultimo sensui mandamus. innum enim ego postremum in hoc versu interpretor. Satis autem ex supra dictis apparet, memoriam omnium sensuum & exteriorum & interiorum esse postremam. Nam quod per maiorem numerum locutus sit Damaeta, cum de sola memoria verba faceret, nihil nos mouere debet: cum praesertim sciamus, numeri mutationem saepenumero non a poetis solum sed etiam ab historicis atque oratoribus fieri: ut & multitudinis numerum pro numero vnius; & contra singularem numerum pro maiore frequenter vsurpent. Nunc ordinem in sensibus

bus interioribus conuersum ostendamus. cui enim Damasci Palæmonem verba sua recordari tantopere concupiscit? non alia certe de causa, nisi ut de illis iudicare commodius & verius possit. ergo ita accidit, ut, quod alio dicente postremo sensu hoc est memoria complexi fueramus, si de eo nobis ferenda sententia est, rursus ad rationem & cogitationem reuocemus, & cum id quam diligentissime perpenderitimus, tunc communi sensui nostro subiiciamus; atque ita per sensus omnes interiores, hoc est per memoriam, rationem & communem sensum iudicemus. Quare vides iam, opinor, quae sit eius carminis & quam erudita sententia, cuius explicatio a sensuum & exteriorum & interiorum cognitione atque distinctione proficiscatur. neque enim omnino quidquam recordari possumus, quod non aliquo prius exteriori sensu comprehenderitimus. verum haec est in sensibus differentia, quod ad recordationem excitandam vnus tantum e corporeis sensibus, quos exteriores vocari supra diximus, sufficere potest. quod enim vel vidimus vel audiuius, vel tangendo, gustando, olfaciendo cognouimus, eius recordari facile possumus sine cuiusque alterius exterioris sensus auxilio. at vero in animi sensibus non ita fieri certum est. omnes enim ad memoriam confirmandam, quemadmodum etiam ad iudicandum concurrere necesse est. Nam iudex, vno aurium sensu litigantium

con-

obstantibus percipiens, antequam eas memoriae commendat, communi prius sensu discernit atque intelligit; deinde cogitatione complectitur. quod si tantum auditanda percipiat; neque inis sensibus reponat: quae ratione fieri poterit, ut de illis vere iudicet? contra si tantum meminerit, neque ratione & cogitatione perpendat: & denique communi sensu atque intelligentia prosequatur: nullo modo rectum eius iudicium esse poterit. ex quo planum atque perspicuum est, ad recte iudicandum omnibus animi viribus ac sensibus opus esse. quo fit, ut alia fortasse melior interpretatio possit huic carmini accommodari, ut imos sensus, non memoriam tantum, ut initio diximus, sed interiores omnes sensus intelligamus; atque ita cessabit ea licentia, qua diximus materiam numerum pro maiori plerumque usurpasse solere. quamvis haec posterior interpretatio non admodum a priori discrepare videatur, cum utraque ad unum atque eundem iudicii finem tendat. sed certe posterior Virgilianae sententiae magis omnino mihi videtur convenire. Hoc igitur modo sit modata carminis illius intelligentia, de qua non sine causa dubitare videbaris, & aliquam se habere reconditam doctrinam suspicari. Vale.

VI. De Polyceto, Casuario, & Polygono pictore,
deque verbis fingendi & pingendi
quaedam.

Sapienter a iurisprudentibus institutum
fuisse

fuisse iudico, mi Ferrine doctissime, vt nulla omnino dere, quamuis aperta & peruulgata, velint ex tempore pronunciare, priusquam Bartolos suos, Baldos, Salycetos, caeterasque humani generis pestes diligenter euoluerint. nihil enim memoria debilius aut infirmius est, nihil quod magis vacillet, nihil quod nos frequentius decipiat. nam saepenumero fieri solet, vt aliqua vel nominum vel rerum similitudine capti, fallente memoria, in errorem facillime deducamur. hoc adeo mihi venit in mentem ad te scribere: quoniam cum hodie mane familiariter inter nos colloqueremur, in eam ambò sententiam discessimus, vt duos fuisse Polycletos, alterum statuarium, alterum vero pictorem crederemus. at vero postquam a te discessi remque diligentius pensitavi: facile cognoui, nos non satis prudenter censuisse: cum vnum tantum celebrem Polyeletum atque cum signorum statuarumque fictorem, apud probatos auctores fuisse reperiam. Sed nimirum celebrati pictoris nomen nos fefellit, vt qui Polygnotus dicebatur, eum Polycletum fuisse opinaremur. fuisse autem egregium pictorem Polygnotum, qui non minorem ex pictura gloriam, quam ex aere ducendo & fingendis statuís Polycletus assecutus sit, probabilissimi auctores Cicero, Quintilianus, Plinius, Aelianus attestantur. Nam in Bruto Cicero, cum ostendere vellet, omnes paulatim artes ad perfectionem esse deductas, de vtroque verba facit.

fuit, hoc modo. Calamidis, inquit, signa dicta illa quidem, sed tamen molliora quam Caricchi, nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere, pulchriora etiam Polycleti & iam plene perfecta: ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est. in qua Zeusim & Polygnotum & Trinantem, & eorum, qui non sunt vsus plusquam quatuor coloribus, formas & lineamenta laudamus. idem in Verrem libro quarto scribit Messanae in Sicilia fuisse duo signa aenea, non maxima, verum eximia verustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant: quae Canephorae vocarentur, & earum artificem fuisse Polycletum. Quintilianus autem censet Polycletum diligentia & decore supra alios fuisse statuarios. At vero Plinius Polycletum hunc fuisse Sicyonium tradit, & Ageladis discipulum, cuius etiam quae fuerint signa memorabilia recitat. inter quae tradit Herculem fuisse Romae, Anthem a terra sustinentem. de quo Hercule Cicero de oratore secundo verba facit. quo in loco quidam decepti sunt. cum enim paulo ante Cicero de pictura meminisset: crediderunt eam Herculis imaginem, a Polycleto conformatam, non fictam fuisse, sed potius pictam. atque ideo Polycletum quendam alium pictorem sibi confixerunt. verum eo loco Cicero rectissime transit a pictura

stura ad signorum fictionem : cum praesertim
 pictura etiam in fictione statuarum alucescat.
 quod de oratore primo Cicero his verbis com-
 probat. & qui aliquid fingunt, etsi tum pictu-
 ra nihil vtuntur, tamen vtrum sciant pingere
 an nesciant, non obscurum est. Itaque nemo
 potest ex eo loco suspicari, fuisse quendam pi-
 ctorem egregium, nomine Polycletam. praes-
 fertim cum Plinius, qui res huius generis
 omnes fere studiose confectatus est, pluribus in
 locis de Polycleto signorum fectore, nusquam
 autem de pictore loquatur, atqui flagitium mi-
 nime tolerabile commississe Plinius videretur ;
 cum plerosque alios non tantum celebres sed
 etiam obscuros multos pictores recensuisset ;
 si tam eximium, vt isti volunt, pingendi artifi-
 cem neglexisset. sed ideo non meminit, quia
 nullus eo nomine clarus pictor fuit. habuit
 autem Polycletus aequalem & condiscipulum
 Myronem, atque etiam in eadem materia atque
 in eisdem signis aemulatorem. finxit enim et-
 iam Myron Herculem, quem Romae apud cir-
 cum Flamminium in aede Pompeii fuisse con-
 stat. tradit Aelianus duas eiusdem formae sta-
 tuas a Polycleto fuisse confectas. quarum alte-
 ram ex ingenio atque summo artificio suo con-
 formauit, alteram ad vulgi opinionem atque
 arbitrium accommodauerit. deinde cum vtra-
 que perfecta, prius eam quae suo iudicio con-
 fecta fuerat in pergula, spectandam proposuis-
 set, ab omnibus maiorem in modum probata
 est,

est, illa autem altera populi iudicio tantum non probata sed paene contempta est. tunc Polycletus, atqui scitote, inquit, hanc quam tantopere laudatis, a me, quam autem vituperatis, a nobis esse factam. Tanta autem fuit huius artificis excellentia, ut Polycleti regula pro re composita paene in prouerbum abiit. nam Galenus in libello de optima corporis constitutione corpus Polycleti regulae comparat. Quod autem Polygnotus celeberrimus pictor fuerit aetate Polycleto paulo inferior, satis ex Cicerone, Plinio, Aeliano, Pausania constat. fuit hic Thasius, & primus mulieres lucida veste pinxit; capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturae contulit. Siquidem instituit os aperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Plinius scribit, hunc & pictorem nobilissimum fuisse & argenti coelatorem egregium. Quemadmodum vero Polycletus Myronem aemulatorem habuit: ita Polygnotus Myconem. ut non iniucundum sit, non tantum in ipsis artificibus, sed etiam in eorum aemulatoribus quandam nominum similitudinem aduertere. Inter caetera, quae Polygnotus egregie pinxit, maxime Porticus Athenis ab eo picta, quae a picturae varietate poecile dicta est, celebratur. ex qua maiorem etiam gloriam atque auctoritatem consecutus est, quod eam gratuito pinxerit: cum partem eius Mycon mercede pingeret. vnde Amphyratio-

ctiones, quod est publicum Graeciae concilium, hospitia illi publice gratuita decreuere. De hoc pictore Quintilianus in duodecimo sicuti etiam de Polycleto fectore meminit. Aelianus scribit, Polygnotum in picturae tenuitate plurimum valuisse; & plicas vestium molliciasque signorum mirifice pingendo imitatum. Pausanias decimo libro tradit: Ocnum quendam a Polygnoto pictum fuisse, qui spartum torquere videretur; & Asinam prope assistentem, quae spartum idem roderet. quod aenigma significare volunt, eum frustra laborare, qui prodigam vxorem haberet. quam rem etiam Propertius innuit his versibus:

Dignior obliquo funem qui torqueat Oeno
 Aeternusque tuam pascat. Afella famem.
 Fuit etiam Polycles quidam statuarum artifex, de quo Plinius non vno in loco meminit. pictor autem eodem nomine, quod sciam, nemo fuit. Illud plane verissimum est, in quo ambo conuenimus, cum de pictoribus & statuarum artificibus inter nos loqueremur, verbum hoc fingere nunquam ad pictores a Cicero transferri, sed ad statuarum artifices proprie pertinere. Nam haec duo verba pingere & fingere pluribus in locis Cicero non sine iucunditate quadam distinguit, vt ad L. Luceium scribens. neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi & a Lyfippo fingi volebat. & in libro in Verrem

rem

rem quarto. Cybiratae sunt fratres quidam Tlepolemus & Hiero, quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. & secundo de natura Deorum. reliquos Deos ea facie nouimus, qua pictores fictoresque voluerunt effingere autem quamuis apud Ciceronem de pictore dictum non memini: tamen tam de pictore quam de fictore dici posse, grauissimus auctor Quintilianus ostendit. qui libro quinto sic ait. Statuarum artifices pictoresque clarissimi cum corpora, quae speciosa fingendo pingendoque effingere cuperent, & quae sequuntur. quin etiam hoc verbum ducere de vtrisque artificibus vsurpatur. ac primo de pictoribus notissima est historia illa, quam Plinius de Protogone atque Apelle recitat. quorum vterque certando lineas in tabula tenuissimas vario colore duxit. quo tamen in certamine superior Apelles euasit. vnde natum est prouerbium: nullam hodie lineam duxi. de fictoribus autem notum est illud Virgilii in sexto.

Credo equidem viuos duxent de marmore vultus.

Itemque Horatii illud de Alexandro M.

Edicto vetuit ne quis se praeter Apellem

Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera.

Haec ideo scripsi, quia tibi gratissima fore confidebam. quamuis enim grauissimis in rebus occupatus sis: tamen his humanioribus literis te mirifice delectari video, vt non dubitem, quin haec lubentissime perlecturus sis;

cum ea te natura praeditum esse perspectum habeam, ut ad omnia, quae ad eruditionem pertinent, facillimas aures semper praebere soleas. Vale.

VII. Declaratur Virgilii locus in Bucolicis, & bis eodem loco Servius notatus.

M. Antonius Maioragius Marco Fanniano
S. P. D.

IN omnibus meis epistolis, quas ad amicos & praesertim ad te scribo, studeo semper aliquid immiscere, quod non modo sensum aurium delectet, verum etiam, si fieri potest, eruditionem augeat. sed cum hoc tempore nihil haberem, quod te scire aut tua aut mea interesse arbitrer: tuis proximis literis effectum est, ut scribendi mihi argumentum non deesset. petis enim a me per literas, ut ad te scribam, quos in hac ciuitate viros maxime literatos inuenerim. Ego vero multos quidem hactenus cognoui, qui non omnino videantur indocti, sed suo iudicio sint valde sapientes: verum ut eos praetermittam, qui falsam sibi scientiae persuasionem induxerunt, cum tribus mihi summa familiaritas intercessit, qui non fucata sed vera & solida doctrina praediti sunt. Primus ille est, qui suo labore atque industria bonas plurimum literas hactenus illustrauit, Bartholomaeus Riccius: cuius ego consuetudine mirifice delector. etenim est non tantum eruditione clarus, sed etiam humanitate atque modestia mirabilis. Alter Gregorius est Gyraldus:

dus: cuius multa extant eleganter atque erudite conscripta opera. Tertius Ferrariensis Principis, Herculis Attestii, consiliarius est, vir omnium virtutum genere cumulatissime ornatus. Nam & disciplinis omnibus imbutus est, & politiores literas, candoremque ac proprietatem Latini sermonis vehementer amat; atque etiam Thusco sermone non sine summa laude & gloria delectatur; rythmorumque genus omne felicissime conscribit. hic Bartholomaeus Ferrinus vocatur, vir modestissimus, & multis ingenii suauitatibus admirandus. hi sunt, quorum solet esse consuetudo mihi iucundissima. Sed quoniam Riccius nobis vicinior est: ideo frequentius ad eum accedere soleo: vt quam saepissime fieri potest in eius doctissimo sermone conquiescam. Itaque cum eum nuper invisissem, & inter nos sermo de Virgilii Bucolicis incidisset: dixit: se in eo opere locum vnum habere, quem nemo adhuc intellexisset: & quem ab Andrea Nauagerio, summo illo atque eloquentissimo viro, quondam ipse didicisset. Iam te non praeterit, quam ego sim in hoc genere quasi famelicus. continuo instare coepi, vt eum mihi locum declararet. quod ille statim haud grauitate fecit. Locus est in Ecloga, quae Melibaeus inscribitur. vbi Corydon a Mycone pastore paruo caput ait apri & cerui cornua Dianae fuisse dedicata, voto hoc modo nuncupato.

Setosi caput hoc aprī tibi Delia paruus
 Et ramosa Mycon viuaces cornua cerui.
 Si proprium hoc fuerit: leui de marmore
 tota

Puniceo stabis suras euincta cothurno.

Vniuersa difficultas ac dubitatio in eis ver-
 bis est: Si proprium hoc fuerit, nam Seruius ex-
 ponit: vt talia carmina fecerit, qualia Codrus
 iam ante fecerat. at longo aliter Nauagerius
 & longe verifimilius ac melius. paruus, inquit,
 erat Mycon, & nondum perfectis viribus, sed
 aetate puer & imbellis: cum aprī caput & cer-
 ui cornua Dianae dedicaret. vnde satis apparet,
 neque aprum neque ceruum ab eo fuisse con-
 fessum. optat igitur sibi vires tantas, tantum-
 que roboris ac fortitudinis dari, vt cum apris
 ac ceruis ipse congredi atque illos interficere
 possit: vt non iam aliena spolia sed propria
 virtute parta possit ostentare. quod si fiat: pol-
 licetur, se marmoream Dianae statuam erectu-
 rum. ergo si proprium inquit, o Diana, fue-
 rit: hoc est si non alieno praesidio adiutus, ve-
 rum propria virtute ceruos atque apros confe-
 cero: leui de marmore tota Puniceo stabis su-
 ras euincta cothurno. Haec quoniam inter-
 pretatio mihi plurimum arrisit: his literis,
 quas ad te darem, eam mandare volui. Verum
 vnum addam ego, per me excogitatum, quod
 fortasse magnopere ad huius loci interpreta-
 tionem & intelligentiam conducere tibi vide-
 bitur: cum enim Corydon hoc loco ipse de se
 loqui

loqui videatur: cur de Mycone verba facit? Seruius Myconem vel patronum vel filium Corydonis esse putat. ego vero eundem esse crediderim; qui & Corydon & Micon appelleretur, vt in tertia persona de se verba faciat. quod & saepissime & elegantissime a scriptoribus omnibus fieri consuevit. neque sane absurdum est, quod duo nomina pastor vnus habeat: cum etiam alibi Virgilius hoc aperte faciat. nam in Ecloga, quae Palaemon dicitur, Damaetam & Menalcam certantes inducit: & quem initio Menalcam vocauerat, Iolam postea nominat. sic enim eum Damaeta alloquitur. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola! cum faciam vitula pro frugibus ipse venito. Et Menalcas respondens, a Phyllide se Iolam vocari confitetur. sic enim ait:

Phyllida amo ante alios. nam me discedere
fleuit

Et longum formosè vale, vale. inquit, Iola! Eadem ergo ratione Corydon hoc loco Mycon etiam appellatur. & quemadmodum superius musas rogauerat, vt se in carminibus faciendis adiuuarent: ita etiam hoc loco Dianam inuocat, vt se robustum & fortunatum venatorem efficiat. est enim Diana venationis praefes & Dea. qua in re declaratur etiam iuuenis ardentis animus, non vno studio contentus, sed musicae & venationi deditus. nam Seruii sententia nimis pinguis & crassa est. cur enim Dianam inuocet in versibus faciendis?

cum iam antea musas inuocasset ; & Diana non poëtis sed venatoribus fauere soleat. vide, quo genere nouitatis ego delecter : & quos numeros ad amicos meos deferendos curem. Scribant alii, quid Caesar aut Rex Francorum cogitet. quid noui rumoris vulgo circumferatur, quid garriant in foro circulatores : ego non alios rumores, non aliam nouitatem inuestigo, nisi si quid ex antiquis auctoribus aut ipse per me aut ab eruditis viris adiutus eruere possim, quod ab doctrinam augendam spectare videatur. Vale. Ferraria nono Cal. Maii 1544.

VIII. *Declaratus Ciceronis & Vulpiani locus contra Budaeci sententiam & de censu ac censendi ratione.*

M. Antonius Maioragius Roncagallo
Iurisconsulto

S. P. D.

ETSI tuum in legibus interpretandis acumen & ingenium non mediocriter admirari soleo : quod ex eo facile poteris intelligere, cum me frequentem tuis interesse lectionibus videas : tamen ita te recentioribus his auctoribus addictum esse nolim, vt quaecunque dixerint, ea, tanquam e tripode prolata, verissima esse iudices. Nam vt reliquos hoc tempore praetermittam : Budaeus fuit quidem ille vir praestans & eximius : quis enim hoc negare pot.

potest? sed tamen vt ex eius scriptis facile quivis intelligere potest, homo sibi nimium tribuens; & pluribus in locis, vt leuiter dicam, parum diligens. sed in praesenti satis est illud ostendere, quam inscienter Vulpiani locum illum attigerit, quem heri tu nobis interpretatus es, quo diuinus ille Iurisconsultus titulo de iustitia & iure, feras quoque bestias naturalis iuris peritia ceteri dixit. Primo enim se nescire fatetur, qua ratione verbum illud ceteri sit accipiendum: tamen audet interpretari, quod se non intelligere sentit. citat locum ex Cicerone pro Archia poeta, qui nihil penitus ad rem propositam facit. nam in emendatis codicibus is locus ita legitur. quod ex his studiis haec quoque crescit oratio & facultas. qui sensus meo quidem iudicio, longe melior est, & ad id quod agit Cicero multo accommodatior. satis enim erat Ciceroni dicere, poetarum quoque disciplina dicendi facultatem adiuuari & crescere. Quod si potius ita legendum sit, vt Budaeus voluit: Quod ex his studiis haec quoque censetur oratio: non tamen id significabit, quod ipse opinatur, hoc est pretium & aestimationem meretur. quod enim pretium, aut quam aestimationem ex hoc meretur eloquentia, quod orator artem poetica amplectatur. sed certe si scripsit ita Cicero, quandam potius cognationem, ac vt ita dicam, vicinitatem habere cum poetica eloquentiam declarare voluit. propterea, quod iam superius dixerat, ar-

tes omnes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum & inter se cognatione quadam contineri. scimus autem hoc verbum, censeri, significationem eam elegantem habere, vt de iis, quae similitudinem inter se aliquam habeant, pronuncietur. ita dicimus: Lucanum & ex oratorum numero censeri: quamuis carmina scripserit: quod eius dictio magis oratorem, quam poëtam referat. eadem ratione spongas animalium numero censeri dicimus: quod sensum habere videantur. Itaque Ciceronis locus erit hoc modo intelligendus, vt eloquentiam dicat habere cum poëtarum studiis similitudinem aliquam atque ita ex illis studiis censeri. Quod vero putat Budaeus a Vulpiano censeri, positum pro admirationi esse, id omnino ridiculum est & absurdum. quid enim est, quod nobis expertia rationis animantia sint admirationi propterea, quod iure naturali coniunctionis naturalis appetitu trahantur? filios procreent atque illos educent? certe non est quod haec admiremur: quae natura pariter omnibus indulsit animantibus. nam quod elephantis exemplum & ciconiae commemorat, quae quidem animantes videntur aliqua facere, quae sint humanis sensibus proxima: quis non intelligit, haec a Vulpiani sententia, tota, quod aiunt, diametro discrepare? neque enim hoc agit Vulpianus, vt ostendat, aliquas esse bestias, quae nobis sint admirationi: sed vt declaret, naturale ius vniuersis

sis

sis animantibus esse commune. atque ideo, ne-
 quis tantum homines crederet vti iure natura-
 li: subiungit feras quoque bestias iuris istius
 peritia cenferi. nam quid ineptius esset hac in-
 ductione, qua Budaeus vtitur ad id proban-
 dum, quod intendit Vulpianus? Elephas & Ci-
 conia nonnullaeque aliae bestiae propter quae-
 dam opera nobis admirationi sunt: ergo ius
 naturale commune est omnibus animantibus?
 Quis enim tam imperitus est, vt hanc argumen-
 tationem non ineptam ac puerilem esse videat?
 hoc igitur sublato fundamento: quaecunque
 Budaeus hac in parte commentatus est, sine
 controuersia corruunt. Quid ergo? longe
 melius hunc locum nos enodare poterimus:
 si ex multis huius verbi significationibus eam
 inuestigemus, quae ad Vulpiani sententiam
 magis quadrare videatur. nemini enim dū-
 bium est, quin apud Latinos hoc verbum cen-
 sere multa significet: quae nihil attinet hoc lo-
 co recitare. satis enim nobis esse debet, intelli-
 gere qua in significatione Vulpianus hic acce-
 perit. nam regula communis est in iure civili,
 vt quoties verbum diuersa significat, vel ad
 multa trahi potest, ea potius accipiatur si-
 gnificatio, quae subiectae materiae conueniat.
 Quare verbum hoc cenferi, dico positum a
 Vulpiano nostro, sane quam eleganter hoc loco
 per metaphoram pro eo, quod est numerari &
 adscribi. vt intelligamus belluas quoque, quan-
 tum ad ius naturale, cum humano genere nu-
 mera-

merari & quasi sociari. qua in significatione illud etiam Iuuenalis accipiendum est.

Stemmata quid faciunt. quid prodest Pontice, longo

Ordine censeri? Hoc est inter claros numerari & adscribi. cum enim homines multis in rebus a bestiis differant: tamen in hac parte, quae ad ius naturale spectat, non multum bestiis dissimiles sunt. nam, ut praeclare scriptum est a Cicerone, generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur; ut pareret ea, quae sunt ad viuendum necessaria; ut conjunctionis appetitu procreandi causa ducatur; & curam habeat eorum quae procreata sunt. atque haec quidem omnia sunt belluis cum homine communia. ergo hac in re bestiae cum hominibus censentur: quia peritiam earum rerum habent, quae sibi sunt utiles ac necessariae. quam significationem non vidit Budaeus: cum tamen sit pulcherrima & trita ac peruulgata. Duxit autem metaphoram Vulpianus a Romanorum consuetudine: apud quos quinto quoque anno ciues censentur, h. e. numerantur. ut apud Liuium multis in locis adnotari facile potest. sed neque serui neque peregrini censeri solebant: quoniam de iure ciuili serui nihil sunt. licet aliter sit de iure gentium. peregrini vero ciuium numero non habentur. quod si voluntate Domini, cum lustrum conderetur, seruus census fuisset: liberta-

ta-

tatem consequeretur & ciuis Romanus fiebat. Cicero quaeritur : is, qui Domini voluntate census sit, si non sit conditum iustrum sitne liber? & denique quicumque sine fraude censeretur, ciuis erat Romanus. vt pro Archia Cicero, eum, ait, qui sit census, ita se iam tum gefisse pro ciue & hoc quantum ad ius ciuile Romanorum pertinet : quo, vt dixi & serui & peregrini excluduntur. quod si ius gentium consideremus : non erit dubium, quin & serui & peregrini iuris gentium peritia censeantur, quoniam hoc iure, quatenus a natura humana procedit, nascuntur omnes liberi. quoniam rem a iure gentium bestiae tantum excluduntur. progrediamur ergo etiam ad ius naturale. sine dubitatione ferae quoque bestiae censentur : quoniam non homines tantum, sed omnia fere animalia ius naturale persequuntur. vides, vt opinor, luce clarius, quam apposite locutus sit Vulpianus : vt ostenderet, quantum ad ius naturale pertinet, belluas cum hominibus annumerari, & quodammodo eorum similes esse. quam rem a doctissimo Viro Budaeo non animaduersam fuisse, mirari satis nequeo. neque tamen inficias inefim, verbum censere nonnunquam idem significare, quod in pretio esse & aestimari. sed tunc alia quadam notione & ratione verbi, quae non satis huic loco congruit. Solebant etiam Romani censores singulorum ciuium facultates & copias aestimare : vt scirent, quantum quisque redi-

reditum ex suis possessionibus habeat. atque ita fiebat, vt, qui fructus ampliores & maiora ex agris suis vectigalia caperet, is maiori etiam esset in pretio atque aestimatione. solent enim ditiores magis honorari. vnde illa Maltheae, Scytharum Regis, pulcherrima responsio ad Philippum Macedonum regem: Scythas virtute animi & duritia corporis, non opibus censeo. Sed haec, vt dixi, notio verbi nihil ad hunc Vulpiani locum: quare superior est amplectenda: quae plane iurisconsulti sententiam declarat. Haec sunt, quae mihi venerunt in mentem, ex tempore super hoc verbo dicenda. quae tibi probatum iri confido. tanta enim est eruditioni tuae coniuncta humanitas, vt non verear, quin hanc disceptationiculam meam aequo animo sis accepturus. Vale.

IX. Explicata breuiter accentuum ratio, ex Ciceronis & Quintiliani sententia.

M. Antonius Maioragius Octauio Cui-
lectio.

S. B. D.

Saeptus quidem antea cognoui, me a te plurimi fieri, & vehementer obseruari; sed nunquam clarius aut illustrius quam proximis literis tuis. Tantum enim in eis mihi, pro tuo singulari in me amore, auctoritatis tantumque scientiae attribuis, vt me tanquam honorarium arbitrum de doctorum hominum con-
tro-

trouerſis facile ſententiam ferre & vere diiudicare poſſe exiſtames. Ac mihi quidem licet non tantum arrogem aut aſſumam, vt de quibus eruditi viri inter ſe diſſentiunt, ſine aliqua dubitatione me pronunciare poſſe putem: tamen, vt & tibi, quem vnice diligo & iſtis ciuibus tuis, de quibus ad me ſcribis, ſatiſfaciam: viſum eſt, quid ego de ſono vocis, quem accentum grammatici vocant, ſentiam, paucis explicare: cum praefertim neque mihi difficile futurum ſit ad exponendum: quippe qui non ſemel hoc meditatus ſim: neque vobis arduum ad intelligendum. Licet enim apud Grammaticos noſtros, non ſatis enodate de hac re tractatum eſſe videatur: ego tamen & breuiter & facile rem totam expediam. Atque illud primo ſciendum eſt, accentum, quem Cicero ſonum vocis appellat, in vnaquaque dictione tanquam formam atque animum eſſe. vt enim corpus anima ſpoliatum, nihil agere, nihil ſentire poteſt: ita vox quaelibet, ſi proprio atque ſuo accentu priuetur, vim omnem atque poteſtatem amittit. quo ſit, vt magna ſit accentuum habenda ratio: qui vel ſoli doctum hominem ab indocto diſtinguere facile poſſunt. Quem autem Grammatici noſtri accentum, Graeci *προσώδιον* appellant. vt omnino fallantur ii, qui inter accentum & proſodiam aliquam eſſe differentiam putant. ſic enim Quintilianus. Accentus, quos Graeci *πρόσωδιας* vocant. Sunt, qui formas ſive ſpecies accen-

centus decem esse velint, hoc est acutum, grauem, inflexum, densum, tenuem. sed qui melius sentiunt, tres tantum primos acceptus esse contendunt. acutum, grauem, inflexum: posteriores vero septem, ab accentibus distinctos, aliis nominibus appellant. nam duo tempora esse dicunt, longum & breue. tres perpeffiones, aggregantem; disgregantem; auersam. duos spiritus, tenuem & densum. quorum ego sententiam sequor: quia cum Ciceronis sententia conuenire videtur. Is enim in oratore sic ait. Mira est enim quaedam natura vocis, cuius quidem e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, tanta sit & tam suavis varietas perfecta in cantibus. Quia in opinione fuisse videtur etiam Quintilianus, qui tenores, eosdem esse cum accentibus ait, & tres tantum numerat, acutum, grauem, flexum. Sunt ergo ex Ciceronis & Quintilianii sententia tres soni vocis; acutus, grauis & inflexus. acutus parua quadam linea signari solebat, quae a sinistra per obliquum sursum versus ad dextram tendat, hoc modo; grauis contra, linea signatur a dextra per obliquum sursum versus, ad sinistram tendente, hoc modo; inflexus ex acuto & graui constat, hoc modo; illud porro obseruandum est, nullam peritus esse dictionem, quae naturaliter acutum accentum non habeat. quod his verbis in oratore fatetur Cicero; Ipsa enim natura quasi modularetur hominum orationem in omni verbo posuit acutam vocem

cem, nec vna plus, nec a postrema syllaba citra tertiam. Apud latinos generaliter accentus a syllabarum quantitate gubernantur. quod non idem fit apud Graecos, qui nonnullas alias, quam latini rationes in accentibus sequuntur. neque hoc ita accipi velim, quasi dicam, idem esse quantitatem syllabae, quod accentum. hoc enim omnino falsum est. sed quatenus syllabae vel breues vel longae sunt in dictionibus, ita regulae traduntur, quibus accentus intelligi facile possint. nam inflexus tantum in longis syllabis locum habet, nunquam in breuibus. acutus & in longis & in breuibus. grauis in aliquo verbo per se nunquam consistere potest, sed in omnibus syllabis cuiuscunque vocabuli, in quibus neque acutus neque inflexus inuenitur, in eis semper grauis est. Ergo ita fit, vt vnusyllabae voces, si breues sint, acutum sonum habeant: vt *sed* *nec*. si longae positione, etiam acutum: vt *fax*, *pix*, *nix*. si longae natura, inflexum sonum poscunt. vt *nôs*, *spês*, *dôs*. Duarum syllabarum voces semper priorem acuunt: nisi longa natura fuerit, & vltima breuis. tunc enim prior inflectitur, vt *Rôma*, *lûna*. Trium syllabarum verba & quatuor & quinque & plurium seruant hanc regulam, vt nunquam citra tertiam ab vltima accentum habere possint. quod etiam apud Graecos obseruatur. est ergo accentus vel in secunda ab vltima vel in tertia, nunquam autem citra. nam apud latinos in vltima nunquam

quam accentus ponitur : nisi distinctionis causa fiat. vt paulo post aperiam. Secunda vero ab vltima syllaba ea est, quae reliquis omnibus moderatur. nam si longa natura fuerit : semper inflexum habebit accentum : vt Romānus, lectica, cethēgus. nisi etiam vltima natura longa fuerit. tunc enim habebit acutum. vt Athēnae, legērunt. si longa positione fuerit : acutum habebit, vt Camillus, Metellus. Si breuis : semper accentum in tertiam ab vltima reiciet : vt Dōminus, Iūlius. Hae sunt fere generales regulae, quas in accentibus latini seruare solent. sed in eis multi peccant, vt Quintilianus docet : cum vel acutum pro inflexo, vel grauem pro acuto, vel denique alterum pro altero ponunt, vt si quis Cāmillus dicat cum prima acuta, in errorem incidet, inquit; quoniam non prima sed secunda acuitur in Camillo. nam prima grauem habet accentum. Item si quis dicat : Céthegus : errabit. quoniam ponit acutum in prima syllaba, vbi debet esse grauis; & grauem in secunda, vbi debet esse inflexus. dicendum est enim Cethēgus, media inflexa. Haec est Quintiliani sententia, in eo, quem tu citasti, loco, quam mihi satis percepisse non videbamini. nam ibi vitia, quae committuntur in pronunciando, notat Quintilianus. Quod autem attinet ad composita : Prisciani regulam habemus : vt seruet accentum, quem habuerunt in simplici. Vt consolator media inflexa : quoniam solor primam inflectit. nisi forte simplicia dissyllaba primam
bre.

breuem habeant. tunc enim accentus acutus in tertiam ab vltima transfertur. vt próbus. improbus. hinc etiam regulam habent syllabarum doctores, qua per verborum compositionem syllabarum quantitatem dignoscant. vt si quis exempli gratia nesciat quantam hoc verbum lego priorem habeat; & compositum p̄lego pronunciet: statim ex accentu cognoscit esse breuem. quoniam in compositione dissyllaborum, quae priorem breuem habent, semper acutus tenor in tertiam ab vltima transfertur. Sed aduerbia quae componuntur ex praepositionibus, acutum in tertia ab vltima sonum habent, vt éxindè, déinde, propédiem. & hoc est quod Auianus poeta apud Gellium censet dicendum áffatim cum prima acuta. Quod si veniant a nominibus aduerbia composita: licet videantur componi a praepositionibus, non tamen accentum mutant. vt adpr̄imus media inflexa, adpr̄ime seruat eundem accentum, vt Gellius censet. Tribus autem de causis accentus variari solent. vel enim distinctionis causa mutantur, vel ambiguitatis vitandae, vel quia necessitas cogit. Distinctionis gratia, vt pone verbum, & pone aduerbium easdem habent syllabas & eadem tempora, sed vt distinguantur, p̄one verbum suum accentum inflexum in priore syllaba seruat: pone autem aduerbitum graui accentu scribitur in fine. quamuis enim generaliter apud latinos accentus in fine non ponatur: tamen discretionis gratia

D 2

in

in eis omnibus aduerbiis, quae nomina vel verba esse possunt, eruditi viri solent grauem tenorem in fine signare, vt doctè, pulchrè, doctius, pulchrius, doctissime, pulcherrime. neque tantum in aduerbiis, sed etiam in reliquis orationis partibus, quoties vna dictio potest ad diuersa referri, putant accentu esse distinguendam, vt circum praepositio cum accentu graui: quo distinguitur a nomine. Ambiguitas vt vitetur, e propria sede mouetur accentus. vt interea accentum habet in tertia ab vltima. sed si quis dicat interea loci, ne quis ambigat vnicam esse dictionem, ad vltimam syllabam eiusdem aduerbii interea transfertur accentus. Necessitas cogit aliquando mutare accentum. vt cum tres illas particulas, quas encliticas vocant, que, ve, ne, alicui dictioni subiungimus. semper enim accentum ad se trahunt. vt doctus priorem habet acutam. sed si quis dicat, doctusque, doctusue, doctusne, secundam acuit necessario, propter adiunctas illas particulas. His ita positis, illud non ignorandum est; Latinos non ita exquisitè accentus notare solere, vt Graeci consueuerunt. nam apud Graecos in singulis dictionibus vbique notantur, apud nos autem rarissime nisi cum vel distinctio, vel ambiguitas vel necessitas cogit. in pronunciando tamen diligentissime seruandos esse censeo, ne quid ineruditum praeferat oratio nostra. Haec scripsi subito, cum tuas literas accepissem, magis adeo vt tibi gratificarer, quam quod me
ali-

aliquid noui sperarem adferre posse. tu pro tua in me beneuolentia, quae iam pridem mihi perspecta est & cognita, quicquid super hac re differui, aequi bonique consulas. Vale.

X. Iudicandi artem ordine naturae priorem esse arte inueniendi atque ad usum potiore, contra Ciceronis sententiam.

M. Antonius Maioragius Francisco

Cicereio,

S. P. D.

OMnem differendi rationem in duas diuisam esse partes in Topicis tradit Cicero: vnam inueniendi, alteram iudicandi. quarum inueniendi artem ad usum potiore & ordine naturae priorem esse vult. Tu vero super hac re sententiam meam requiris: quoniam non satis vere tibi sensisse Cicero videtur: putasque & priorem & potiore ad usum artem esse iudicandi: quae ad omnium disciplinarum principia docenda viam habet. Ac mihi quidem acute contra Ciceronem sentire videris: quoniam omnino non minor in iudicando, atque haud scio an etiam maior, sit utilitas, quam in inueniendo. & certe ordine naturae prius inuentione iudicium est. quod adeo planum est atque perspicuum, vt in mentem mihi veniat admirari, cur hoc ipse Cicero non aduerterit: nam certe Aristotelici omnes iudicandi artem & priorem & potiore ad usum censent. qua demonstrationes conficiuntur & verum

a falso distinguitur. Topica vero non magni faciunt: quoniam probabilia tantum ex eis locis argumenta duci, non autem necessaria censent. Vnde, quoties argumentum aliquod non satis firmum esse volunt ostendere, solent id topicum argumentum appellare. quod etiam Aristoteles ipse atque eius interpres, Alexander Aphrodisiensis, in Topicis innuit: cum ibi docet ea tractari, quae in vtramque partem disputari possunt, & hominum opinionem consequuntur. quanto igitur necessaria probabilibus, & vera dubiis priora & potiora sunt: tanto ars iudicandi prior & potior est arte inueniendi. sed nos diligenter inquiramus, cur haec ars inueniendi, quae Topice dicitur, excogitata sit. sic enim, arbitror, quod volumus, ostendere facile poterimus. cum aliquando coepissent homines de rebus obscuris atque ab ipsa natura inuolutis inter se contendere: fuerunt qui aduerterent naturalem quandam esse rationem, quibus omnes fere propositiones vel generatim probari possent, vel speciatim, vel etiam singulatim: idque accidere propterea, quod res omnes aut cognationem quandam inter se habeant aut differentiam. ut per cognationem haec de illa dicatur, per differentiam vero negetur. Itaque factum est, ut argumentandi ratio, quam iudicandi artem vocant, per hanc cognationem & differentiam rerum confirmando vel negando sit excogitata. ut e. g. nouerat aliquis omnia quae sentiunt esse animalia, dein-

de

de cochleam sentire animaduertit. itaque propter cognationem hanc statim cochleam animal esse iudicauit. cum autem hoc ratiocinandi genus verum esse frequentius essent experti: tunc artem aliquam subesse cogitauerunt. quare longo vsu atque experientia tandem argumentationum formulas construxerunt: quibus ea commode colligerent, quae vera esse censuissent. Tanto autem quisque disputando magis excelebat: quanto acutius rationes suas probare nouerat. Interim ingeniosus quidam vir in omni argumentationum genere, trestantum voces vim habere conclusionis animaduertit, e quibus omnis argumentatio conformetur; atque ex eis duas nos semper habere propositas, in eo videlicet pronunciatum, quod probare contendimus: vnam autem tantum vocem inueniendam, vnde vis omnis conclusionis emanet. vt ecce probare vult aliquis, arborem esse corpus, iam duas habet voces, nempe arborem & corpus: restat igitur tantum vt tertiam quaerat: vnde cum iis, quas iam habet, propositionem & assumptionem argumentationis conficiat. sit ergo ea vox tactile. breuiter igitur ita colligit. omne tactile est corpus: omnis arbor est tactilis; ergo omnis arbor est corpus. ita probatum est quod volebat. hanc autem tertiam vocem multi paulo acutiores etiam sine Topica reperiunt. at qui non tam acuti sunt, in ea reperienda saepe numero plurimum laborant. Itaque factum

D 4

est,

est, vt ingeniosus ille quisquis fuerit, quosdam locos excogitaret, quali tertiae illi us vocis, quae & argumentum & medium dicitur, sedes. Vnde facile cum opus est, erui vis argumentationis possit. Haec illa est ars, quam inueniendi Cicero vocat: non quod omnia, quae ad disputationem attinent, inueniat, sed quod argumentorum sedes, quae quodammodo absconditae sunt, notet ac demonstret. quibus intellectis & cognitis: facilius est argumentandi ratio. quare non dubium esse potest, quin propter artem iudicandi, quae argumentorum sedes prius excogitauit & constituit: vt ex eis argumenta promi facile possint, quod nisi inuentionem iudicium praecedat: qua ratione fieri poterit, vt id quod inuenimus, ad causam nostram confirmandam pertinere intelligamus? ait apud Platonem in eo Dialogo, qui Gorgias inscribitur. Polus artes omnes ab experientia natas. quod etiam primo diuinae Philosophiae libro confirmat Aristoteles. quid ergo? nonne homines per hanc experientiam artes, adhibito iudicio, fieri posse censuerunt? quaenam esset ars, nisi iudicium praecessisset? Mens enim nostra cum ordinem quendam in rebus perpetuum videat, & a certis initiis proficisci ac constare omnia: tunc adhibito iudicio de eis rebus ratiocinatur & tandem artes constituit. Itaque caeterae artes omnes a iudicandi arte processerunt. quod etiam primo de oratore Crassus affirmat, id autem

tem ego iudicium voco, quod Aristoteles primo posteriorum ἀρχιμειαν appellat. ea vero vis quaedam mentis & facultas est, quae puncto temporis, vt Themistius ait, praevidet, quae ratione quidque probari possit. Eius ergo facultatis longo vsu in disputando ars effecta est, quam iudicandi artem vocamus. sine qua facile a vero quilibet, vt ait alibi Cicero, abduci potest. deinde constituti sunt a prudentioribus huius artis loci, quibus argumenta possint inueniri, quod certe nisi exquisitissima iudicandi scientia effici nullo modo potuisset. quis enim ex. gr. scisset a definitionis loco firmissimum promi argumentum? nisi prius excogitata definitione res inuolutas a natura per eam explicari posse prudens aliquis iudicasset. Itaque quoque se vertat Cicero: semper eadem ratione constringetur, vt iudicium inueniendi arte prius fuisse fatendum sit: cum haec ars inueniendi non ab alia re quam a iudicio & propter ipsum iudicium sit constituta. At fortasse, dicet aliquis, nonne prius inuenire, quam iudicare necesse est? Ego vero breuiter ita respondeo. aliud esse simpliciter inuenire quod etiam rusticis & imperitis commune est, aliud e locis argumenta promere, quod non nisi Topicae periti facere possunt. neque enim ille recte inuenisse dicitur ait Quintilianus, qui non iudicauit, sed quemadmodum inueniendi rationem iudicium praecedit: ita etiam subsequatur necesse est. Ex quo facile colligi-

tur, rebus omnibus, quae ratione tractari & probari solent, iudicandi artem esse necessariam. vt non immerito dictum sit, Logicam esse artem artium & scientiam scientiarum. Illud vero firmissimum est argumentum, ab Aristotelis disciplina sumtum, quod ordine naturae priora dicuntur ea, quae si tollantur, reliqua secum auferunt, sed a reliquis sublatis non eodem modo auferuntur. tolle iudicium: nulla erit amplius ars inueniendi. sed si inueniendi artem tollas: iudicium tamen remanebit. plerique enim etiam sine arte inueniendi commode & scite disputant. at sine iudicandi ratione nihil inueniri satis acute atque artificiose potest. Quare longe maior est in iudicandi ratione, quam in Topica utilitas: cum illa, etiamsi haec non sit, munus suum praestare satis possit; haec sine illa nihil possit. Hoc etiam ab ipsa hominum consuetudine probari facillime potest. quotus enim quisque est ex iis, qui differendi rationem profitentur, qui artem inueniendi doceat? At libris priorum & posteriorum Analyticorum Aristotelis, qui ad iudicandi vias pertinent, nihil in scholis celebratius. multos etiam Philosophos audiui in disputando acerrimos, qui se nunquam Topica didicisse faterentur. Quid ergo? dicet aliquis: annon utilis est haec ars inueniendi? maxime vero: praesertim eis, qui natura paulo sunt hebetiores. praestat enim facilem argumentandi viam; & dicendi copiam auget. sed
quam

quamuis vtilissima sit vt est ; non tamen ideo sequitur, vt iudicandi scientiam praecedat, aut ea sit vtilior. sed potius quasi supplementum eius & quaedam perfectio est. tunc enim valentissimus ille Dialecticus appellari potest, qui & acute iudicare & facile inuenire didicerit. at qui alteram tantum partem attigerit: is sterior quodammodo atque imperfectior est. Sed ipsius etiam Ciceronis verbis probari potest, iudicandi scientiam arte inueniendi & vtiliorem & priorem esse. cum enim in Partitionibus oratoris locos enumerasset vnde argumenta sumuntur: subiunxit oportere nos scrutari & eruere ex omnibus locis argumenta: sed adhibere iudicium, vt leuia semper reiiciamus, nonnunquam etiam communia praetermittamus & non necessaria. Itaque cum in inueniendi iudicium adhiberi praecipit: declarat aperte iudicandi rationem inuentione priorem esse. nam quomodo potest inuentioni iudicium adhiberi: si nondum est vlla eius ratio? aut quomodo quis inuenisse dici potest, qui non certo iudicio selegerit ea, quibus ad confirmationem vti velit? cum vero per iudicandi rationem firma ac necessaria argumenta sumuntur, leuia relinquuntur: nonne planum fit ad vsum longe potiore esse, quam artem inueniendi? quae si non adhibeatur: inania plerumque & leuia inuenta nihil ad faciendam fidem profunt. At saepissime fit, vt sine arte inueniendi sua sponte occurrant ea, quibus

bus rationes nostras probare possimus. quibus cum iudicandi ratio adiungitur: tota causa plane confirmatur. Nam quis nescit Stoicorum in differendo maximum ac prope incredibile acumen fuisse? quod plurimis in locis ipse Cicero fatetur, vt in Bruto, omnes, inquit, Stoici prudentissimi in differendo sunt & id arte faciunt. nec admodum diuerso loco: Stoicorum in dialecticis omnis cura consumitur. primo de oratore; Stoici nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Sed quid exemplis opus est? cum satis apud omnes constet, nullos vnquam Philosophos in disputando fuisse Stoicis acutiores. attamen ii, quemadmodum ait hoc loco Cicero, iudicandi vias diligenter persecuti sunt: inueniendi vero artem totam reliquerunt. Quare concludendum est, iudicandi rationem, contra Ciceronis sententiam, arte inueniendi vtiliorem & ordine naturae priorem: cum praesertim acuti Stoici diligenter eam persecuti sint, & in Dialecticis sine inueniendi arte magnum nomen inuenerint. Vale.

XI. *Cur apud Latinos vnanimes amici vocentur?*

M. Antonius Maiorágius Marco Fan-
niano

S. P. D.

AVdieras me publice quartum Aeneidos interpretantem, ac super eo carmine multa differentem: cum sic vnanimem alloquitur male sana sororem. fueram enim in eo multum occupatus, vt declararem, cur Didonem poeta male sanam appellaret. At tu statim, vbi de loco superiore descendissem, comiter a me requisivisti, cur vnanimem sororem poeta dixisset; & cur generaliter amici vocentur vnanimes? Ego vero tibi pollicitus sum, me per literas diligentius quaestionem hanc explicaturum, quod in praesentia facere sum aggressus. Equidem huius rei video rationes multas adferri posse: sed eas tantum attingam, quae probabiliores esse videantur. Ac primo quidem vnanimes dici possunt, quasi eiusdem voluntatis. quoniam apud Latinos animus pro voluntate frequenter inuenitur: vt Terentius: timet omnia; patris iram & animum amicae, se erga vt sit suae. & Ovidius: in noua fert animus mutatas dicere formas, corpora. Sic dicimus; non est mihi animus hoc facere, pro non est voluntas. vel a Philosophis fluxit haec appellatio: quoniam nonnulli ex eis putauere

tauere, vnum in omnibus hominibus animum
 atque intellectum esse. qui pro corporum va-
 rietate varios etiam mores assumat, vnde, qui
 eisdem studiis oblectentur, & morum similitu-
 dinem habeant, facile inter se conciliari atque
 vnanimes esse. nihil enim est aptius ad amorem
 conciliandum, vt Cicero docet, quam morum
 similitudo. atque ideo etiam veteri prouerbio
 iactatur: Simile simili gaudet. quod ab Home-
 ro sumptum est. qui in Odysseae decimo septi-
 mo sic ait: *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοίον ἀγεί θεός ὡς τὸν
 ὁμοίον.* quod etiam Aristoteles Ethicorum no-
 no confirmat: nempe simile simili amicum
 esse. vnde celebratur etiam illud, similitudo
 est mater amoris. Quidam dixerunt, amicitiam
 inde nasci, quod vnus animus in duobus aut
 pluribus corporibus habitet: atque ita amicos
 recte vnanimes dici. quam opinionem Py-
 thagorae fuisse declarat illud, quod in ore Py-
 thagoras frequenter habuisse dicitur: *μία
 ψυχὴ εἶναι τῶν φίλων,* h. e. amicorum vnā
 esse animam. Hac opinione ductus Horatius
 Virgilium animae suae dimidium appellat. sic
 enim ait. *Nauis!* quae tibi creditum debes
 Virgilium, finibus Atticis reddas incolumem
 precor, & serues animae dimidium meae! A-
 ristoteles magnorum moralium secundo;
 quoties, inquit, volumus aliquem nobis vehe-
 menter amicum ostendere: dicere solemus:
 vnus est istius atque meus animus. ita etiam
 Pythagorici solebant amicum *ἑτερον αὐτοῦ* ap-
 pel-

pellare. quod eodem in loco docet Aristoteles, est enim inquit, vt dicere solemus amicus alter ego. ita Cicero Quintum fratrem alterum se appellat in epistolis. Potest etiam ab affectione amoris hoc nomen esse profectum: quoniam saepenumero accidit, vt eos, quos caros habemus, non minus quam nos ipsos diligamus, quod Christiana lex & fides ad omnes homines extendit: quae iubet, vt alios tanquam nosmet ipsos amemus. Sunt qui ad astrorum vim & influxus haec referant. vt ii maxime sint inter se amici, quorum horoscopi quodammodo consentiunt. quam opinionem Horatius ad Maecenatem secundo carminum attingit his verbis

Vtrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum.

Et Persius, cum sibi Cornutum esse vehementer amicum ostendere vellet: inter coetera, quae multa commemorat, hoc etiam ait:

Saturnumque grauem nostro Ioue fregimus
vna.

Dicunt igitur Astrologi maximam inde benevolentiam atque mutuam nasci solere: quoties in natali die solis & lunae fuerit commutatio. vt si ego natus essem, quo tempore sol erat in Ariete, luna in sagittario, tu vero cum sol in sagittario, luna in ariete. nam hac ratione vnum fere animum meum ac tuum fieri. vel, si Venus in eadem domo atque in eodem gradu cum ambo nasceremur, fuisset constituta. Platonic

nici volunt eos maxime inter se amicos esse, qui Daemonem siue genium consimilem & comparem vitae suae custodem habuerint. multum etiam confert ad amorem mutuum corporis aequa constitutio, consuetudo, familiaritas, educatio, consilium & denique omnis morum similitudo bonorum. qua nihil copulatius inueniri potest. Mihi sane placet vt ita vnanimis amici dicantur; sicut etiam concordēs, qui sunt eiusdem voluntatis, nam quemadmodum animus ita etiam cor pro voluntate vsurpatum frequentissime reperitur. Idem autem velle, quod ait Salustius, & idem nolle, eademum firmā amicitia est, haec in Cerriano tuo scripsi, cum ad patrem tuum hodie mane diuertissem. Tu, quod ait Horatius, si quid nouisti rectius istis: candidus imperti. si non: his vtere mecum. Vale.

XII. *An homines a Deis, vel daemonibus gigni possint?*

M. Antonius Maioragius Pomponio
Cusano

S. P. D.

PETIS a me, quid sentiam de opinione Dido-
nis in quarto Aeneidos, quae de Aenea,
quem amare coeperat, ita praedicat: credo
equidem, nec vana fides genus esse Deorum:
visque vt tibi expediam, an homines a Deis
vel a daemonibus gigni siue nasci possint.
Vetus

Vetus sane fuit opinio, non tantum a poetis, sed etiam ab historicis celebrata, esse quendam Deis & Deabus cum hominibus congressum, maximosque Heroës & praestantissimos viros a Deis generari, qui lectissimarum feminarum concubitum non ahorreant: & contra Deas esse quasdam quae viris associatae conceperint & filios celeberrimos ediderint. Ita natum Herculem ex Alcmena, quam Iupiter compresserat; Castorem & Pollucem ex Læda; Bacchum ex Semele, Persum ex Danaë; Minœm & Rhadamantum ex Europa. atque hos omnes & alios paenè innumerabiles a Ioue genitos. Theseum etiam & Polyphemum genitos a Neptuno legimus. Pana vero susceptum ex Penelopa a Mercurio. sic etiam Thetidis & Pelei congressu natum Achillem ex Venere & Anchisâ Aeneam. Sed haec apud Poetas frequentissima sunt. nullus enim apud eos paenè Deus est, nulla Dea, qui non aliquos filios genuerit aut quae non conceperit. verum poetas dimittamus, qui fictis fabulis omnia compleuerunt: ad historicos veritatis professores veniamus, apud quos tamen videmus Romulum & Remum a matre genitos ex Ilia. Magnum illum Alexandrum Macedonem Iouis ex Olympiade filium esse. Quid? annon multi reperti sunt, qui Platonem ab Apolline genitum esse tradiderunt? Iam vero in ipsa nobilitate Romana P. Cornelius Scipio, qui primus a se deuictae gentis cognomen tulit, Iouis geni-

E

tus

tus credebatur; quoniam neque ad priuata neque ad publica negotia prius accedebat, quam in cella Iouis Capitolini diu moratus fuisset. Quid de Caesare Augusto, maximo omnium Principe, commemorem? annon eum Apollinis filium fuisse multi prodiderunt? aiunt enim, Acciam eius matrem, cum ad soleine Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica dum ceterae matronae dormirent, obdormisse, draconemque repente irrepisse ad eam, pauloque post egressum illam expergefactam, quasi a concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore eius extitisse maculam velut depicti draconis, nec potuisse vnquam eximi. adeo vt mox publicis balneo perpetuo abstinerit. Augustum natum mense decimo: & ab hoc Apollinis filium existimatum. Sed horum figmentorum pleni sunt libri. plena omnia. Quid autem de hac re statuendum sit, Plutarchus in Numae Pompilii vita nititur ostendere. cum enim ad eum locum venisset, vbi celebratum illum Numae cum Aegeria Dea congressum tractare oporteret: eum fabulis quidem similem esse dicit, sed deinde subdit: ipsam hoc nobis ferme dicere rationem vt credamus, immortalem Deum non equorum, non nauium caeterarumque id genus rerum, sed hominum amore capi, earumque maxime qui probitate caeteris antecellunt, consuetudine delectari: neque grauius ferre neque adspernari admirabilium viro-

virorum sapientissimorumque congressum. sed Deum aut daemones cum humano corpore commisceri & hominum pulchritudine atque venustate capi, perdifficile ait esse creditu. quamquam Aegyptii non absurde omnino uti partitione videntur. qui dicunt: mulieri quidem diuinum spiritum appropinquare posse & sobolis principia quaedam ingenerare: sed viro nullum penitus cum Deo neque congressum neque corporis commistionem. Atque haec quidem Aegyptiorum opinio prope cum religione nostra videtur conuenire: qui constanter credimus, Christum Dei filium, a diuino spiritu sine virili opera cum virgine congresso, fuisse genitum. sed reliquos omnes Deorum atque daemonum cum mulieribus congressus fabulosos atque inanes esse censemus. Quamuis diuus Augustinus de ciuitate Dei libro quinto decimo scribat, daemones esse quosdam qui mulierum amore capiuntur, & cum eis etiam audissime coeant. Syluanos, inquit, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos saepe exstitisse mulieribus; & earum appetisse ac peregisse concubitus plures asseuerant: vt hoc negare imprudentiae videatur. ait etiam hos daemones, qui assidue mulieres tentant, & cum eis coeunt, Dufios a Gal-
 lis nuncupari. Semen autem illud, quod a daemonibus funditur, quidam omnino infecundum esse censent, quidam autem secundum quidem esse, sed nequaquam tamen ho-

mines ab ea generari, verum parua quaedam animalia. Itaque Didonis omnino vana fides est: licet ipsa amore, vt credere par est, obcoecata minime vanam esse affirmet, quod Aeneas Deorum genus esset. Vale.

XIII. *An mortui reminiscantur & an sciant ea quae hic aguntur.*

M. Antonius Maioragius Gaspari Bar-
chinio

S. P. D.

ARduam sane difficilēque mihi quaestio-
nem proponis: vtrum post mortem ani-
mus reminisci possit, & alteram statim adiun-
gis, non minus obscuram, vtrum mortui sci-
ant ea quae hic aguntur. aisque tibi venisse in
mentem haec a me quaerere: cum illud Vir-
gilii carmen ex quarto Aeneidos me interpre-
tantem audiuiſſes:

Id cinerem aut manes credis curare fe-
pultos?

Verum, illud te scire velim, tuam istam dubita-
tionem plures in se quaestiones continere, quae
nequaquam a nobis omnes hoc tempore tra-
ctandae sunt. prima est an sit animus. quod
Dicaearchus negavit: vt primo Tusculanarum
scribit Cicero. Secunda: si sit animus: vtrum
mortalis sit, vt minuti quidam Philosophi sen-
tiunt, an potius immortalis, vt Platoni Philoso-
phorum Homero placuit. Tertia vtrum ani-
mi, cum e corpore discesserint, reminiscantur

co-

eorum, quae in hae vita viderunt aut fecerunt, an omnium penitus obliuiscantur. Quarta: vtrum possint ea scire, quae nos his agimus, nec ne. nam si sciunt: etiam aliquo modo curant, si penitus ignorant nihil est, quod ea curare possint. sic de prima quidem & secunda quaestione nihil est, quod religiosus homo dubitare debeat, quin & animus sit & etiam immortalis sit futurus. de reliquis duabus potest existere dubitatio, vtrum postquam e corpore discessit animus, reminiscatur: & vtrum ea sciat, quae hic aguntur. Igitur sapientum virorum super his quaestionibus sententias tibi exponam. tu, quam volueris, amplectere. Aristotelis & Peripateticorum omnium sententia est, nullo modo post mortem animos reminisci. nam memoriam vnum quendam sensum esse statuunt, (vt paulo post aperiam) sensus autem omnes corpori & animo communes esse: qui, cum animus a corpore separatur, omnes intereant. At vero Plato cum in aliis multis locis tum in Apologia nominatim & in decimo de Rep. fatetur apertissime, nostros animos, cum ex his corporum vinculis euolauerint, & in domicilium illud sempiternum peruenerint, eos agnoscere, quorum in hac vita familiaritate atque consuetudine vsi fuissent, eosque salutare & amplecti, quin etiam addit, posse cum iis amicitiam inire & colloqui, quos dum viterent, fama tantum cognouissent. sed praestat super hac re Socratis verba recitare, quae

E 3

primus

primo Tusculanarum Cicero de apologia
 transfudit, haec peregrinatio mediocris vobis
 videri potest? vt vero colloqui cum Orpheo,
 Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tan-
 dem aestimatis? equidem saepe mori, si fieri
 posset, vellem: vt ea quae dico, mihi liceret in-
 uenire. quanta autem delectatione afficeret!
 cum Palamedem, cum Aiace, cum alios iudi-
 cio iniquorum circumuentos, conuenirem,
 tentarem etiam summi regis, qui maximas
 copias duxit ad Troiam, & Vlyssis Sylyphi-
 que prudentiam, nec ob eam rem, cum haec ex-
 quirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer.
 Quin etiam in Metaphysicis suis Auicenna tra-
 dit, tam beatorum quam infelicium animos,
 cum excefferint e corpore, posse per imagi-
 nationem eadem illa versare, quae dum essent
 in corpore, cognoscebant. non enim statim
 habitum animi diuturnum euanescere, sed de
 hac re Peripateticus aliquis ita disceptabit.
 Quaecumque sunt corpori cum animo com-
 munita, cum animus a corpore diuellitur: vt
 etiam illa intereant necesse est. neque enim in
 corpore remanent: alioquin corpus adhuc
 viueret: si quid haberet cum animo commu-
 ne: neque animum sequuntur: alioquin ali-
 quid esset in animo corporeum & mortale,
 quod si neque in corpore neque in animo re-
 manent: igitur euanescent, sed sensus omnes
 tam interiores quam exteriores corpori cum
 animo communes sunt. neque enim sine ani-
 mo

mo corpus audire aut videre quidquam potest: neque animus sine corpore timere aut irasci aut cogitare aut discere potest: nam, ut primo de anima docet Aristoteles, dicere animum irasci vel timere simile est, ut si quispiam dicat eum vel texere vel aedificare. nam melius est, inquit, fortasse dicere non animum sed hominem animo misereri vel discere vel ratiocinari. Quamobrem si quae corpori cum animo communia sunt, in morte extinguuntur necesse est. Sed inter omnes Peripateticos constat, memoriam vnum ex interioribus esse sensibus. quo fit ut etiam ipsa memoria in morte absumatur. non igitur post mortem animus reminiscitur. Sed haec quidem Aristotelica sunt. nam Platonici sensus interiores animi proprios esse contendunt: quamuis eos etiam, dum est in corpore, animus exerceat. Itaque volunt etiam a corpore separatim animum cognoscere, recordari, cogitare. non tamen eo modo, quo dum esset in corpore, faciebat, sed alia quadam praestantiore ratione. haec enim ita distinguunt, ut duplicem esse memoriam dicant: alteram, quae sentientis animae partis vis quaedam sit; & quae praeterito tempore acciderunt, nobis repraesentet. quam quidem memoriam nequaquam in animo post mortem remanere volunt. de qua nonnulli sentire Aristotelem tradunt: cum asserit, corrupto corpore non amplius animum reminisci.

riam, imaginationem quandam, tantum ad intellectum pertinentem, dicunt esse: quae nullam temporis differentiam admittat, nec praeteritorum tantum sit, sed etiam praesentium & futurorum repraesentatrix. atque hanc quidem memoriae vim in animis, a corpore separatis, maxime pollere censent. eodem modo gaudium, amorem, tristitiam, reliquaque eius generis bipartito distribuunt: ut aliquando sint animae sentientis affectiones, quae nisi certo cordis & aliorum membrorum motu perfici nequeant. quo sane modo minime in animo resident; sed una cum corpore intereunt. interdum vero sunt voluntatis actiones, quae in ea parte animi ponitur, quae ubique ratione comitatur, & hoc modo nunquam ab animo distrahuntur. potest igitur animus a corpore separatus, non tantum recordari sed etiam gaudere, dolere, diligere, odisse: non ut in corpore solebat, sed eo, quo docuimus, modo. reliquum est ut secundam quaestionem aggrediamur: utrum mortui, quae hic aguntur, sentiant. quod sane neque Aristoteles, neque quisquam ex Peripateticorum schola concesserit. nos autem cum in hac re non tantum diuinum illum Platonem, eiusque adstipulatores, sed etiam Theologos nostros auctores habeamus: eorum sententiam sequi debemus. nam Plato, scribens ad Dionysium Tyrannum, epistola secunda sic ait. Quocirca non est hoc negligendum a nobis, sed ha-

habenda cura futuri temporis. fit enim naturae quodam instinctu, vt ignauissimi quique homines nihil curent, quae sit de ipsis futura opinio, probatissimi autem viri nihil non efficiant, vt apud posteros bene audiant. quam ego coniecturam facio, esse aliquem sensum iis, qui mortui sunt, rerum nostrarum. quoniam optimi animi sic fore diuinant: deterimi autem nequaquam. validiora vero sunt diuinorum virorum quam aliorum praesagia. hoc idem etiam in legibus affirmat. Plotinus etiam in libro de animorum immortalitate sequitur hanc magistri sui sententiam. quamuis tantisper humanarum rerum curam habere mortuos tradat: donec eam animi propensionem, qua ad has corporeas res ferebantur, penitus amittant. nostri autem Theologi sic statuunt: mortuos quidem per se nescire, quid hic a nobis agatur, sed tamen ab eis intelligere, qui morientes hinc ad illos migrauerint, de qua re sic in secunda Decreti parte statutum esse legimus: Sunt autem Diui Augustini verba, ex libro de agenda cura pro mortuis. Fatendum est, inquit, nescire quidem mortuos quid hic agatur, dum hic agitur; postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. non quidem omnia, sed quae fiuntur etiam isti meminisse, & quae illos, quibus haec indicantur, oportet audire. possunt & ab Angelis, qui rebus, quae hic aguntur, praesto sunt, audire aliquid mor-

tui. atque hanc quidem opinionem etiam Cicero secutus videtur in ea epistola, quam ad Octavianum scripsit. in cuius extrema parte sic ait. Audient duo Decii seruire eos ciues, qui vt hostibus imperarent, victoriae se deuouerunt. audiet C. Marius impudico Domino parere nos qui ne militem quidem habere voluit, nisi pudicum. audiet Brutus, eum populum quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. quae quidem si nullo alio, me tamen internunciã ad illos celeriter deferentur. nam si viuus ista subterfugere non potero, vna cum istis vitam simul effugere decreui. Haec sunt, quae ad quaestiones tuas respondenda esse censui. sed vt verum fatear, latent ista omnia crassis occultata & circumfusa tenebris (vt ait ille) vt nulla acies humani ingenii tanta sit, quae harum rerum veritatem in profundo mersam eruere possit. Vale.

XIV. *An odor corpori nostro possit nutrimentum aliquod praebere?*

M. Antonius Maioragius Ioanni Arcimbolo.

S. P. D.

Quid mihi tanquam alicui Philosopho vel potius Medico quaestionem ponis: an fieri possit, vt ex odore nutrimentum aliquod capiamus? Nam me putas ista, de quibus eru-

prudētissimi viri disputant, posse tibi tam facile explicare? sed tamen enitar, quoniam ita vis, in vtramque partem aliquid breuiter dicere & in extremo τὴν ἀριστήσαν, Academicorum more, ponere. Pythagoricorum opinio fuit (vt Aristoteles docet) ad corporis nutrimentum odores plurimum prouideri posse, quam quidem opinionem etiam Hippocrates in libro de alimento confirmare quodammodo videtur; cum admonet, eis, qui celerissima egent instauratione, remedium humidum ad recuperandas vires esse optimum; eis vero qui celerem etiam atque praesentem rempentinamque instaurationem poscunt, per odoratum adhiberi remedium oportere. Tradit Suidas, Democritum Abderitem, cum esset moriturus; atque eius soror vehementer affligeretur; quodsi eo tempore mortuus esset, quo Cerealia celebrabantur, neque Cereris sacris interesse neque fratri, suo arbitrato, iusta facere posset: iussisse eam bono animo esse; calidosque panes ad se quotidie adferre, quos ad nares appositos odoraretur, atque illo calidi panis odore tres dies, donec peracta fuerunt Cereris sacra, quae triduo continuo fieri solebant, supervixisse; deinde remotis panibus, sine vlla molestia, quoniam erat senio confectus & decrepitus, mortuum fuisse. Plinius libro septimo scribit: ad extremos fines Indiae ab oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem esse sine ore, corpore tota

hir.

hirtam, halitu tantum viuentem, & odore, quem naribus trahat: nullum illis cibum nullumque potum, tantum radicum florumque varios odores & syluestrium malorum quae secum portant longiore itinere: ne desit olfactus; grauiore paulo odore haud difficulter exanimari. de his populis etiam Strabo quinto decimo libro meminit. Marfilius Ficinus, vir doctissimus, in libro de vita producenda sic ait. Legimus in calidis quibusdam regionibus ac plurimo passim odore flagrantibus, multos gracili corpore & imbecillo stomacho quasi solis odoribus aliter forte quoniam ipsa natura loci tum herbarum & frugum atque pomorum succos ferme totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic resoluit in spiritum: cum igitur uterque, videlicet odor & spiritus sit vapor quidam; & simile simili nutriatur: nimirum & spiritus & spiritalis homo plurimum ab odoribus accipit alimentum. Haec Ficinus. quibus exemplis & rationibus facile nobis persuaderi potuisset, & odore nutrimenti plurimum prouenire posse: nisi grauissimi omnium atque acutissimi Philosophi Aristotelis nobis auctoritas obstaret. is enim in eo libro de sensu Pythagaeorum sententiam refellere contendit, qui, ut initio dixi, ad corporis nutrimentum odoris plurimum prodesse posse censebant, nonnullisque rationibus probat, ab odoribus nullum omnino

cor-

corpori prouenire nutrimentum. Satis enim constat, ex pluribus elementis nutrimentum esse compositum. quoniam quae simplicia sunt, nutrire nullo modo possunt. nutriuntur enim ex eis omnia ex quibus constituta sunt: vt in primo de generatione & interitu declaratur. sed animantes omnes ex quatuor constant elementis. quo fit vt etiam nutrimentum ex eisdem componi necesse sit. hoc autem ab excrementis intelligi facile potest: nam omnia, quae nutriuntur, excrementa aliqua solere emittere. quodsi elemento simplici nutrirentur: nihil ex eo penitus redundaret. vnius enim elementi partes omnes consimiles sunt: atque in corpore simplici nullum esse potest excrementum. Vnde neque illi sunt audiendi, qui nonnullas animantes aëre tantum nutrirī scribunt. quodsi non potest ex aliquo simplici corpore quodquam animal habere nutrimentum: multo minus habebit ex odore. neque enim odor est substantia, sed qualitas potius quaedam patibilis, quae sub sensum odoratus cadit. satis autem perspicuum est, ipsas per se qualitates nullo modo posse nutriendo substantiam constituere. quodsi quis odorem dicat non puram esse qualitatem sed fumosam quandam exhalationem aut vaporem; quemadmodum veteres quidam opinati sunt: non tamen ideo sequetur, vt nutrire possit, nam vapor & exhalatio ad aëris naturam pertinet: quod simplex est corpus.

ad

ad nutriendum minime accommodatum, praeterea vapor ille siue spiritus odorum cum attrahitur naribus: vel ad pulmones vel ad cerebrum tendit. sed in his duobus membris non esse nutrimenti receptacula notissimum est. huic enim officio stomachum seu ventriculum ipsa natura praefecit, in quem delati cibi concoquantur & alimentum proportionem caeteris omnibus membris inde proueniat. quamobrem probabiliter concludi potest, nulla ratione fieri posse, vt ab odoribus corpori nostro nutrimentum aliquod praebere possit. quamuis ad bonam valetudinem suaui odor plurimum conducere videatur. licet enim vniuersum corpus non alat: spiritum tamen & cerebrum alit. quo factum est vt Democritus odore panis tres dies spiritum produxerit. nam quae de Astomis a Plinio & Strabone dicuntur, fabulosa putanda sunt. Tria vero traduntur, quibus humanus spiritus optime nutriatur, aer purus & temperatus, odor suaui & harmonia musica. sed nulla res est, quae magis spiritum & cerebrum alat, quam suaui odor: quemadmodum Aristoteles tradit, vnde factum est, vt ex omnibus animantibus soli homines ex odore miram quandam capiant voluptatem. bestiae namque propter cibum tantum odore delectari solent: homines vero rerum etiam, neque ad cibum neque ad potionem pertinentium, vt aromatum, vnguentorum caeterarumque eius generis odore

odore maxime capiuntur. quo licet corpus, vt docui, non nutriatur: tamen spiritus & cerebrum maxime reficitur, & corroboratur.

Quare neque tu neque reliqui iuuenes, vnguenta redolentes, reprehensione digni essetis: si cerebri reficiendi gratia post longum studium, non autem libidinis tanquam instrumento quodam odore frequenter vteremini. Vale.

XV. Notatur error Seruii. Poetas Heroes etiam Tragicos dici posse. Cur Virgilius omnes ferre libros suos alicuius morte concludat.

M. Ant. Maioragius Antonio Comiti Consobrino suo

S. P. D.

Recte mihi videris a Seruio dissentire, quod librum Aeneidos quartum comico paenestilo conscriptum esse censet. imo vero sibi ipse Seruius contradicere videtur & pugnantia loqui. qui primo fatetur paene totum eum librum in affectibus esse, deinde paullo post adiungit paene comicum esse stilum. Satis enim constat affectus illos grauiores, quae *παθη* graece dicuntur & eo dementiae hominem plerumque ducunt, vt mortem sibi ipse consciscat, non comoediae sed tragoediae potius conuenire. atque ideo princeps ille sapientum Aristoteles in poetica sua, cum tragoediae genera quatuor esse dixisset, vnum ex eis Patheticon appellat. neque omnino potest in heroico carmine, vbi de regibus & regnis & amplissimis personis agitur, comicus esse sty-

stylus : cum ad priuatas tantum & ciuiles actiones, teste Donato, comoedia pertineat; Reges autem & grauiores personas vel nunquam vel rarissime contingat. Vnde factum est, vt Plautus Amphitrionem suam, quamuis in ea nulli sint grauiores affectus, tamen quoniam in ea regiae personae sunt, non simpliciter comoediam sed tragicomoediam appellare voluerit. Quare non sane mihi probatur, qui dicunt Homerum, Iliadem instar Tragoediae, Odyssaeam vero ad imaginem comoediae fecisse. quod Donatus in Terentium commentans scribit. mihi longe potior Aristotelis sententia est, qui in Poetica sua docet, Homerum quidem primum comoediae normam tradidisse in Margite poemate, sed Iliadem & Odyssaeam Tragoediae instar habere. alio vero non ita diuerso loco in eadem Poetica docet, Heroicum carmen Tragoediae quasi speciem quandam esse. nam quaecumque, inquit, exametrorum sunt, in Tragoedia prorsus inesse apparet, quae vero tragoediae non omnino in exametris. Quin Hermogenes in libro de grauitate scribit a Platone *πater τῆς τραγῳδίας*, h. e. patrem Tragoediae Homerum fuisse appellatum. Plato in Thaeeteto scribit Epicharmum quidem summum in comoedia Poetam fuisse, sed Homerum in Tragoedia. Quod etiam recte Martialis intellexisse mihi videtur : qui libro V. Virgilium poetam cothurnatum quasi

quali vocat Tragicum. quoniam Tragici poe-
tae cothurnis utebantur. vt in Bucolicis Vir-
gilius

Sola Sophoclaeo tua carmina digna Co-
thurno.

Versus autem Martialis, in eo quem diximus
loco, talis est:

Grande cothurnati pone Maronis optis.

Omnes igitur Heroici poetae, ex Aristotelis
sententia, possunt etiam Tragici vocari: sed
non contra. neque enim Tragicos omnes
recte vocabis Heroicos. vt Euripides & So-
phocles Tragici quidem sunt: sed non He-
roici. Quid? illud nonne contra Seruium
aperte facit, quod comoediae semper exitum
felicem habent, Tragoediae vero tristem
& calamitosum? Quare quis non videt hunc
librum Tragoediae potius quam comoediae
similem esse? qui morte Didonis, hoc est exi-
tu calamitoso concluditur. Quae sane ratione
facile etiam ista quaestio soluitur, quae Gram-
maticos multum torquere solet, qua de causa
Virgilius omnes fere libros suos alicuius mor-
te concludat? nam in fine secundi Creusam
uxorem suam Aeneas amittit. in fine tertii
patrem Anchisen sepelit. in fine quarti Dido
sibi mortem consciscit. in fine quinti Palinu-
rus undis obrutus ita deploratur: Nudus &
ignota Palinure iacebis arena! Quid? in fine
decimi annon Mezentius iugulo haud inscius
accipit enses, undantique animam diffundit in

F

arma

arma cruore ? Denique in fine totius operis Turno solvuntur frigore membra, vitæque cum genitu fugit indignata sub umbras. Servauit enim poeta Tragoediæ decorem, quæ semper infelices aliquos exitus habet. Heroicum enim carmen, ut ex Aristotele docuimus, Tragoediæ legibus subiectum est. explodatur ergo Seruui sententia, quod in quarto Aneidos comicus stilius sit, propterea quod in eo de amore tractetur. grauius enim illi amoris affectus, qui paene ad insaniam & ad vitæ odium hominem inducunt, non comoediæ sed Tragoediæ potius conueniunt. Vale.

XVI. *Cur amantes dicantur esse saucii & cur amor cupido dicatur.*

M. Anton. Maioragius Francisco Comiti,
Consobrino suo

S. P. D.

QVod scire cupis, cur a poetis amantes saucii dicantur: equidem id tibi paucis expediam. video enim poeticae huius fictionis naturalem reddi possèrationem, quoniam, ut secundo de anima docet Aristoteles, visus potentia quaedam animi patibilis est, quæ rerum adspectabilium species in se recipiens ad animum statim transmittit. neque ullus est sensus oculorum sensu acrior. aut velocior, res autem quæ oculis subiiciuntur, quanto

ve-

Venustiores & pulchriores fuerint, tanto magis apta compositione sua, & nitida specie feruntur ad oculos & in animum transmittuntur: itaque dicuntur oculos atque animum ferire. habet enim pulchritudo tanquam radios quosdam, qui statim animum ingrediantur. Itaque quemadmodum solem propter radiorum emissionem sagittas vibrare atque oculos ferire Poetae fingunt: ita etiam cupidinem telis armant: eo quod rei pulchrae adspectus, per oculos ad animum transfusus, eum maxime moueat, & quasi vulneret. vnde non illepide fingunt oculos ad amorem esse duces: & Propertius:

Si nescis: oculi sunt in amore duces.

Quantoque magis aliquis rem pulchram aut optatam intueatur, tanto magis eius potiundae desiderio inflammatur: propter assiduam optatae illius speciei verberationem; quae non aliter tanquam speculis quibusdam oculos atque animum figit. Hoc est quod ait in Georgicis Poeta: vritque videndo Femina. & in Bucolicis: vt vidi vt perii! Pulchrae tamen species, quamuis primo adspectu paene omnium animos radiis suis feriant: tamen nisi voluntas accesserit, & potiundi desiderium, ex animo paulo post effluunt, neque vllius rei amor gignitur: nisi potiundi cupiditas adiungatur. vnde non sine causa poetae amorem etiam cupidinem appellarunt: ipsosque amatores alere sua vulnera dicunt. quoniam coeca illa

& dominatrix animi cupiditas ab eis nunquam recedit & eos continenter cruciat. Vale.

XVII. *De sanguine & venis & affectionibus quaedam declaratur Virgilii locus. cur amantes palleant. & de spiritu per venas diffuso.*

M. Antonius Maioragius Francisco
Castellioneo

S. P. D.

TE non satis intelligere scribis Virgilij carmen illud: vulnus alit venis & coeco carpitur igni: petisque, vt tibi declarem quomodo tandem amoris vulnera venis alantur; & cur amor ignis coecus dicatur, quod equidem libenter faciam: cum vt tibi gratificer; tum etiam vt Virgiliano carmini lucem adferam: quod alioqui multo difficillimum est, sed rem paulo altius repetere opus est. haec enim non nisi per philosophicas & naturales rationes intelligi possunt. docent enim Philosophi cupiditates omnes sanguinis feruore concitari, qui cum vehemens fuerit: omnes corporis partes non tantum incendit, sed etiam paene adurit. vnde non tantum amantes ardere dicuntur, sed etiam irati. vt Iuuenal. Quid dicam quanta siccum iecur ardeat ira? & Horatius: meum difficilibile tumet

tumet iecur, & Aristoteles secundo de anima nihil aliud iram esse censet, quam sanguinis circa praecordia feruorem quandam. ita dicimus aliquem flagrare desiderio & ardere studio alicuius rei, & inflammatum esse cupiditate. cum enim in sanguine sit animantis vita: nullam ad rem animus excitari potest: nisi sanguis moueatur, qui quanto calidior fuerit: tanto promptiores & alacriores ad res gerendas homines facit. vnde, qui frigidus sanguine sunt, non tantum tardi sed etiam hebetes plerumque esse solent. quod illis versibus in Georgicis Virgilius docet.

Sin; has ne possim naturae accedere partes

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

Cum igitur in iecore sedem amor habeat, ubi plurimus sanguis generatur, qui deinde per venas, vt secundo de natura Deorum Balbus ait, in omne corpus diffunditur: facile fit, vt immensa illa vis amoris, in iecore concepta, vna cum sanguine per venas irrumpat, & sanguinem feruore suo vitiet & consumat. vnde fit, vt amantes plerumque palleant, & macie extabescant: quoniam vis amoris sanguinem absumit, & vt secundo Metamorphoseos ait Ouidius, pallent amisso sanguine venae. & hoc est quod idem Ouidius primo de arte amandi ait: Palleat omnis amans. color hic est aptus amanti. serpit autem vsque eo calor amoris

& concensignis, vt ad medullas vsque penetret, quae ex puro sanguine gignuntur & eas paulatim absumat. quod innuit Virgilius in quarto est mollis flamma medullas interea & tacitum viuit sub pectore vulnus. ita Catullus: Ignis mollibus ardet in medullis. & in Georgicorum tertio Virgilius: Continuoque quidvis vbi subdita flamma medullis.

Sunt autem venae sanguinis receptacula, qui semper mixtos confususque est cum spiritu naturali. ita tamen vt in venis plus sanguinis sit, spiritus minus. in hoc enim vena ab arteria differt, quod vena sanguinis receptaculum sit, arteria vero spiritus. vt in secundo de natura Deorum his verbis Cicero docet. sanguis per venas in omne corpus diffunditur & spiritus per arterias. quod autem etiam in venis spiritus sit, declarat illud, quod saepenumero inflatas venas dicimus. vt in Bucolicis de Sileno.

Inflatum hesternis venas, vt semper Iaccho & Horatius in primo sermonum

Nam simul ac venas inflauit tetra libido. Volunt enim Physici lasciuam illam obsceni membri tentiginem a spiritu per venas diffuso & ad genitalia per eas accedente concitari. quoniam etiam semen ab omnibus venis profluit. quippe cum genitale semen nihil aliud sit, quam sanguinis quaedam pura & defecata, & optime concocta exsuperantia.

Vnde

Vnde qui libidine volunt abstinere, cibos eos vitare oportet, qui calidos spiritus gignere consueuerunt & praecipue vinum: in quo, vt Paulus ait, inest luxuria. de qua re sic Aristoteles problematum sectione trigesima, sicuti Gaza interpretatus est, vinum vere flatus mouere nimirum potest. quamobrem similem ambo ista sortiuntur naturam atra bilis & vinum. constat vinum eam habere vim effuma, quam excitat oleum enim, quamuis calidum sit, nihil spumat. vinum vero large, ampliusque nigrum quam album: quia calidius & corpulentius est. vnde fit, vt cupiditatem Veneris accendere vinum possit. quare non inepte Venerem Baccho iunctam autumant. haec Aristoteles, quae cum Poeta noster praecclare intelligeret: fingit Didonem amore captam Regales inter mensas laticemque Lyaeum: & antiqui Romani mulieres abstinere vino iubebant, ne ad impudicitiam incitarentur: si per venas vini flatus irrupisset. sed iam, opinor, tibi satis declaratum esse, quod cupiebas. Si quid est praeterea, quod a me velis: de eo admonitus vincam expectationem tuam. Vale.

XVIII. *Vnde lachrymae nascantur & cur ex omnibus animalibus solus homo lachrymet?*

M. Antonius Maioragius Iacobo Phaecanio

S. P. D.

Verum est quod ais. maximae sunt admirationis lachrymae. quae nonnunquam ex oculis tanta fecunditate manant, ut riui quidam esse videantur; & non tantum in dolore sed etiam in risu vehementiore frequenter erumpunt. quas etiam Plinius, cum de oculis verba faceret, admiratur. hinc fletus, inquit, & rigantes ora riui. quis humor ille est in dolore tam fecundus & paratus? aut ubi reliquo tempore? sed illud a me requiris, vnde lachrymae nascantur: & cur homo solus lachrymare dicatur. Ego vero apud Medicos & rerum naturalium indagatores constare video, lachrymas a corde provenire. Statuunt enim in humano corpore tres humidas exhalationes trium membrorum nobilissimorum, id est stomachi, iecoris & cordis: quibus tria superne membra, quasi instrumenta & receptacula quaedam respondeant, nares, aures, oculi. Vis autem cuiusque exhalationis ea est, ut adscendat & caput tanquam corporis arcem petat, sed exhalatio, quae fit a stomacho, per nares effluit, & coryza siue mucus appellatur. quae vero fit in iecore, sursum tendens, per

aures

aures expurgatur. itaque aurium sordes a iecore proueniunt. denique cordis exhalatio petit oculos & ab eis effluit. atque hae sunt quae lachrymae dicuntur. In dolore igitur lachrymae copiosius ideo funduntur, quoniam affecto propter moesticiam corde plurima gignitur exhalatio, quae sublata ad cerebrum per oculos fluit. qua de causa Homerus calidas lachrymas plurimis in locis appellat, quod a corde, ubi calor vitalis est, excitentur. qui molli & tenero corde sunt maiorem vim lachrymarum profundunt. quales sunt omnes fere mulieres & pueri, quin etiam ex humidiores cerebro saepissime lachrymae fiunt. ut in senibus. quod accidit etiam in ebriis: quoniam vini exhalatione cerebrum fieri solet humidius: saepe fit lachryma vel ex fumo, vel vento calido, vel morbo vel acri aliquo sapore. sed maiori ex parte nascitur a dolore. non tamen omnis dolor lachrymas ciet: quippe cum aliquando accidat, ut propter immensam calamitatem ita cor comprimatur, ut meatus obturentur, & crescente calore ferueat quidem humor in corde, sed exhalare minime possit. unde videmus nonnullos, cum aliquo grauissimo fortunae vulnere percussi sunt, nequaquam lachrymas fundere, sed tanquam stupidos fieri atque immobiles diu consistere. Amasis, Aegyptiorum Rex, ut secundo Rhetoricorum scribit Aristoteles, cum ad mortem filius eius duceretur,

non effudit lachrymas. cum amicum mendicare vidisset: illachrymauit. quoniam hoc est miserabile, illud terribile. Magnus etiam timor lachrymas comprimit. Quod tertio Tusculanarum Cicero declarat his verbis. Constabat eos, qui concidentem vulueribus En. Pompeium vidissent; cum in illo acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum egisse nisi vt remiges hortarentur & vt salutem adipiscerentur fuga: posteaquam Tyrum venissent: tum afflicti lamentarique coepisse. Hoc autem accidit, quia per timorem cor comprimitur & meatus occluduntur: sed cum spes aliqua restulerit: statim exilire cor incipit & laxius fieri, atque ita demum per exhalationem lachrymae profluunt. neque enim aliter emanare lachrymae possunt, nisi cor vehementius exiliat. ex quo facile soluitur ea quaestio, cur homo solus ex omnibus animalibus illachrymetur quoniam, vt tertio de partibus animalium docet Aristoteles, cordis commotio tantum in homine fieri solet, non autem in reliquis animalibus. nam ex miseratione potissimum cor mouetur & ex cogitatione calamitatis vel suae vel aliorum. at misratio & cogitatio non in belluas sed in homines tantum cadit. quo fit, vt praeter hominem nulla animalis lachrymas fundat. quod si, quando in bestiis visae lachrymae fuerint: eas non esse veras lachry-

lachrymas, sed quādam potius pulmonem exhalationem, peritiores censent. Itaque non sunt audiendi poetae, qui lachrymas etiam equis & reliquis belluis tribuunt. sicuti Virgilius in vndecimo de Pallantis equo, qui fūnus heri sui sequebatur,

Post bellator equus positus insignibus Aethon

It lachrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Quaerit Alexander Aphrodisiensis, cur ita fiat, ut & qui dolent & qui copiose rident, lachrymas fundant. quae sane quaestio facile solui potest ea ratione, quod dolor & tristitia, propterea quod poros ac meatus condensat, humorem qui in eis est, extrudit; at vero diuersa causa risus per meatuum laxitatem & raritatem facile humorem soluit & effundit. quamobrem Xenophon, rerum graecarum libro septimo lachrymas dolori atque gaudio commune quiddam esse scribit. sed qua de causa fit, ut nonnulli iam iam morituri lachrymas emittant? hoc neque a moerore neque a laetitia provenit. sed propter summam non tantum oculorum sed etiam cerebri & totius corporis debilitatem. neque enim tunc vlla virtus est, quae humorem expellat, sed nutu suo propter insitam grauitatem humor ad inferiora delabitur. Tunc enim, ut ait Galenus, etiam ea vis, quae detentrix appellatur, labefacta atque viciata est. Frigus etiam

etiam, vt in Problematis Aristoteles docet, lachrymas exprimere saepenumero solet. quoniam carnem contrahit atque condensat, & eo modo humorem extrudit. calor vero diuersa ratione nonnunquam lachrymas ciet: quoniam laxat & rarefacit, humorique viam aperit. Sed quid ago? plura quam a me petisti, conor explicare. Tu sic habeto, me studio & amore tui etiam vltra septa, quod aiunt, transilire voluisse. Vale.

XIX. *De sepulchris & sepeliendi religione quaedam explicata.*

M. Antonius Maioragius Roglerio

Venusto

S. P. D.

Rogasti me per literas, vt, si quid habeo de sepulchris, & sepeliendi religione, apud probatos auctores obseruatum, id ad de scribam. quasi vero res tanta tam breuiter posset explicari: praesertim ab eo qui non libris circumfusus in bibliotheca sed ruri relaxandi animi gratia sit, vt ego hoc tempore. Sed tamen, quia mecum quaedam hypomnemata siue commentaria mea, ex bonis auctoribus excerpta detuli, vt in hac ruri amoenitate per otium ea relegam: Conabor, si non omnino, at saltim ex aliqua tibi parte satisfacere. Sepulchrum igitur, (vt Vlpianus Iurisconsultus ait) est ybi corpus ossaue hominis condita sunt. & appellatione sepulchri Iurisconsulti
sta-

statuunt omnem sepulturae locum contineri, Tradunt Plutonem, quem Ditem & Summanum Latini, Sabini Soranum appellauere, sepulchrorum & exequiarum inuentorem fuisse. Vnde poetae finxerant, illum inferorum esse Deum. apud Romanos Libitinam Deam sepulchrorum praesidem cultam fuisse legimus. in cuius templo ea vendebantur, quae ad sepulturas essent necessaria, quam eandem cum Proserpina & Venere existimabant. hinc Delphici Venerem Epithymbiam appellare consueuerunt. Seneca viuorum caussa non defunctorum sepulturam inuentam scribit. vt cadauera hominum ab oculis remouerentur. alii vero dicunt ideo constituta sepulchra, vt posteri quoque sibi moriendum intelligant & per ea suae mortalitatis admoneantur. Vnde etiam monumenta sunt appellata: multisenim nominibus sepulchrum appellatur. nam & tumulus dicitur a terra in cumulum erecta, & sarkophagus a saxi genere, quod carnem exedat. Tumba etiam aliquando vocatur, vnde Tymbium pro parua sepultura. Polyandrion vero locum significat, vbi multa sepulchra sunt. quod Catallus poeta sepulchretum appellauit, & Christiani *νομινησιον*, Graeco nomine, vulgo caemeterium vocant. Tymbus etiam masculino genere praesertim apud Graecos vsurpatur, quamuis hoc Cicero bustum interpretari ma-
nult. Vnde etiam veneficae mulieres, quae
ad

ad veneficia de sepulchris ossa & reliquias legunt, Tymbades appellatae sunt. interdum etiam pro sepulchro cippum, arcam, urnam reperies, & apud Plinium & Suetonium ollam & solium. vsi sunt veteres etiam hoc verbo puticulum pro vetusto sepulchri genere. Petronius Arbiter conditorium id appellat, quod hypogaeum graeci, hoc est subterraneum sepulchrum appellari solet ab eo quod in Caria regis Mausoli fuit ab Artemisia regina conditum, quod inter septem orbis terrae miracula numeratur. sunt etiam quae graece *νεκτα* vocantur, quae ideo sic appellata Theocritus Interpres tradit, quod mortuis terra initiari solet, quae *νεκτα* nuncupetur. alii dicunt *νεκτα* vocari ea, quae antiqui suggrundia vocauerunt, h. e. infantium sepulchra, qui nondum quadragesimum diem attigissent. Coragium Fulgentius pro virginali sepulchro interpretatus est. Apud iurisconsultos gentilia & familiaria sepulchra legimus, quae scilicet vni gentilitati, aut toti familiae comparata sunt. Sunt etiam haereditaria sepulchra, quae ad haereditatem transferuntur. Fuit autem apud antiquos sepulchrorum magna religio, adeo, vt non aliunde templa originem habuisse scribat Lactantius & Eusebius. Quod etiam Clemens Alexandrinus his verbis testatur. Superstitio, inquit, templa condere persuasit. quae enim prius hominum sepulchra fuerunt, ea magnificentius condita, templorum appellatione vocata sunt,

sunt. quin etiam Virgilium Aenidos quarto Sitchaei sepulchrum a Didone structum templum appellat. sic enim ait:

Praeterea fuit in tectis de marmore templum

Coniugis antiqui, miro quod honore colebat.

Cicero Philippica nona sepulchrorum sanctitatem ait in ipso solo esse, quod nulla vi moveri neque deleri potest. atque ut caetera extinguuntur, sic sepulchra sanctiora fieri vetustate. quod etiam Iurisconsulti ostendunt, qui locum, ubi mortui sepeliuntur, religiosum esse volunt. Ut Iustinianus de rerum diuisione Religiosum, inquit, locum vnusquisque sua voluntate facit: dum mortuum intert in locum suum. Plutarchus in vita Numae vita sanctos, ait sacros esse, quorum videlicet sacra sunt sepulchra. quod Plinius in secundo sic affirmat. Terra nos, a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operit, nullo magis sacramento, quam quo nos quoque sacros facit. Magnam igitur fuisse apud antiquos sepulchrorum religionem, ex eo potest intelligi, quod Romanis legibus magna fuit eis poena constituta, qui sepulchrum violare ausi fuissent. vnde Vulpianus ait sepulchri violati actionem infamiam irrogare. Paulus autem ita censet. Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem for-

fortunae summo supplicio afficiuntur ; honestiores in insulam deportantur. aliàs aut relegantur aut in metallum damnantur. Iam ea religio seruata est in sepeliendo, vt manes eius qui sepeliebatur, ter inuocarent & terram iniicerent : vt humati dicerentur. est enim inter sepultos & humatos differentia. nam sepulti dicuntur quoquo modo conditi : humati vero, qui de more solito terra ter iniecta contacti fuissent. quod ius Pontificium confirmabat. nam priusquam gleba iniiceretur : locus vbi crematum cadauer fuerat, nihil religionis habebat, iniecta vero gleba, seu terra seu puluere : tunc humatum dicebatur ; & omnia religiosa iura sepulchrorum continebat. quod in sexto Virgilius attingit : cum ita rogantem Palinurum inducit. aut tu mihi terram iniice. & Horatius in primo carminum non est mora longa, licebit iniecto ter puluere, curras. Erat autem opinio, eos qui non ita humati essent circa Acheruntem fluum centum annos aberrare, priusquam Cocytum aut stygiam paludem transire possent, quam rem in sexto Virgilius copiose persequitur. & Seruius super eo carmine. Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est. Duo, inquit, dicit. i. e. neque legitimam sepulturam habet, neque imaginariam. inopem enim dicit sine pulueris iactu, nam ops terra est, id est sine terra sine humatione. vult autem ostendere tantum valere ina-

inanem quantum plenam sepulturam. nam etiam Deiphobi umbra transfuecta est, cui Aeneas cenotaphium fecit. Tunc egi metum tumulum Rhetaeo in littore inanem constitui & magna manes ter voce vocavi. Nomen & arma locum seruant. Erat enim antiqui moris, ut ea, quibus in vita quis delectatus fuisset, post humationem sepulchro appingerent. quod etiam nostro tempore fit a plerisque, hoc idem Virgilius ostendit.

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, sua arma viro, remumque tubamque.

Hoc autem ideo faciebant, ut umbrae mortuorum rerum amatarum solatia secum haberent. ad quod alludit Dido, cum ait Sichaeum amorem suum secum abstulisse, atque ideo velle ut eum in sepulchro suo seruet inuiolatum. sic etiam eam Virgilius loquentem facit Aeneid. l. IV. v. 28. 29.

Ille meos, primus qui me sibi iunxit amores

Abstulit. ille habeat secum seruetque sepulchro.

Caesar de bello Gallico libro sexto sic ait. Funera sunt pro cultu Gallorum magna & sumptuosa. omniaque quae viuis cordi fuisset arbitratur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam, serui & clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, vestis funeribus confectis vna cremabantur.

G

sed

sed de vario sepeliendi ritu librum eruditum scripsit Lil. Gyraldus Ferrariensis, summus amicus noster, vbi multo plura, cum volueris, excerpere poteris. Ego, quae ad manum habui, summatim in hanc epistolam contuli, non alia sane de causa, nisi vt voluntati tuae obsequerer. Vale.

XX. Aeneam nullo modo cum Didone rem habuisse: cum ea mulier trecentis atque amplius annis fuerit antiquior.

M. Ant. Maioragius Petro Phylario

S. P. D.

Vide quid incommoditatis eos sequatur, qui veritati nolunt acquiescere. dum enim vnum se putant errorem fugere, saepius in plures incidunt. audieras a me non multo ante Romam conditam Carthaginem in Africa florere coepisse. tu vero quasi mendacii me arguens ad me scribis, in errore me esse maximo: cum trecentis atque amplius annis ante Romam Carthago fuerit. idque Virgilii probas auctoritate, qui Carthaginem eo tempore scribit aedificari, cum Aeneas ventis agitatus in Africam delatus est; & a Didone fuit hospitio susceptus. atque adiungis ter centum annos ante Romam conditam Aeneam in Italiam venisse. qua in re dupliciter peccas. primo quod eam fabulam, quam de Didone & Aenea posuit Virgilius, veram esse putes

putes historiam: deinde quod non satis recte tempora colligis. neque enim vllō modo verum esse potest, quod de Didone Virgilius finxit. nam non solum Aeneam Dido non vidit vnquam, sed neque eodem tempore, quo ille, vixit. multis enim post Aeneam saeculis Didonem fuisse, constat ex temporum supputatione. numerantur enim a Troia capta ad urbem Romanam conditam anni quadringenti triginta duo. quemadmodum non vno in loco Dionysius Halicarnasseus refert. Dido autem duos tantum & septuaginta annos, Iustino restante, ante Romam conditam in Africam delata Carthaginem aedificauit. itaque ab Aeneae aduentu in Italiam ad Didonis in Africam profectiōnem, amplius trecentum quinquaginta anni numerantur. quare nulla ratione fieri potest, vt Aeneas in Africa Didonem conueniret, quae non solum eo tempore nondum nata fuerat: sed neque fortasse trecentis annis post Aeneam nata est. Quid ergo? non Aeneam amauit Dido? non propter Aeneae discessum ab Africa sibi ipsi mortem conscivit? fabulae. fuit enim Dido mulier pudicissima: quae potius mori quam secundas nuptias experiri voluit. nam vt Diuus Hieronymus aduersus Iouinianum libro primo scribit, cum ab Iarba, Numidarum rege, peteretur in coniugium, tantisper nuptias distulit, dum urbem conderet. nec multo post extracta in memoriam mariti quondam Sychaei pyramaluit

luit ardere quam nubere. Casta mulier Carthaginem condidit: & rursus eadem vrbs in castitatis laude finita est. haec Hieronymus, sed hanc historiam de morte Didonis Trogus Pompeius, siue Iustinus libro decimo octauo satis copiose refert. quam te miror vel non legisse vel non saltem audiuisse: cum tam multa te scire profitearis, vt palam praedices, te nemini in hac ciuitate quouis in doctrinae genere cedere. Quid? annon illud Epigramma, quod extat adhuc apud Graecos & in quarto Epigrammatum libro legitur, te tui erroris admonere poterat? cum praesertim saepe graecari soleas: nisi negligenter omnia percurreres. in quo Dido clamat: se nequaquam talem fuisse, qualis a Marone depingitur. neque vnquam se Aeneam vidisse, sed vt pudicitiam inuiolatam a Iarba conseruaret, sibi ipsam manum intulisse. Quid? quod idem Epigramma satis eleganter Ausonius in latinum transtulit? quae tandem inertia tua est non saltem hoc apud Ausoniu adnotasse? libet autem vt te magis pudeat, illud huc adscribere.

Illam ego sum Dido, vultu quam conspicis hospes

Assimulata modis pulchraque mirificis.
Talis eram sed non Maro quam mihi finxit,
erat mens

Vita nec incestis laeta cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Troius vnquam

Nec Lybiam aduenit classibus Iliacis.

Sed

Sed furias fugiens atque arma procacis
Iarbae,

Seruati fateor morte pudicitiam.

Pectore transfixo castos quod pertulit enses,

Nec furor aut laesus crudus amore dolor.

Sic cecidisse iuuat. vixi sine vulnere famae

Vlta virum, positis moenibus, oppetii.

Inuida cur in me stimulaſti Muſa Maronem?

Fingeret vt noſtrae damna pudicitiae?

Haec quidem haecenus in Epigrammate Graeco in hunc ſenſum leguntur: ſed Auſonio placuit quatuor illos verſus ex ingenio ſuo adiungere.

Vos magis hiftoricis lectores credite de me

Quam ſi furta Deum concubitusque canunt.

Falſidici vates. temerant qui carmine verum

Humanisque Deos affimilant vitis.

Haec ideo ſcripſi, vt te admonerem: ſi modotu is es, qui admonitiones audire poſſis aut velis: ne tam temere poſthac de iis, quae tibi non ſatis comperta ſunt, iudicare audeas. mecum quidem tibi vel delirare poſſit: vt ſaepe & inepte facis. ſed caue ne te ipſum aliis deridendum propines. Vale.

M. ANTONII MAIORAGII
 EPISTOLICARVM QVAE-
 STIONVM
 LIBER II.

I. *Quomodo propriorum nominum formae distinguantur, contra Grammaticorum sententiam.*

M. Anton. Maioragius Francisco Cicereio.

S. P. D.

Magno te esse in dubio scribis; quomodo propriorum nominum, quae ad homines pertinent, species distinguui debeant: quoniam magnam inter eos qui eas docere conantur, contentionem esse vides, neque satis inter se conuenire. quaeris igitur super hac re sententiam meam. Ac mihi quidem (vt ingenue fatear) videtur haec facillima esse ratio. in qua tamen omnes fere Grammatici & plerique alii decipiuntur. nam quae species ab eis quatuor numerantur, Nomen, Pronomen, Cognomen & Agnomen, eas profecto tantum tres esse luce tibi clarius ostendam. ipsum enim nomen non speciei sed generis vocabulum est. Agnomen vero & Praenomen & Cognomen species sunt ipsi Nomini subiectae. atque ideo cum species
 omnes

omnes generum nomina fortiantur, vt homo etiam animal dicitur, & ficus arbor, & iustitia virtus, saepenumero apud probatos autores inuenimus & Pronomina & Agnomina & Cognomina etiam nomina vocari. quod cum plerique non animaduertant, in maximas dubitationes incurrunt. Tu igitur facillimam distinctionem meam accipe, quam vbiq; verissimam esse reperies. Nomen generaliter est, quod vnicuique rei & personae attribuitur: quo suo quaeque proprio & certo vocabulo, ab aliis discernatur: vt homo, leo, lapis, arbor. verum ex nominibus alia communia sunt, vt quae modo diximus, alia vero propria, vel hominum vt Plato, vel bestiarum vt Cyllarus vel inanimatarum rerum, vt Roma, Padus, Olympus, vel denique alicuius indiuidui, vt sol, luna. sed omnibus aliis nominibus praetermissis, hoc loco quaerimus, quae sint hominum propria nomina. atque haec dicimus tribus formis contineri. nam alia dicuntur agnomina, quae propria sunt familiarum, & non ad vnum aliquem tantum, sed ad omnes, qui sunt eiusdem familiae, proprie pertinent, vt Cornelius, Iulius, Calphurnius. alia praenomina vocantur, quae differentiae gratia nominibus familiarum praeponuntur, & ad vnum tantum proprie pertinent: vt is ab aliis, qui sunt eiusdem familiae distinguatur: vt Publius, Caius, Lucius, alia denique sunt cognomi-

G 4 na,

na, quae ab euentualiquo solent imponi: vt Africanus, Creticus, Corculum. hac posita distinctione: conabimur eam firmissimis rationibus approbare. Ac primo sciendum, nomina omnia communiter esse tanquam rerum notas, vt Aristoteles ait, quae Plato in Cratylō non quidem naturalia esse, vt plerique existimant, sed tamen pleraque rerum naturas indicare censet. vnde Pythagoras, vt primo Tusculanarum Cicero scribit, magnam illius sapientiam esse censuit, qui primō nomina rebus imposuit. nos autem a sacris literis docemur, Adamum, primum humani generis parentem, nomina rebus indidisse, eum enim illa ratio sempiterna, quem Deum vocamus, mundum & quae in eo sunt omnia procreasset: Adamo negotium hoc demandasse dicitur, vt nomina rebus imponeret quod certe non nisi summa quadam prudentia atque sapientia praestare potuisset. deinde vero paulatim, cū in varias linguas hominum genus discretum fuisset, factum est, vt vnaquaeque natio nomina rebus arbitratu suo fingeret. quae causa fuit, vt nequaquam nominum omnium ratio reddi possit. vnde sane videtur earum omnino superuacanea esse quaestio, qui scrupulose solet inquirere, vtrum *Ἰσμι ἢ Φυσικῶς*, hoc est vtrum institutione an natura sint rebus imposita nomina. satis enim aperte constat, quamuis plurima reperiantur nomina, quae rerum vna
&

& naturam exprimant, omnia tamen ab hominum institutione profecta esse, neque vlla prorsus esse naturalia. quippe cum ex historiis intelligere liceat, nouis rebus semper noua nomina imposita fuisse. quod vel vno exemplo declarari potest. cum enim patrum nostrorum memoria in Germania repertum fuisset horribile illud ac tremendum belli instrumentum, quod stridore tonitruum & violentia fulmen imitatur: nomen illi statim, quod aliqua ex parte naturam ipsius demonstraret, inditum est. Itaque Bombardam appellauere, quod bombum hoc est strepitum & sonum ingentem cum ardore mixtum emittat. nam licuit, vt ait Horatius, semper licebit

Signatum praesente nota producere nomen. Sunt igitur hac de causa reperta nomina, vt singulae rerum species per ea discernantur. Quare quibus in rebus exquisita atque diligens indiuiduorum & singularium discretio non curatur, vnum speciei nomen satis est, ad eius rei naturam communiter indicandam: vt leonem, equum, ceruum appellamus, quemcunque ex ea specie viderimus. quod si centum ex. grat. leones in cauea quis habeat, velitque eorum vnum quemque ab aliis discernere: necesse erit, vt sigillatim vnique nomen imponat, quod praenomen poterit vocari: quia differentiae tantum gratia proponitur: vt scilicet hic ab illo distingua-

tur, quemadmodum ii facere solent, qui boum armenta & caprarum greges aut aliarum bestiarum pascunt. singulis enim sua imposuere praenomina. Sic Alexander ille Magnus equum suum Bucephalum & Castor suum Cyllarum nominauit. In hominibus vero, quia sigillatim omnes ab aliis distinguendi sunt, ideo necesse fuit, ut singuli sua praenomina sortirentur. quod a priscis illis temporibus ad nostram usque aetatem usurpatum esse videmus, ut vnusquisque homo suum ac proprium nomen habeat, quo ab aliis nominibus distinguitur. sed in ipsis humani generis primordiis aliquam rationem sapientissimos illos in nominibus imponendis secutos fuisse reperio. nam Adamus ita dictus fuit, quod e terra, quae Adamah Hebraeorum lingua dicitur, esset procreatus. Eua: quod viuentium mater esset futura. Abrahamus, quod multarum nationum parens. Isaacus, quod parentibus risum & laetitiam promissus eius ortus attulerit: multaque eiusmodi cetera nomina passim apud sacros auctores reperiuntur, aliqua de causa imposita. Sed post ea quam quisque coepit arbitrio suo nomina fingere, & ea filiis suis imponere: multa etiam sine causa imponi coeperunt. cumque hominum multitudo coalesceret; & in familias tanquam colonias distribueretur: familiis etiam ipsis nomina coeperunt excogitari: non alia sane de causa, nisi ut agnationes inter se discernerentur: & qui-
uis

uis intelligeret, ex qua esset agnatione siue gente. Nomen illud igitur agnationis & familiae Romani veteres Agnomen appellarunt. quamuis omnes fere Grammatici in hoc nomine decipiantur: qui putant agnomen esse aduentitium, vt Africanus, quod omnino falsum est, vt postea docebimus. sed quoniam omnes eiusdem agnationis homines cum primum nati sunt, familiae suae nomen habent: verbi gratia quicumque sunt ex Fabiorum familia, Fabii dicuntur; ex Corneliorum Cornelii: necesse fuit etiam aliud nomen adiungere: quo qui sunt eiusdem gentis aut stirpis inter se distinguantur. itaque nomen illud, quod differentiae gratia praepositur, praenomen est appellatum. Haec igitur duo nomina Agnomen, inquam, & Praenomen mortales paene dixerim vniuersi, modo liberi sint, sortiuntur. Agnomen enim habent a patris familia. Praenomen vero die Iustitico solet infantibus imponi: quo ab aliis eiusdem familiae separentur. sed tamen plerumque accidit, vt aliquis duo vel plura praenomina habeat: si ita parentibus indere placuerit. quod hac nostra aetate frequenter fieri solet. Vt Ioannes, Marius, Petrus, Antonius. multa etiam antiquorum Praenomina & Agnomina coniungunt, & loco praenominis filiis suis imponunt. vt M. Antonius, Paulus Aemilius, quibus deinde familiae nomen adiungitur, vt M. Anton. Triultius, Paulus Aemilius Cotta. quin etiam plura cognomina

mina quis habere potest: si eadem gens ac familia multis nominibus appelletur. ut apud Romanos Cornelii, Scipiones, Calphurnii, Pisonis, Claudii, Marcelli. sed horum alterum a cognomine factum est, ut paulo post ostendam. nam tertia species propriorum nominum cognomen dicitur, quod ab aliquo euentu solet imponi; ut C. Martius dictus est Coriolanus, quia Coriolos, Volscorum oppidum, expugnauit. atque hoc nomen etiam cognomentum a latinis appellatur. Hae sunt igitur tres propriorum nominum species, quarum duae primae cuiuslibet necessariae sunt, Praenomen & Agnomen: alioqui nemo posset ab aliis distinguui. ut si quem interrogauerimus quonominine vocetur: is statim suum Praenomen indicat, exempli gratia vocor Antonius, vel Franciscus. quod si ultra progrediaris interrogando, quinam Antonius aut quinam Franciscus vocaris? is deinde suum Agnomen indicabit, ut Antonius Vicecomes, Franciscus Moschenius. Tertia veri species non omnino necessaria est: neque enim omnes cognomen habent. nisi forte iam Cognomen in Agnomen transierit. Nam ut Macrobius docet, frequenter accidit, ut Cognomina familiis inhaereant, & in Agnomina conuertantur: ut qui Scipio primus dictus est ab euentu, eo quod Patrem, luminibus carentem, pro baculo regeret, Agnomen ex Cognomine posteris suis tradidit. sic Torquatus cognomen eius fuit, qui Gallo deuicto torquem de-

detraxit & collo sibi circumposuit. postea familiae toti quasi haereditarium inhaesit. Cicero in somnio Ciceronis: eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc haereditarium. Iam igitur, ut opinor, factis a nobis declaratum est, quatenus hoc a paucis Grammaticis fuit intellectum, quae sit apud bonos auctores priorum nominum distinctio. quam si recte quis percipiat: ei plurimo multis in locis apud bonos auctores erit adiumentum. nam nos quidem vulgo cum nomen alicuius proferimus: semper fere de praenomine intelligimus. ut si quis quempiam roget quo nomine vocetur: se Petrum aut Antonium vocari respondebit. nisi forte sint aliquae graues aut celebres personae. tunc enim huiusmodi homines non Praenomine suo sed agnomine potius appellamus. ut si de Andrea Alciato nostro, celeberrimo Iurisconsulto, quis loquatur: nunquam fere Andream sed Alcium semper appellabit. atque hoc ideo fit, quasi tales homines maxime familiam suam claram & illustrem efficiant. Idem etiam frequenter in antiquis facimus, ut Ciceronem, Caesarem, Iulium potius quam Marcum aut Caium aut Titum dicemus. si vero aliqua dignitate aut magistratu praeditus homo sit: tunc eum non iam semper Praenomine aut Agnomine, sed cognomine frequentius vocamus. sunt enim etiam magistratus inter cognomina numerandi: praecipue si perpetui fue-

fuerint. vt Principem senatus potius quam
 Philippum Saccum dicemus; & Episcopum
 Nouariae potius quam Angelum Arcimbol-
 dum. ita dicimus Imperatorem, Regem Fran-
 corum potius, quam Carolum Aultriacum, aut
 Henricum Valesium. legimus tamen apud
 Suetonium Praenomen Imperatoris; quasi
 hoc nomen Imperator Praenomen dici de-
 beat, non autem Cognomen. Quod ita acci-
 piendum est, vt, quoniam multi saepe Caesa-
 res vocabantur, is qui summum habebat im-
 perium, differentiae gratia Imperator dice-
 retur; atque ita in aliis cognomen erat, vt
 qui iusta victoria nonnunquam Imperatores
 appellabantur, id in Caesare praenomen voca-
 retur. Quod autem nomen generis vocabu-
 lum sit, non speciei sicuti Grammatici censent,
 iam a me probatum est antiquorum aucto-
 ritate; simulque aliquid de singulis proprio-
 rum nominum formis dicendum est. Igitur
 Cicero secundo libro de Inuentione, cum de
 attributis rebus verba faceret, inter ea quae
 personis attributa esse docet, Nomen etiam
 ponit. quod in primo libro ita definiuerat
 Nomen est, quod unicuique personae datur,
 quo suo quaeque proprio & certo vocabulo
 appellatur. & quoniam ex hac definitione
 poterit aliquis suspicari, tantum praenomen
 a Cicerone intelligi: vulgo enim cum nomen
 appellamus, Praenomen intelligimus. adiun-
 xit illa verba: Nomen autem cum dicimus;

Co-

Cognomen quoque & Agnomen intelligatur oportet. de hominis enim certo & proprio vocabulo agitur. quasi diceret: Nominis vocabulum non tantum Praenomen, sed etiam Cognomentum & Agnomen amplectitur, quam Ciceronis sententiam non intelligens, Victorinus interpres in magnum errorem incidit. Nam nomen, quod est generis vocabulum vt docui, cum formis suis immiscuit, & quatuor priorum nominum species posuit: Praenomen, Nomen, Cognomen & Agnomen, quas tamen non recte distinxit. huius errorem secutus est Priscianus, Perottus & omnes fere Grammatici, qui eadem fere dicunt quae Victorinus, praeter Diomedem, qui paulo aliter has species tractauit; sed tamen omnino mendose. quod, cum haec nostra bene intellexeris, facile cognoscēs. illud quidem certe satis mirari non possum in vocabulo agnominis tantopere deceptos fuisse omnes Grammaticos, qui censent id esse agnomen, quod ab aliquo euentu imponitur, vt Africanus. quod apertissime falsum est. nam quod ab aliquo euentu imponitur, id non Agnomen sed Cognomen appellatur. vt quiuis mediocriter eruditus intelligere facile potest. Quod autem a Cognomine differat Agnomen, aperte docet ipse Cicero secundo de inuentione in eo quem antea citauimus, loco, vbi scribit: cum nomen dicimus. Cognomen quoque & Agnomen intelligi oportere. est igitur cognomen, quod imponitur
ab

ab euentu aliquo. Cicero de Amicitia; Cato quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. de finibus primo: neque Torquatum, qui hoc primus cognomen inuenit. pro Murena: quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso prae se ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine assumpsit. sed quid exemplis opus est, quae sunt infinita? Sed huius vulgatissimi erroris eam causam fuisse iudico, quoniam hoc vocabulum agnomen rarum est apud antiquos auctores. nam Cicero & reliqui veteres cum familiam & gentem aliquam seu stirpem indicare volunt, vocabulo potius generis, quam speciei vtuntur, & pro agnomine nomen dicunt: quoniam agnomen reliquis dignius & praestantius est. quippe quod vniuersam familiam indicet: cum interim Praenomen & cognomen vnam tantum personam amplectantur. non igitur mirum si generis vocabulo designetur. vnde etiam in Diocletiani lege, quam nos in oratione de mutatione nominis citauimus, Nomen pro agnomine positum est. sic enim ait. Sicut initio nominis, Praenominis, cognominis, recognoscendi singulos, impositio libera est. priuatis: ita eorum immutatio innocentibus periculosa non est. mutare itaque nomen vel praenomen vel cognomen sine aliqua fraude, licito iure, si liber es, secundum ea quae saepe statuta sunt, minime prohiberis, nulli ex hoc praedicio

fur

futuro. Nomen igitur in hac lege pro agnominem ponitur, hoc est pro familiae nomine. Quod autem agnomen sit familiae siue gentis, siue stirpis, primum ipsa ratio siue notatio vocabuli videtur id significare. nam agnomen eo modo dicitur quo agnatio, quae est agnatorum consanguinitas, ut sicut agnatus ille dicitur, qui ex eadem familia natus est, ita Agnomen dicitur commune totius familiae nomen. deinde scriptorum antiquorum auctoritas. Nam Thomas Linacer, vir alioqui doctissimus, in communem errorem lapsus, nequaquam hoc vocabulum intellexit, & praeterea dixit, apud eruditos scriptores agnomen non inueniri. quod mihi mirum videtur. nam ut omittam Priscianum, Seruium Victorinum, qui licet in aliquibus rebus decepti sint, non certe tamen ab eruditorum collegio repellendi sunt: poterint Linacer, Ciceronem & Ouidium ineruditos appellare? atqui apud utrumque nomen hoc reperitur. & quidem Ciceronis locum ex secundo de intentione bis iam antea citauimus. Ouidius autem tertio libro de Ponto Elegia secunda aperte clamat id quod ego iam dudum probare contendo, nempe Agnomen esse familiae totius & gentis seu stirpis nomen. sed Ouidij carmina satius est recitare.

Adde quod est animus semper tibi mitis, & altae

Indicium mores nobilitatis habent.

audiri

H

Vos

Vos Voleſus patrii cognoſcat nominis
auctor

Quos Numa maternus non neget eſſe
ſuos.

Adiectique probent genithua Agnomina
Cottaë :

Si tu non eſſes interitara domus!
Vocat igitur Ouidius genithua Agnomina, eo
quod generis & familiae propria ſint. Illud
etiam obſervatione dignum, apud Romanos
Agnominum duo fuiſſe genera, alia antiquiora,
recentiora alia quae antiquiora fuerunt: ea ple-
raque in ius ſiuebant, vt Iunius, Pompeius, Cor-
nelius, Claudius, Sempronius, Manlius. quae
autem recentiora, fere ex cognominibus fa-
cta ſunt, vt Lentuli, Fabii, Cicerones, imito
cognita fuerunt: quemadmodum libro deci-
mo octauo Plinius ſcribit. ſic enim ii fuerunt
appellati, qui lentem, fabam, cicer optime
ſenerent: ſed poſtea ſucceſſu temporum in
familiarum nomina tranſierunt. Sicut et-
iam Piſones, Scipiones, Poſthumii, Torquati,
multaque alia, vt ſupra etiam demonſtratum
eſt. qua de cauſa factum eſt, vt aliquando co-
gnomen pro agnomine reperiatur: quod etiam
vt dixi, ex ipsis cognominibus, cum familiae
inhaeſerint, agnomina fiunt. ſic Ouidius ſaſto-
rum primo. Nec gradus eſt Fabios ſupra Co-
gnominis vllus. Liuius primo libro: man-
lit Syluius poſtea omnibus cognomen, qui
Albae regnarunt. Sed haec licenter ablaucto-
ribus

ribus vsurpari solent, vt vnum pro altero no-
 men ponatur. sicut etiam Suetonius in Caesa-
 re praenomen Imperatoris dixit: cum tamen
 Imperator cognomen sit, & ab euentu veniat.
 de quo supra diximus. Praenomen apud an-
 tiquos ante septimum diem pueris imponi
 non solebat. cuius rei causa est, quoniam, vt
 ait Aristoteles, recens natus infans adeo tener
 est, vt eius vita profus incerta sit, nec ante
 septimum diem virilis esse videatur. Sex.
 Pompeius ita scribit. Lustrici dies infantium
 appellantur, puellarum octauas, puerorum
 nonus. quia his lustrantur atque eis nomina
 imponuntur. Apud Athenienses & omnes fere
 Graecos id obseruari solitum inuenio, vt de-
 cimo die nomina infantibus imponerentur:
 quo die cognatos & amicos ad splendidum
 conuiuium inuitare consueverunt. idque *dr-
 xam ismetu* dicebant. Iulius Capitolinus
 scribit, Antonium Philosophum Imperatorem
 instituisse, vt nati liberi tertio a partu die no-
 mina ferrent, & apud praefectos agrari pro-
 fiterentur. Ipsa vero Praenomina tantum
 ea de causa reperta fuerunt, quemadmodum
 antea dixi, vt qui eiusdem erant familiae, dis-
 cerni inter se possent. & plerumque boni omni-
 nis causa pueris indebantur. vt Titos a tuen-
 do vocarunt: quod patriam essent a pericu-
 lis defensuri. Publios a plebe, Lucios a Lu-
 ce. quidam etiam a numero praecedentium
 fratrum appellabatur. vt Quinti, Sexi, Se-

ptimii, Octalicii. Feminae neque Praenomen neque Cognomen habebant : sed tantum Agnomen familiae retinebant : vt Lucretia, Claudia, Iulia, Terentia, & hoc nomen retinebant etiam, si in manum viri conuenissent & matrem familiae factae fuissent. discernebantur autem inter se feminae per maritorum nomina. vt Iulia Pompeii, Calpurnia Caesaris, Porcia Bruti. quod autem Tanaquil, Tarquinii Prisci coniux, Caia Caecilia dicta fuerit, hoc est Praenomen habuerit, hoc illi non propter consuetudinem sed propter dignitatem concessum fuisse crediderim : quod esset regina. Legimus apud quosdam, ideo neminem Romanorum sine Praenomine fuisse, quoniam inter Romulum & Tatium, quo tempore societatem iniuerunt, ita conuenerit, vt Romani Sabinorum & Sabini Romanorum nomina suis nominibus praepoherent : vt aequo iure tanquam fratres essent : ne nominibus quidem propriis conseruatis. Seros autem constat neque Praenomen neque Agnomen habuisse, sed cognominibus tantum quibusdam appellabantur, vt dominis eorum placuisset, vt Syrus, Tiro, Laurea. nisi forte manumissi fuissent. tunc enim patronorum fere nomina accipiebant. Adoptiui vero filii patrum adoptantium omnia nomina suscipere solebant, & praeterea a patris naturalis nominae Cognomen accipiebant. vt P. Cornelius Scipio Aemilianus ; Caius Caes. Octavianus, neque licebat passim ea, quae quis-

quisque vellet sibi nomina vsurpare. nam Athenis lege cautum erat, ne quis maternum sibi nomen imponeret. & feminis etiam indere familiae cognomina lege vetabatur. neque a celebritatum nomine licebat feminas appellare. vnde miratur Athenaeus, cur Tibicini cuidam permiffum fuerit, vt Nemeos vocaretur; cum haec nomina neque meretricibus neque ancillis imponere liceret. quemadmodum Polemo scripsit. Sed haec hactenus. Nunc superest vt probem, trestantum apud Romanos fuisse propriorum nominum species, non autem quatuor vt Grammatici censent. Vel enim a maioribus nomina trahuntur, vel differentiae gratia ponuntur, vel ab aliquo euentu. neque vlla alia caussa est nominis imponendi. quae a maioribus trahuntur, ea proprie dicuntur Agnomina, sed frequentius communi vocabulo nomina vocantur: quae differentiae gratia ponuntur, Praenomina dicuntur: denique quae ab aliquo euentu fiunt, ea cognomina nuncupantur. neque vlla species alia propriorum nominum reperitur. ergo tres tantum esse concludendum est. quod etiam grauissimus auctor Plutarchus in Coriolani vita satis aperte declarat his quidem verbis; *ἐκ τῆς τρίτης ἔχει ὄνομα τὸ κοριολάων, ὡ καὶ μαλιστα δὴλον ἔστι ὅτι τῶν ὀνομάτων ἰδίον ἦν ὁ γαίον, τὸ δὲ δεύτερον οἰκίας, ἢ γενεῆς κείνου ὁ Μάρκος. τὸ δὲ τρίτον ὑστέρων ἔχρησάτο.* hoc est. ex hac re tertium habuit nomen,

Coriolani, ex quo maxime perspicuum est quod ex nominibus proprium eius erat Caius, secundum autem familiae vel generis commune, Martius, tertio deinceps usus est hoc autem erat ingenuitatis signum, quoniam seruis, ut antea dixi, neque Praenomen neque Agnomen habere licebat, unde seruo euidam apud Plautum sese insolentius gerenti, quidam ait, tanquam habeastria nomina, quasi multa concedi soleant ingenuis, quae seruis denegata sunt, quia Iuuenalis satyra quinta dixit hoc etiam in parasitum :

Duceris planta velut ictus ab Hercule Caius

Et ponere foris, si quid tentaueris vnquam
Hircere, tanquam habeas tria nomina.

Vides igitur iam, ut opinor, priorum nominum tres tantum esse species, quae quomodo distinguantur, satis demonstratum est. Vale.

II. Qua de causa qui vehementer laudantur in coelum ferri aut exalti dicuntur.

M. Antonius Maioragius Mathaeo Buxerio

S. P. D.
Commodum e loco superiore descenderam, expedita Virgilli lectione, post eius carminis interpretationem

Punica se quantis attollet gloria rebus!
Cum tu mihi praesto fuisti, comiterque, ut soles, a me petuisti, qua de causa, qui se praecla-

GRECO

ε Η

re

re gerunt & laude digni sunt, extolli, efferrī, in altum euehi, in coelum denique laudibus ferri dicuntur. sicuti Virgilius in Georgicis: *montanda via est, qua me quoque possim tollere humo*, Cicero pro Archia: *in coelum proanus huius tollitur*. pro Marcello: *ad coelum mehercule tollimus verissimis ac certissimis laudibus*. Dixi tunc metaphoram siue translationem mihi videri. sicut enim res, quae in altum tolluntur, conspectiores fieri solent, & ab omnibus facile videri possunt: ita praestantes viri propter res egregie gestas celebriores & magis conspicui fiunt. nunc autem super eadem re, ad te scribere mihi visum est id quod esse verius existimo. Res enim omnes praeclaras non humanas sed diuinas potius esse duximus. quoniam, vt ait Homerus *θεοῦ δε τι δοτῆρας ἕσασον*. i. e. Dei bonorum praebitores sunt. quod asserunt etiam Theologi nostri: qui a Deo tanquam a fonte quodam omnia bona manare dicunt, nihilque egregie sine Dei auxilio fieri posse. Vnde qui praeclare se gerunt tanquam Deorum amicos suspicimus & veneramur, & Deo similes iudicamus, Cicero secundo de natura Deorum: *fufcepit autem vita hominum consuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent*. erat enim haec apud priscos mortales consuetudo, vt si quem eximii ac minime vulgaribus virtutibus praeditum viderent, eum Deum

aut diis genitum appellarent, cui quidem rei etiam Aristoteles Ethicorum libro septimo ad stipulatur. hanc, inquit, virtutem heroicam, velut homine maiorem & diuinitati proximam vocant. Vnde Homerus in Iliadis ultimo de Hectore ita loquitur; *οὐδε γὰρ ὠθεῖσθαι θεὸς γὰρ δὴν τε παῖς ἐμμεναι ἀλλὰ θεοῖο.* quod ita verti potest

At non ille quidem mortali semine cretus
Esse credebatur. verum Diuum aurea proles.

Socrates apud Platonem in Menone tradit, eam fuisse Lacedaemoniorum consuetudinem, vt quoties aliquem laudare magnopere vellent, ita dicerent *θεὸς ἀνὴρ ἔστω*, vir diuinus hic est. quin apud Homerum frequentes sunt huiusmodi appellationes: *θεωμικλος, θεοειδης, ἰσοθεος*, quali dicas Deo similis, diuina specie, Deo aequalis, quae quidem dicendi superlatio etiam apud nos reperitur. Cicero de oratore secundo: in quo tu mihi Deus esse videris. Terentius in Adelphis: apud illum te Deum facio. Quintilianus in primo docet, hominem omni genere laudis abundantem, vulgo mortalem Deum appellari. quin vsque eo creuit haec opinio, vt eos qui maxime laudantur, vt in coelo esse dicamus, vt Cicero ad Atticum secundo: Bibulus in coelo est, nec quare scio. sed ita laudatur, quasi vnus homo nobis cunctando restituit rem. & alibi: si vero quae de me pacta sunt, ea non seruantur:
in

in coelo sum. sic etiam Horatius prima cantione: Me doctarum hederæ præmia frontium Diis miscent superis. & Theocritus in viatoribus; ἰσ' ἔρανον ὑμῖν ἔλευμαι in coelum vobis saliam. hoc est igitur quod Anna significare vult. tantum, inquit, Poenorum gloria tali coniugio sese attollet, ut coelum ipsum adscendat, & iam non humana sed diuina potius videatur. nos omnes nationes diuinis laudibus efferent, nostras res gestas in coelum tollent. Haec ad te scripsi cum essem otiosus in suburbano, pridie calendæ Maii: ut intelligas, me tui memoriam summa cum benevolentia conseruare. Vale.

III. *Quid sit pudorem soluere, & ibidem de pudore quaedam disputata.*

M. Antonius Maioragius Sfortiae Briuiio

S. P. D.

CVpis a me scire, quid sit apud Virgilium soluere pudorem super eo carmine: Spemque dedit dubiae menti, soluitque pudorem. vbi Seruius ait; propter vincula castitatis. te vero non satis intelligere adscribis quid sibi Seruius velit. Ego sane rem admodum facilem esse iudico, neque vllam in eo carmine difficultatem video. Sic enim ait Poëta: tantum suis verbis Anna soror effecit, ut dubiae Didonis menti nuptiarum

H 5

spem

spem dederit, & illum pudorem soluerit, qui Didonem retinere videbatur, ne secundas nuptias experire vellet. pudor enim tanquam vinculum quoddam mulierem a turpitudine continet & retrahit. quae alioquin abiecto pudore facile in omne flagitium prolabitur non aliter atque a catenis dissoluta bellua. hoc est quod postea conqueritur Dido: te propter eundem extinctus pudor. nam apud antiquos tantum pudori tribuebatur, ut eum tanquam Deum colerent. legimus enim Athenis aram pudori fuisse constitutam. pudore enim praesente, recte & honeste omnia administrantur. at vero si pudor solutus fuerit & abscesserit: secum etiam omnem trahit honestatem atque ita castitatis vincula rumpuntur, & fit impudica mulier. & hoc est, quod ait Seruius. potest etiam referri ad antiquam consuetudinem, qua in nuptiis uti solebant. Noua enim nupta, quemadmodum Sex. Pompeius scribit, laneo cingulo accingebatur. vincto nodo Herculis: quem vir in lecto boni ominis gratia soluebat: ut etiam ipse quemadmodum fuit Hercules, felix esset in liberis suscipiendis. tradunt enim Herculem mirae fecunditatis virum fuisse: quippe qui septuaginta liberos post se reliquerit. unde Zonam soluere pro eo quod est nubere, vel cum viro rem habere nonnunquam legimus. Hinc Catullus de Atalanta:

Tam

Tam Carum mihi quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum.

Quod zonam soluit diu ligatam.

Volunt autem probati auctores pudorem in
oculis sedem habere. Vnde Euripideis ait:
αἶδος ἐν ὀφθαλμοῖς γίνεται τεκνον. pudor in
oculis nascitur o fili, ad spectus enim solet pu-
dorem aut renouare, aut incitare. vnde puellas
videmus & pueros cum eos alicuius rei pudet,
oculos manibus contegere. & apud Platonem
Socrates, cum de amore locuturus esset, prius
oculos tegere voluit. hac de causa dixit Ovi-
dius noctem pudore vacare: quoniam in ea
non videmus. sic enim ait

Nox & amor vinumque nihil moderabile
suadent,

Illa pudore vacat, liber amorque metu.
Aristoteles in Problematis causam quaerit,
quare fiat, vt iis qui pudore afficiuntur, aures
rubescent. an ideo inquit, hoc accidit, quo-
niam pudor in oculos frigus quoddam ad-
ducit, vna cum metu; atque ob id calor o-
culos destituit, & ad locum sui maxime ca-
pacem defertur, qualis est aurium summa
pars? reliquum enim osseum est. Hac de caus-
sa qui capti sunt oculis impudentiores esse
solent: quoniam pudoris sede priuati sunt.
hinc etiam fit, vt rectis oculis virgines &
honestiores matronae viros spectare non au-
deant: quasi id impudentiae signum sit. nam
meretrices & lasciuae mulieres in oculis

im-

impudentiam prae se ferunt, & oculis maxime discernuntur ab eis, quae pudicae sunt. hinc illae dicendi formulae quo ore, qua fronte hoc audes affirmare? Fortasse etiam apud Homerum Agamemnonem Achilles obiurgans ~~καταφρονει~~ vocat, quod impudens esset, quasi oculis caninis & omni pudore vacantibus. Plinius non in oculis sed in genis pudoris sedem constituit. cum enim de genis loqueretur: sic ait. pudoris haec sedes ibi maxime ostenditur rubor. quare in pueris rubere genas probitatis signum est. in iis enim pudor, integritas, virtus ostenditur. Terentius: erubuit: salua res est. Alciatus noster in quodam emblemate pudorem egregie depingit his versibus:

Ergo sedens velat vultus, obrubit ocellos
Ista verecundi signa pudoris erant.

Quis sibi praelatum Icarium cognouit V-
liffem

Hocque pudori aram schemate consti-
tuit.

Apud Graecos & forma & veste muliebri pudorem pingebant, eo quod feminas maxime deceat. quae de causa fortasse Martialis stolatum pudorem dixit: Quis Floralia vestit, & stolatum permittit meretricibus pudorem? Quin etiam grata & rubenti facie pingebant: quoniam ut dixi, prae pudore solent genae rubescere: vnde Ovidius Elegiarum primo purpureum vocat pudorem eo carmine:

Nu-

Nudaque simplicitas; purpureusque pudor,
 Sed quid ago? longe plura quam a me peti-
 uisti, persequor. hoc autem mea in te bene-
 uolentia facit, & ingenuus ille pudor tuus,
 quo te a teneris vsque unguentulis praeditum
 noui, & qui ex omnibus discipulis meis in
 te maxime semper emicuit. Itaque gratissi-
 ma tibi haec, quae de pudore dicta sunt fu-
 tura, certo scio. Vale.

*IV. Quem morem, aut quas ceremonias Ro-
 mani veteres in sacrificando seruarent.*

M. Antonius Majoragius Antonello Arcim-
 boldo

S. P. D.

Verissime ab eleganti poeta Tibullo dictum
 Arbitror: *Arbitror, quae deus abqueo
 m. Manita de ventis de tauris narrat arator.*
 Enumerat miles vulnera, pastor oues.
 Nam vnusquisque suo studio delectatur &
 aliena non admodum curat. sic tu mi Anto-
 nelle, iam sacris initiatus, omnia diligenter in-
 quiris, quae ad sacra pertinent. neque conten-
 tus intelligere nostram hoc est Christianorum
 in sacrificando consuetudinem: petis etiam a
 me, ut tibi scribam, quibus ceremoniis veteres
 Romani sacrificare solerent. Ego vero licet
 ad Alexandrum te remittere possim, qui non
 tantum Romanorum sed etiam aliarum natio-
 num sacrificandi morem copiose persecutus
 est:

est: tamen vt voluntati tuae morem geram, quod a me petis, paucis explicabo. quamvis enim singulis fere Deis sua sacra forent instituta: neque vno tantum more sacrificarent: tamen in omni sacrificio: ceremoniae quaedam generatim adhibebantur, quas praeterire nefas esse ducebant. principio igitur qui sacra facturus esset, praecedenti nocte solebat a venere prorsus abstinere: vt castus ad Deos accederet. erat enim in legibus duodecim tabularum hoc praecipuum: ad Deos caste accedite, quam legem & consuetudinem Tibullus duobus illis carminibus expressit.

Vos quoque abesse procul moneo, discedat ab aris.

Cui tulit hesternae gaudia nocte Venus
Postea diligenter in delubro recubans
corpus suum abluebat: vt expurgatus purusque sacra faceret, quod idem Tibullus eodem in loco sic ostendit:

Casti placent superis, pura cum veste venisse
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Praeterea sacerdotes Idis, cum sacra facere decreuissent, decem dies carnibus & vino abstinere solent. Legimus etiam Numam Pompilium pridie quam pro frugibus sacrificaret, carnibus abstinere solitum. quem morem sacerdotes Christiani seruare consueuerunt, primitum vt a venere prorsus abstinent, vnde Pontificis legibus vxores illis ademptae sunt, deinde vt vigiliis obseruent, & Pridie

Pridie festorum ieiunio sese macerent & carnes ne attingant. Qui ergo rem diuinam facturus erat, in primis suorum se peccatorum poenitere confitebatur: vt etiam sit hoc nostro tempore, publicus autem praeco sublimi voce clamabat: Hoc age, iubebatque astantes linguis fauere & sacris intentos esse. quod si accidisset, vt sacerdos aliquem opus facientem videret: pollui sacra putabant. ideo feriari omnes iuebant. atque omnes, quos aliquo scelere contaminatos esse sciebant, procul a sacris remouebant. aderant hostiae, Deis dicatae; superis albae, inferis nigrae. sed singulis Deis singulae. neque enim fas erat, nisi certis Deis, vna duobus sacrificare. maiores hostiae, qualis erat taurus aut vacca cornibus auratis ducebantur. si vero minor fuisset hostia: coronabatur illius Dei fronde cui sacra fiebant, vt querna fronde, si Ioui, laurea si Apollini; Myrtea si Veneri sacrificaretur. atque hinc modo infusa laeua & candida vitta circumdata, ante aras solita ac sine villo vinculo sistebatur. neque enim in sacris aliquid vinctum esse licebat. postea vero aquam in primis aqua aspergebant, quam de fonte Iuturnae qui prope Numicum amnem habetur, sumptam sacris omnibus adhibebant. eam autem aquam in terra posuisse nefas erat. ideo vas quodam lato ore & angusto, fundo, ne per se stare posset, sacris admouebant, in quo ministri aquam illam tenebant. precandi

ini-

initium a Iano & Vesta fiebat. quae in omnibus sacris praecipua numina habebantur : vt per eos ad reliquos Deos aditus pateret, quibus thus & merum offerebant. nam in omni sacro constitutum fuit, vt post illum Deum, cui sacra fierent, reliqui etiam inuocarentur, & patres appellarentur : vt volentes & propitii vota secundarent. sine precatione autem neque victimas caedere, neque Deos consulere fas esse ducebant. Itaque singulis Deis suos hymnos & sua carmina constituta habebant, eo modo quo nos etiam habemus. vt autem nihil praepostere diceretur : ad verbum de scripto recitare oportebat. Peractis precibus, pectus tundebant, & manum labris admovebant eo modo quo nos solemus, cum in altum sacerdos sacram hostiam tollit : vt ab astantibus videatur : deinde fruges aut molam ex farre molito & sale nouumque vinum & thura masula fundebant inter victimae cornua. tunc vero sacerdos maectatam esse hostiam voce significabat quae dum agerentur : si victima non obstupuisset : optima ad sacrificium putabatur : vnde Horatius : Maectata veniet lenior hostia. Sed antequam vinum funderet sacerdos : astantibus propinabat vt libarent. tum setas inter victimae cornua defectas, tanquam prima libamina in ignem mittebant, obliquumque cultrum a fronte ad caudam victimae ducebat, & se ad orientem vertebat. quae res in sacrificio prima habebatur.

qua

quatuor enim in partes totum sacrificium erat distributum. prima pars erat libare Deis, secunda immolare, tertia reddere, quarta litare. post libationem igitur sacerdos facibus accensis ex ligno taedae, quoniam in omni sacrificio, sicuti etiam nostro tempore ignem in altaribus esse oportebat, accinctos ministros victimam immolare iubebat, multis autem nominibus illi ministri vocabantur. nam & vicimarii & cultrarii & Popae dicebantur. Agones etiam appellabantur, ab agendo, quoniam ita sacerdotem interrogabant; agone? quod Ouidius primo fastorum ita testatur.

Nominis esse potest succinctus causa mi-
nister

Hostia coelitibus quo feriente cadit,

Qui calido strictos tincturus sanguine cul-
tros

Semper agatne rogat, nec nisi iussus
agit.

Minister igitur victimam aut supra verticem aut infra iugulum feriebat, statim aderant, qui vase cruorem exciperent, alii bestiam dissecebant. mox Aruspex praesto erat, qui cultro ferreo viscera asperiens extra diligenter inspiceret, & in eos Deos consuleret atque exploraret, an recte libatum esset. Ille autem culter aruspicis erat oblongus, ut singula rimari diligenter posset, namque manu viscera tangere non licebat: ne qua Deorum offensio pollutis sacris contraheretur. postea vero quam

Aruspex diligenter omnia inspexisset, tunc ex omni viscere partes aliquas defecans, farina farris inuoluere & in calathis sacrificanti offerre solebat. quas sacerdotes aris impositas comburebant. tunc hostia perfecta dicebatur. peractis ceremoniis, qui sacris intererant, stantes vescabantur, in aedibus enim sacris erant mensae, quae altarium vicem praeberent, in quibus post sacrificia epularentur. sed illis extis & carnibus nisi recte peracto sacrificio vesci non licebat. quin inter vescendum laudes Deis canere & circum altaria choros agitare non cessabant. Denique re diuina hoc modo perfecta, sacerdos alta voce clamabat; ilicet. qua voce qui sacrificio interfuerant, missos faciebat. eo modo quo nostro tempore sacerdos clamat. Ite missa est. haec fuit Romanorum generalis in sacrificando consuetudo, quamuis aliis etiam modis sigillatim vterentur cum diuersis Diis sacrificarent. Tu his hoc tempore contentus esto. plura alias fortasse scribemus. Vale.

V. *Cur amantes furere dicantur, cur amor in medullis haerere, & ibidem de medulla multa tractata.*

M. Anton. Maioragius Marco Fanniano

S. P. D.

DVo sunt, quae in tuis a me literis efflagitatas. primum cur amantes furere dicantur

tur, alterum cur amor in medullis haerere, atque eas vorare poetae fingant. quorum vtrumque facilem habet explicationem. nam furor apud Latinos pro vehementiore appetitu plerumque ponitur aut irae aut libidinis. Est enim furor, vt tertio Tusculanarum ait Cicero, mentis ad omnia caecitas. qua sane laborant ii, quicumque vehementi sunt amore capti. vnde furere dicuntur: quod quasi infani huc & illuc ferantur. in eis enim appetitus ita rationem obcoecat, vt quid deceat omnino videre non possint. vnde caecus & infanus amor vocatur. Catullus: siue quod impia mens coeco flagrabat amore. Propertius in secundo libro: Scilicet infano nemo in amore videt. nascitur autem furor ab atra bili, quod aiunt Medici. quae duplex est, naturalis & adusta. naturalis nihil aliud est, quam densior quaedam sicciorque pars sanguinis. quae vero ex adustione nascitur, ea solet omnem rationem & consilium impedire: dum enim humor ille accenditur atque ardet: densos & tenebricosos spiritus gignit, qui cum cerebrum petunt: concitados furentesque homines efficiunt. & quoniam amoris impotentia saepenumero idem efficit, quod atra bilis ex adustione: propterea quod sanguinem accendit & vitiat & ab omni ratione mentem auocat: ideo dicuntur amantes insanire & furere. hinc furor pro amore saepe reperitur. Virgilius in Bucolicis: certe siue mihi Phyllis siue esset

Amyntas, seu quicumque furor. & Catullus in Epithalamio: Indomitos in corde gerens Ariadna furores. & in Georgicis Virgilius de equarum amore: scilicet ante omnes furor est insignis equarum. quin etiam furia pro amore ponitur apud eundem. In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem. & Aeneidos duodecimo de Tarni amore sic ait:

Et furis agitatus amor & conscia virtus,

Et Horatius furiare dixit pro eo quod est, ad immensum amorem adducere. cum tibi flagrans amor & libido, quae solet matres furiare equorum. quae omnia propter similitudinem dicta sunt. sicut enim furiosi nihil cum ratione aut consilio faciunt: ita qui magno amore capti sunt. Vnde etiam Graeci quoties aliquem ingenti mulierum amore captum iudicare volunt, eum *γυναικομανη* aut *γυναιμανη* vocant, quasi furore quodam in mulieres proclivem. nam ut ait Phavorinus, *δηλον ὅτι ὁ ἀκρατὴς ἔρως μανία ἐοικε*. i. e. perspicuum est, intemperantem amorem furori esse similem. vnde clamat in quarto Aeneidos Virgilius de Didone loquens. Heu vatum ignarae mentes. quid vota furem, quid delubra iuvant? est molles flamma medullas. Quod autem in medullis haerere dicatur amor, atque eas exesse & deuorare, id accidit ex loquendi consuetudine. nam quae maxime animum affligunt, ea dicuntur medullas consumere, quasi

quasi intimas hominis partes. nihil enim medulla interius est, quae ossium mediam sedem tenet. Ita Virgilius in eo nobili de inuidia epigrammate: liuor tabificum malis venenum intactis vorat ossibus medullas, & totum bibit artubus cruorem. ita dicimus in medullis habere; quae nobis vehementer cara sunt, nam quod optimum est, id natura videtur intimo loco statuisse. vnde medullam pro re optima nonnunquam vsurpamus, vt mellis medulla de re admodum suauis dicitur & Ennius apud Ciceronem in Bruto, Cornelium Cethegum suadae medullam appellauit ob singularem suauiloquentiam. hinc etiam illa passim obuia: in medullis haerere & medullitus amare. Quintilianus etiam in secundo litium medullas dixit; & in medijs litium medullis versantur, sed quia nihil est, quod magis animum sollicitet, quam amor, ideo praecipue amor ipse dicitur in medullis haerere & versari. Callus: Ardet mollibus ignis in medullis. Et Ouidius in Epistola Phaedrae ad Hippolytum: Adsit & vt nostras auido fouet igne medullas

Figat sic animos in mea vota tuos.

Seneca in Hippolyto: labitur totas furor in medullas. Virgilius Georgicorum tertio: continuoque auidis vbi subdita flamma medullis. & quoniam in ossium cauernis medullae consistunt, fit vt aliquando in ossibus ignem versare amor dicatur. Virgilius: Quid

Iuuenis magnam cui versat in ossibus ignem Durus amor. huius autem rei ratio naturalis reddi potest. quoniam inflammato propter amorem iecore, in quo sedes est omnium cupiditatum calorem eum masculinum & vitiosum in venas transmittit, qui sanguinem etiam ipsum inflamat & adurit. hinc est quod adusto sanguine pallidi fiant amantes ut alibi docuimus. a venis deinde paulatim ardor ille in ossium caernas irrepit & medullas etiam incendit. quae expuro & defecato nutrimento gigni solent, ut in Timaeo docet Plato. & Galenus in undecimo de usu partium. ubi docet etiam medullas ossibus nutrimentum suppeditare. fit igitur ut incensis hoc modo medullis ab amore, nutrimentum ossibus subtrahatur & longe debilior amans euadat. quoniam ossa nutrimento priuata non satis commode corpus sustinere possunt. Vnde saepe numero solent amantes languescere. Carpit enim vires vritque videndo Femina. quemadmodum tertio Georgicorum ait Virgilius. Galenus in definitionibus ait, medullam in ossium caernis contineri, & esse pinguem ac sine sensu. quod etiam in libro de plenitudine docet, nempe sensu omni medullam carere. hoc idem Aristoteles de historia animalium libro tertio confirmat. Plinius ait Medullam in iuuenta rubentem esse, in senectute albescentem, non nisi canis ossibus inest, nec cruribus iumentorum aut canum, quare fra-

cta

ita inquit non ferruminatur quod defluente
 euenit medulla. ibidem ait vrsis nullam esse
 medullam: leonibus autem in femorum &
 brachiorum ossibus paucis exiguam admo-
 dum & perobscuram medullam continent,
 carere omnino medulla videntur. ibidem A-
 ristoteles clare definit. vnde nascatur & quid
 sit medulla. vult enim alimenti sanguinei be-
 ne concoctum excrementum esse, quod in ossa
 spinamque distribuatur. reprehendit etiam
 tacite Platonem, qui medullam vim geniturae
 seminalis esse putabat: vt in Timaeo notaui-
 mus, probatque medullam sanguinis quan-
 dam esse naturam: quoniam qui nuper in lu-
 cem prodierint, adhuc in eorum ossibus me-
 dulla sanguinea continetur. vtpote, inquit,
 cum omnes corporis partes sanguine constent,
 & partui etiam alimentum praestetur a san-
 guine. sed per incrementum concoctionem-
 que deinde fit, vt medulla exalbescat. Est et-
 iam spinae medulla, quae a Galeno, *νοτιασ-
 μουσ*, ab Arabibus nucha dicitur. quae na-
 turam habet cerebro similem atque etiam a
 cerebro nascitur. neque aliud est spinae me-
 dulla quam riuus ex cerebro ductus, vel, vt
 inquit Galenus, *ποταμὸς ἐκ πηγῆς τῆς ἐγκε-
 φαλῆς*. iam igitur perspicuum esse potest, qua
 ratione cupiditas & amoris flamma medullas
 exedat. quoniam in iecore conceptum & in
 venis nutritum amoris vulnus. ad ossa vsque
 caua protenditur. neque solum sanguineum

alimentum in medullas conuerti non finit, sed etiam quae iam erant procreatae medullae, eas quasi quidam ignis adurit & consumit. Itaque iecur, sanguinem, medullas amor occupat, & per ea tanquam venenum aliquod ingredientur, atque ita inflammat, vt ardere prorsus amantes videantur, neque vllam omnino quietem admittant. vt in quarto Virgilius de Didone. Vritur infelix Dido totaque vagatur Vrbe furens. Quare tu mi Marce, si sapias, quamuis & pulcher & iuuenis sis: tamen amorem a te tanquam furorem quendam reijcies. quod facile facies: cum iam virgineus Musarum chorus in clientelam suam admiserit. solae enim musae vincula & laqueos amoris non exhorrescunt. quod elegantissimo quodam Epigrammate Graeco satis indicatur, in quo Poeta fingit Venerem Musis minitari, se cupidinem filium suum in eas armaturam nisi numen suum colerent; Musas autem respondere, se prorsus ab amoris iaculis tutas esse. quod Epigramma quidam Platonis esse volunt. Nos illud in latinum sermonem ita conuertimus:

Alma Venus Musis. Venerem obseruato
puellae:

Aut in vos stringet spicula noster amor.

At Veneri Musae, verba ista procacia Marti.

In nos nil iuris ille puellus habet.

Vale.

VI. *Declaratur Virgilii locus. Quid Phantasia sit & qualis in hominibus & belluis, & alia quaedam ad idem pertinentia.*

M. Antonius Maioragius Francisco Comiti
Consobrino suo

S. P. D.

Scribis ad me, te virum quendam eruditum istic audiuisse, qui, cum publice profiteretur, super eo Virgilii in quarto Aeneidos carmine: illum absens absentem auditque videtque, docte quidem & eleganter multa differuerit, sed in eo tantum fuerit occupatus, vt doceret, amorem esse somnio similem, hoc est rem futilem & inanem: qui spem quidem finiendae voluptatis quasi praesentem ostendat, sed amantes plerumque decipiat. vnde dixerit alibi Virgilius: credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? atque ita locum eum interpretatus sit, quasi de Didone dormiente Poeta verba faciat, non autem de vigilante: quoniam ante dixerat: stratisque relictis incubat. quam interpretationem tibi non satis placere significas: cupisque ideo, quid ego super ea re sentiam, audire. Ego sane quidquid eruditus ille dixerit, facilem esse carminis eius sensum existimo, & de Phantasia vigilantis Didonis, non autem dormientis intelligi debere. neque enim eam amoris impatientia dormire

linebat. vt poeta fatis indicat. erat, inquit, animo Didonis Aeneae simulachrum ita imprefsum, vt quamuis abesset ille, tamen & audire & videre praesentem sibi Dido videretur. haec autem animae vis, qua solemus absentia tanquam praesentia nobis repraesentare, Graeco nomine Phantasia dicitur. de qua in Academicis ita scribit Cicero. sensus iunctos esse censuit e quadam quasi impulsione, oblata extrinsecus, quam ille Phantasia, nos visum appellamus. Plato in sophista phantasiae vim simulachrorum magistram appellat: quoniam eas, quas oculis prius conceperamus, effigies ita conseruat, vt quoties volumus, eos nobis quasi praesentes ostendat. sed tum haec phantasiae vis in nobis maxime intenditur, cum aliquid vehementer concupiscimus. eius enim rei semper imago nobis ante oculos versatur, neque alio mentem auertere sinit. ita Dido suum Aeneam, licet absentem, imaginatione quadam audiebat & videbat. Themistius in tertio de anima phantasia ita definit, vt dicat esse motum animae, quem sensus in actu positus creet. verum quia visus sensuum omnium acerrimus & praestantissimus est: inde vis illa animae vili & visionis nomen accepit: & Phantasia dicta ex argumento lucis: sine qua nihil cerni aut videri potest. ea vero Phantasiae natura est, vt ibidem docet idem Themistius, vt formas atque imagines rerum, quas ei praebent & re-

renunciant exteriores sensus, retineat, & consignet in sese; ita vt remotis iis rebus, quas sensus ciebant, tamen earum quasi vestigia quaedam & effigies diutius haereant, & morerentur in nobis: tantoque acrius haereant, quanto aliquid ardentius concupierimus. haec autem vis animae non in hominibus tantum sed etiam in bestiis reperitur. Vnde primo libro diuinae philosophiae tradit Aristoteles: expertes rationis amantes memoria tantum & phantasia vitam agere, humanum autem genus arte & rationibus. Accidit autem vt belluae phantasia tantum dicatur, quia vim animae nullam ea superiorem habent. at vero genus humanum quoniam longe nobiliorem animi potentiam, qui dicitur intellectus, habet: nequaquam tantum phantasia ducitur, nisi cum aut somno deditum est, aut cum aliquo vehementiori appetitu, ac perturbatione animi premitur, aut morbo corporis affligitur. tunc enim in eo phantasia dominatur, sed tum praecipue cum venereas voluptates inflammato animo concupiscit: quarum etiam ipsa cogitatio sola delectationem affert: vt in Rhetoricis ait Aristoteles. itaque debet intellectui phantasia subservire, quasi eius comes & administra. sic enim ad flagitium non eo impetu fertur, quo de Aenea cogitans Dido ferebatur. Graeci *ἰνφαντασιωτάτοι* eum appellant, qui rerum omnium imagines ingeniose concipit. quod eorum, qui vel pictura vel

fin.

fingendi artificio praestant, proprium est. qui
 alio nomine *καταληπτικοί* vocantur: quod fa-
 cile rerum formas apprehendant. Nec illud
 praetermittendum a nobis est, quod ad hu-
 ius loci clariorē explicationem pertinet. Nam
 Plutarchus quarto de sententiis philosopho-
 rum libro tradit, Chrysippum quatuor haec
 nomina, phantasia, phantaston, phantasti-
 con & phantasma, solitum ita distinguere, vt
 diceret, phantasia esse affectionem per sensus
 exteriores in anima factam, cui subiecta sunt
 ea quae sensus mouent, ipsam vero phanta-
 siam a lumine dictam esse. nam vt lumen
 ea quae collustrat, etiam demonstrat: ita phan-
 tasia rerum imagines ostendit & id quod eas
 efficit. phantaston autem id esse quod phan-
 tasia efficit, hoc est, quidquid sub sensum
 cadens animam ad imaginationem (vt ita di-
 cam) excitare potest. Phantasticon vero quod
 inanem quendam attractum sine vlla subie-
 cta re sensibili moueat. vt accidit iis qui ma-
 nus inaniter in aëre iactant. itaque phantasiae
 semper aliquid subest, quod eam efficiat, phan-
 tastico vero nihil, sed inani quadam apprehen-
 sione & cogitatione generatur, vnde etiam
 vulgo solemus eos homines phantasticos ap-
 pellare, qui res inanes animo atque a com-
 muni consuetudine abhorrentes concipiunt.
 Denique phantasma id esse vult Chrysippus
 (vt Plutarchus ait) ad quod rapimur phanta-
 stico & inani attractu. cuiusmodi conceptio-
 nes

nes in eis, qui mente capti sunt, & in furiosis fieri consueuerunt. Suidas quid inter phantasiā & phantasma intersit, facile & aperte declarat. ait enim phantasma quandam esse cogitationis inanem opinionem, vt in somnis accidit. phantasiā vero rerum sensu perceptarum in anima conformationem. haec igitur Didonis, de qua loquimur, erat vehementer impressa phantasia, qua digressum a se Aeneam audire & videre videbatur. quoniam eius imaginem ita animo fixerat vt aliarum omnium obliuisceretur. quin, cum Ascanium Aeneae filium praesentem intueretur: tamen imagine patris commota, tanquam Aeneam illum amplexabatur, gremio detinebat, os eius atque oculos dissuauiebatur, haec est mea super eo carmine sententia, quam ideo pluribus explicare volui, ne inanis epistola ad te veniret. tu me, vt soles, ama: & crebriores ad me literas mitte. Vale.

VII. *Quomodo distinguantur casus, fortuna, fatum, providentia, & quae sunt eis subiecta & quomodo per eas res humanae regantur?*

M. Ant. Maioragius Antonio Comiti
Consobrino suo

S. P. D.

Non sane leuis est ista quaestio tua, quam mihi proponis, sed eiusmodi, vt praeclearissimi-

rissimum quoduis ingenium plurimum exercere possit. vis enim vt tibi declarem, quomodo quatuor illa vocabula: casus, fortuna, fatum, prouidentia distinguantur: & quae sint eis subiecta; quaque ratione res humanae per ea regi & administrari dicantur. Ego vero non tantum mihi assumo, vt sperem hac in re multo difficillima tibi satisfacere posse: sed vt tibi gratificer, ea scribam, quae mihi hoc tempore in promptu sunt, postea si quid certius inuenero, non grauabor id ad te scribere. primo igitur de casu & fortuna coniuncte, deinde de fato, tum de prouidentia breuiter aliqua dicam. quibus explicatis, fortasse quae a me petis intelliges. casus enim & fortuna & fors, & euentus pro eadem re capi a Cicerone secundo de diuinatione videtur. vbi sic ait. Fortuna quid aliud est, quam fors? quid casus? quid euentus? nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere atque euenire, vel aliter cadere atque euenire potuerit? ita frequenter Cicero casum & fortunam coniungit, quasi nihil inter se differant. vt eodem in libro. Quomodo ergo id, quod temere fit, coeco casu & volubilitate fortunae praesentiri & praedici potest? & secundo de officiis dixit. casu aliquo atque fortuna habere causam celebritatis & nominis. sed saepe casus apud latinos pro effectu fortunae ponitur. vt Plancus ad senatum. sed cum in eum casum me fortuna demisset. & Virgilius A-

ne;

neidos primo. Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos, insequitur. quod apertius etiam in Octauo dixit idem Virgilius. Sin aliquem infandum casum fortuna minaris. casus igitur interdum idem est quod fortuna, interdum fortunae est effectus. Epicurei nihil non casui & fortunae tribuebant: volentes omnia fieri temere & fortuito, sine vlllo fato aut Deorum prouidentia. contra Stoici negabant vllam esse fortunam, & fato hoc est ineuitabili caussarum connexionem in rebus tam voluntariis quam naturalibus cuncta fieri necessario dicebant. Mundumque Deorum prouidentia administrari. Aristoteles secundo Physicorum multis rationibus probat casum & fortunam in rerum esse natura, vultque multarum rerum esse causas, non quidem proprias & certas, aut necessario antegredientes, sed extraneas & temerarias, quae quidem praeter spem atque expectationem eueniant, in iis rebus quae alicuius finis gratia fiunt. vt si quis, fodiens seminandi gratia thesaurum inueniat: casu & fortuna dicitur hoc accidisse. vel si quis, iter ingressus, a fera lanietur: casus erit atque fortuna. dicitur autem fortuna penitus omni ratione carere & caeca ac temeraria esse: quoniam, vt ait Themistius, ratio tantum in iis rebus habetur & visitur, quae aut necessario aut plerumque fiunt. fortuna vero, vt Plinius ait, vaga est, inconstans, incerta, varia, volubilis, & ideo quae fortuito cadunt, raro & insolent.

lenter fiunt, volunt Peripatetici non tantum in hominis voluntate, sed etiam in naturae cursu fortuitos atque inexpectatos casus euenire, quorum nulla certa causa reddi possit, & quandam etiam inter casum & fortunam esse differentiam statuunt; quam secundo physicorum pulcherrime Themistius explicat. Est enim casus fortuito antegressa causa rerum earum quae raro fiunt, & alicuius gratia differt in hoc a fortuna, quod casus in pluribus dicitur. quidquid enim fortuna facit, id etiam casus facere dicitur, sed haec ratio non vicissim retro com meat. non enim statim, quidquid casu fit, id etiam a fortuna fieri dici potest. fortuna enim & quidquid ab eo proficiscitur, tantum in eis rebus versatur, quae sunt eius naturae, vt fortunatae dici possint, & in quibus aliqua potest esse actio. Quare in eis tantum rebus, quae agi gerique possunt, fortunam versari, necesse est. sed quaecunque geri administrarique dicuntur, ea voluntate & consilio fiunt. quemadmodum in Ethicis declaratum est. ergo fortuna versatur in iis rebus, quae a consilio & voluntate proficiscuntur. huius autem rei signum illud perspicuum est, quod iidem fortunati dicuntur qui etiam felices. Felicitas autem omnis aut ipsa actio administratioque est: aut certe in actione administrationeque posita. In iis igitur rebus, ad quas non pertinet actio, nihil a fortuna fieri dici potest. Itaque neque in animam quidquam

quam neque bellua potest aliquid fortuito facere: quia voluntate & consilio caret. Unde neque fortunata neque infortunata proprie dici possunt, nisi per quandam translationem. ut Plutarchus dicebat, fortunatos esse lapides eos, ex quibus altaria fierent & similia, chra Deorum: quod a nobis colantur & venerentur. at contra eos infortunatos quos humi stratos conculcamus: possunt etiam in anima quandoque videri aliquid a fortuna fieri. ut ensis ille quo quidam inimicus Rationem Phraeum occidendi gratia percussit, & vomicae, quae a nullo medicorum sanari potuisset, ita rupit, ut hominem a pestifero morbo liberaret, fortunatus sane ensis appellari potest. casus vero non per translationem sed proprie ad inanima & ad expertes rationis animantes pertinet, ex. gr. si captus ab hostibus equus, eum ad fontem bibendi cupidus accessisset in Domini sui pristini manibus incidit: is casu liberatus dicitur. & si tripes ita ex alto loco decedat, ut ad sedendum opportune iaceat, id casu factum dicimus, quod si generaliter casum accipimus: poterit etiam de fortuna dici, sed contra fortuna nunquam proprie de casu, sed de his tantum, in quibus consilium & voluntas inest, dici solet. Erit igitur hac ratione casus tanquam genus, cui fortuna tanquam species subiecta sit, ut casus plura complectatur, fortuna pauciora. fatum vero non in vna tantum significatione

capitur apud Latinos modo enim pro morte ponitur: vnde fato concedere pro mori dicitur. nam ordo naturae poscit, vt, quaecunque nata sunt, moriantur. hanc igitur moriendi necessitatem fatum appellant. de qua Virgilius in Georgicis. sic omnia fati in peius ruere ac retro sublapsa referri. Macrobius ait l. c. 13. Som. Scip. animos certa quadam numerorum ratione corporibus coniungi. qui numeri dum supersunt: perseverare corpus animari, cum vero deficient, mox arcanam illam vim solui, qua societas ipsa constabat & hoc est, quod fatum & fatalia vitae tempora vocamus. de hoc fato siue morte naturali intelligit Virgilius quarto Aeneidos v. 697. cum Didonem ait non fato periisse:

Nam quia nec fato merita nec morte peribat
Sed misera ante diem subitoque accensa fu-
rore.

Virgilius saepe pro Dei voluntate fatum vsurpat vt in quarto.

Sed fati incerta feror si Iuppiter vnam
Esse velit Tyrijs urbem Troiaque profes-
tis. in primo

Tendimus in Latium. sedes vbi fata quietas
Ostendunt. in secundo

Et si fata Deum, si mens non laeva fuisset.
rursus

Cui fata parent, quem poscat Apollo, in tertio
Sic fata Deum Rex sortitur.

Interdum fortunam & fatum confundit.
 vt in octauo.

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.
 Videtur autem Virgilius ponere duo fata, nempe fata rerum & fata Deum. fata rerum sunt quaedam astrorum influxiones in corpora, quae inclinant quidem ad res agendas vel ad vitia vel ad virtutes, sed neminem cogere possunt. de quibus in Georgicis: & rerum fato prudentia maior. & alibi de sapiente. & inexorabile fatum subiecit pedibus. fatum Deorum nihil aliud est, quam ipsa Dei prouidentia quam nemo subterfugere potest. vt in quarto Aeneidos. vt si fata Iouis poscunt: & in octauo. fatis egere volentem. quin ipsa vocabuli notatio siue Etymologia videtur innuere fatum nihil aliud esse quam Dei prouidentiam. vt fatum id dicatur, quod ipse Iuppiter fatus est. Apud Graecos, teste Phaurina, tria vocabula sunt, quae idem significant. *εμαρμηνη, πεπρωμηνη, μοιρα*. quorum primum a verbo *μερομαι* deriuatur, quod diuidere & in partes distribuere significat, quasi sua fors vniciuique distributa sit, quam euitare nemo possit. Id enim verbum in praeterito Attico more *εμαρμαι* facit, vnde *εμαρμηνη* dicitur. *πεπρωμηνη* vero quasi *πεπρωταιμηνη* dici volunt, per Synopen. est autem *περατταμαι* idem quod definitio, termino, circumscribo. quasi fatum sit terminus quidam omnibus circumscriptus atque designatus: ad

K 2

quem

quem omnes peruenire necessitas cogat. *μοιρα* denique quasi *μοραν* a verbo *μειρω* deducit Phauorinus idem censet. est autem *μειρω* Graece idem quod Latine diuido & in partes distribuo. Itaque eadem ratione fatum *μοιρα* vocatur; qua etiam *ειμαρμωνη*, quod unusquisque sortem suam sibi distributam habeat, quam vitare non possit. quodsi ita est: verum erit id, quod Manilius Astrologus libro quarto sic ait:

Fata regunt orbem certa stant omnia lege
Longaque per certos signantur tempora
curfus.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Sed plurimum refert intelligere quid ipso fati vocabulo significetur. nam si fatum ipsum *διος υβη* hoc est Iouis mentem esse statuerimus, quemadmodum Hesiodus appellat & Proclus super eo carmine; *διος υβη* *δραστηρια* Stoicique consentiunt: talem habebit potentiam, ut eam subterfugere nemo possit. idem enim erit quod Theologi nostri, in malis hominibus praescientiam Dei, in bonis praedestinationem vocant. atque ita fato h. e. Dei mente fieri dicemus, ut alii sint *ευμειροι* i. e. boni fati, alii vero *κακομειροι* i. e. mali fati. quis enim contra Dei mentem niti potest? Si vero fatum pro morte capiamus, ut frequenter apud auctores reperitur: etiam hoc modo factorum necessitatem subire omnes oportet, & fati

fati concedere. Quod si fatum ita intellexerit
 sit; quemadmodum Platonici solent; ut sit
 ordo quidam & series causarum inevitabilis
 eadem sed in corporeis tantum rebus, & in
 universo mundo tam in coelo, quam in ele-
 mentis: allud erit hac in re sentiendum. ne-
 que enim hac ratione fatum poterit animum
 nostrum cogere aut per vim impellere. Nam
 in hac universitate totius mundi, tria potif-
 simum considerata esse statuunt, Mentem, na-
 turam, actiones. In quibus tria sint etiam,
 quae dominantur, Providentia, Fatum, For-
 tuna. atque ita ut providentia menti praesit,
 Fatum naturae, Fortuna actionibus. Quae-
 cunque enim supra corpoream naturam con-
 stituta sunt, ut Deus, intelligentiae, mentes
 hominum, in eis providentiam dominari vo-
 lunt: quae in corporea & aeterna & sibi con-
 similia regat. at vero in coelesti & rotundo
 cursu & in istis inferioribus corporibus tam
 simplicibus, quam compositis factorum re-
 gnum constituunt. quae naturam rerum suo
 arbitrio versent & moderentur. denique in
 actionibus praecipue hominum versari for-
 tunam existimant. quoniam omnium fere a-
 ctionum fines incerti sunt. & aliter quam
 homines opinentur, evenire possunt. quod
 ut supra docui, casus est atque fortunae. At-
 que ex hac distinctione facile soluitur haec
 tota quaestio. dicemus enim humanum genus
 & fortunae & fato & providentiae subiectum
 esse,

esse, sed ita vt fortuna tantum actionibus praesit, fatum corpori, prouidentia menti: quin etiam illa multo difficilior & magis ardua quaestio soluitur, an aliqua ratione possint homines fatum euitare, & liberam animi voluntatem arbitrio suo quocumque voluerint inclinare. cuius quaestionis explicatio vt facilior & clarior appareat: ita colligendum est, quem admodum animi nostri, qui rationis est particeps, Deus est procreator & rector: ita corporis genitor est & moderatoꝝ mundus. quo fit vt animus noster a Deo, tanquam a patre prouidentiae, legibus clementer & amice regatur. corpus autem tanquam huius mundi particula quaedam, violento quodam impetu, fati viribus trahatur. quare fatum in animum atque mentem nullam omnino potestatem habet, nisi quatenus ipse animus indulgendo corpori, fati legibus sese obnoxium praestiterit. atque hac de causa vere diuinus Plato praecipit in Phaedone, vt a corporis cura discedamus & res diuinas animo frequenter agitemus: quoniam non alia ratione mala vitare possimus. in eos enim qui se prudentiae atque iustitiae tradunt, fata nihil possunt. & haec sunt fata rerum, quibus prudentiam esse maiorem Virgilius affirmat. hinc est quod Iulius Firmicus ait. Stellarum esse, quod patimur & quod ad parum honestas res stimulamur: sed diuinitatis esse quod repugnamus. Deus enim & quaecumque diuina sunt nulli
fato

fato sunt obnoxia. Iam vero qui fortunam & fatum satis intellexerit: & quomodo inter se distinguantur agnouerit: is etiam sine vlla difficultate quid prouidentia diuina sit intelligit. est enim ratio sempiterna, quae procurat coelestia maxime; deinde in terris ea quae ad homines pertinent. neque enim audiendi sunt illi, qui nullam rerum humanarum curam agere Deum opinantur. qua in sententia Plinius fuit, & non nulli minuti Philosophi, sed Platoni Philosophorum Principi & Theologis nostris sine dubitatione vlla credendum est, qui statuunt, Deum omnia, quae ad salutem hominum pertinent, diligentissime procurare. satis igitur opinor te percepisse, quod a me quaerebas. Vale.

VIII. *Cur Virgilius Iunonem inducat pluuiam, grandines & tonitrua concitantem, & unde reuera fiant ea, quae Iunoni Virgilius attribuit.*

M. Anton. Maioragius Baptistae Cusano

S. P. D.

Quamuis ea petas a me, quae potius a Philosopho quam a Grammatico petenda essent: tamen, quia te plurimum amo; neque profus a Philosophia sum alienus: conabor tuae morem gerere voluntati. vis enim vt tibi explicem, cur in quarto Aeneidos Vir-

gilius Iunonem inducat pluuiam, grandines
& tonitrua concitatam. sic enim eo in libro
Iuno ipsa loquitur.

His ego migrantem commixta grandine
nimbum.

Desuper infusam & tonitru coelum omne
mouebo.

Et praeterea petis, vnde reuera putentur ea
fieri, quae Iunoni Virgilius attribuit. Ac pri-
ma quidem tuae quaestionis pars breuis & ex-
plicata est: altera vero paulo diffusior. fin-
git enim ideam Virgilius a Iunone pluuiam gran-
dines & tonitrua concitari, quoniam antiqui
Philosophi nihil aliud Iunonem quam aërem
esse voluerunt, quod secundo de natura Deo-
rum his verbis Cicero testatur, Aer, (vt
Stoici disputant) interiectus inter coelum &
mare Iunonis nomine consecratur, quae est
soror & coniux Iouis, quod & similitudo est
Aetheris & cum eo summa coniunctio. effe-
minarunt autem eum Iunonique tribuerunt,
quod nihil est eo mollius. non est autem du-
bium, quia pluuiæ, grandines, ros, pruina
caeteraque eius generis, quae a Philosophis
mixta imperfecta nominantur, in aëre fiant.
docet enim Aristoteles Meteororum prin-
cipales in partes aërem distribui. quarum su-
prema propter ignis vicinitatem calida sit et
que sicca, infima vero propter exhalationem
terrae calida & humida. media denique quo-
niam vtrinque frigus ad eam violenter im-
pel-

pellitur, frigida & humida. atque in hac aëris media regione nubes congregari, pluias gigni, tonitrua fieri. in suprema vero cometas, stellas cadentes & caeteras id genus flammatas impressiones generari. Hoc igitur est lutionis regnum, de quo Virgilius sentit. sunt autem haec omnia in aëre: quoniam ex ipsa terra, dum a sole calescit, duplex enascitur exhalatio. quarum altera humida atque calida est & *αἰμα* ab Aristotele dicitur, altera calida & sicca & appellatur *αἰρα* *ἀραιωτικῆς*. *αἰρῆς* nostri vaporum interpretantur, *αἰρα* *ἀραιωτικῆς* autem exhalationem. Itaque flammæ, quae in sublimi videntur, vt torres, stipulae, caprae, stellae cadentes, cometae, dolia, ceteraque huiusmodi ab exhalatione terrae calida & sicca proueniunt. quae quoties abrumpitur: fit *χάσμα* id est hiatus coeli: apparetque profunditas quaedam, quam *σάδος* appellant. pluuia vero & grando & nix, & pruina & ros a vapore calido & humido gignuntur, qui cum a sole fuerit elatus in sublime, & in aere medio constiterit: eius loci frigore condensatur & modo maiore, modo minore impetu descendit. nam si sereno die modicus aestatis tempore attollitur, neque adeo alte subuehitur, frigore nocturno superueniente in tenues stillas dissoluitur & hic est, quem nos rorem Graeci *δρόσιον* vocant. Idem vapor hiberno tempore, eodem modo sublatus, a noctis frigore congelatur, & a Graecis *πράξις*, a nostris pruina dicitur. itaque prui-

na nihil aliud est, quam ros congelatus. nam in hac regione nostra, vento austro spirante ros, borea vero pruina gignitur. quod contra ferunt in ponto contingere. Nix autem a vapore in nubem coacto fieri solet. dum hiberno tempore nubes impulsâ frigidis ventis agitatur, & quodammodo spumescit. donec tandem rupta nube in floccos abeat atque in terram descendat. frequentius autem in montanis regionibus ningit: quoniam ibi frigidiores & frequentiores venti spirant. ex hoc eodem terreno vapore grando seminarium habet, quae tum euenire solet, cum a sole terra califacta plurimum vaporis emiseric. quâ mediani aeris regionem petens, a calore vtriusque premitur. superne quidem ab ignis elemento inferne vero a radiorum solis reflexione. atque ita κατ' ἀντιπρῆξιν hoc est per contrarium ambitum in medio constringitur; & primo ipsius loci frigore, deinde etiam frigido vento, borea impellente, congelatur. hinc grandinum globi concrefcunt. & si ex vicina aeris regione veniant: maiores sunt & rotundiores, quam si ex remotiori loco descendant. ea vero de causa hieme grandines non fiunt, quod elatum vaporem eo tempore nequaquam vtriusque calor vrgeat. neque sane media aestate frequentes eueniunt grandines: quoniam tunc omnis ferè vapor, elatus a vehementi solis calore consumitur. quo fit, vt vere saepius atque autumno grandines generentur.

tur. tunc enim calidi atque humidi vaporis plurimum attollitur. atque ita solis calore terra tepescit ut *divinisque* facile possit irritare. quoties autem non fit ea vehemens frigoris reflexio: tunc cessant grandines & ex vapore coacta nubes in aquam tantum resoluitur, atque in pluuiam descendit. haec Aristotelica sunt. quibus fere consentit Plinius, cum ait, grandinem congelato imbri gigni. & niuem eodem humore mollius coacto; pruinam autem ex rore gelido. per hiemem niues cadere non grandines. ipsasque grandines interdum saepius quam noctu, & multo celerius resolui. quam niues. nebulas nec aestate nec maximo frigore existere. rores neque ardoribus neque ventis nec nisi serena nocte. putabant autem antiqui, grandines carminibus auerti posse. quod non vno in loco Plinius testatur. & Cato nobis quaedam incognita verba recitat, quibus auerti grandines posse putat. Coelius ait ab Atheniensi Cleone chalazophylacas id est grandinum observatores fuisse constitutos: qui, cum signum dedissent, affore grandinem: pro se quisque agnum aut pullum immolabat, cui pullus aut agnus deerat, is acuto stylo digitum porstringebat atque illo sanguine litabat. existimabant enim in ipso sanguine vim quandam inesse grandinis auertendae. sunt etiam qui putent, Deorum ira grandines enasci. sicuti fere Christiani. qua de causa supplicationibus eas auertere conantur. Brennus, Gallorum

rumissionem Bux, cum Delphicum fanum
 spoliare niteretur, ingenti derepente orta
 tempestate magna vi grandinum commixta
 cum vniuerso fere exercitu delatus est. quia
 etiam in sacris literis legimus, cum Debora
 praestantissima mulier, Hebraeorum impera-
 trix, contra Philistaeos pugnaret, subitam gran-
 dinum multitudinem e coelo delapsam Philis-
 taeorum ora concussisse atque eos in fugam
 conuertisse, cum interim nullus ex Hebraeis
 tempestatem illam sentiret. Annibal etiam
 cum romanam urbem expugnare contende-
 ret, ter a tempestate repulsus fuisse dicitur.
 sed de grandine satis multa, nunc videamus
 qua ratione Iuno dicat se tonitru coelum o-
 mne commoturam. sunt enim etiam tonitrua,
 & fulmina in aeris media regione sicuti pluuiae
 & grandines, sed alio modo. cum enim *ad or-
 gane*, i. e. exhalatio calida & sicca, sursum ela-
 ta, mediam aëris regionem attigerit: plerum-
 que fit, vt a vapore iam in nubem frigidam co-
 acto ex omni parte circumdetur atque in an-
 gustum locum constringatur. quare dum exitum
 aliquo modo quaerit, ita nubem eam quae
 inclusa est, exagitat, vt maximum fragorem
 emittat, qui tonitrus appellatur. Itaque nihil
 est tonitrus quam siccae atque igneae exhalationis
 cum nube eam circumdante conflictio
 atque collisio. quae tanto maior fieri solet,
 quanto nubes densior fuerit. in hac igitur ve-
 hementi concussione plerumque nubem in-
 flam-

flammatio proscindit & splendor ille apparet, quam fulgurationem appellamus. quod si flamma illa in nube concepta, violenter ad terram detruditur: fulmen & fulgetrum vocatur. Pli-nius ait. si nube lactetur flatus aut vapor: tonitrua edi. si erumpat ardens: fulmina. si longiore tractu nitatur: fulgetra. his findi nubem: illis perrumpi. & esse tonitrua impa-ctorum ignium plagas, ideoque protinus coruscare igneas nubium rimas. Sed qua de causa fit, vt fulgurationem prius videamus, quam tonitrum audiamus? quoniam longe celerior & acrior est in nobis videndi sensus quam audiendi. visus enim sine aeris motu formas ad spectabiles statim apprehendit, at vero sensus audiendi non nisi per motionem & impulsionem aeris ad aures peruenit. quod exemplo manifesto colligi potest. si quem enim procul securi ligna scindentem videa-mus: iterum manus ad feriendam prius at-tollet, quam a nobis plagae sonitus audiatur. hoc autem Lucretius affirmat in sexto per-quam eleganter his versibus:

Sed tonitrum fit vti post auribus accipia-mus

Fulgere quam cernant oculi. quia semper ad aures

Tardius adueniunt quam visum quae mo-ueant res.

Id licet hinc etiam cognoscere. caedere si quem

An-

Ancipiti videas ferro procūl : arboris au-
ctum

Ante fit vt cernas ictum quam plaga per au-
res,

Det sonitum. sic fulgorem quoque cerni-
mus ante

Quam tonitrum accipimus. Themistius po-
steriorum libro secundo tonitrum duplici de
causa scribit : & quod ignis in nubes con-
strictus necessario stridet, personatque & com-
minationis terrorisque gratia, vt improbis qui
in tartaro sunt, formidinem adferat. quemad-
modum Pythagorici sentiunt, putabant enim
Pythagorici, ea de causa potissimum tonitrum
fieri, vt scelestorum animae, quae apud inferos
perpetuo cruciantur, eo strepitu perterrefactae,
maiores etiam cruciatum haberent. ridenda
vero Democriti sententia, qui credidit homi-
num industria posse imbres & tonitrua concita-
ri. scribit enim Plinius Democritum affirmare,
si quis Chamaeleontis caput & guttur roboreis
lignis accendat : statim imbres & tonitrua fieri,
nec admodum dissimilis Thracum amentia fu-
it, qui minis perterrefacere posse tonitrua se pu-
tabant. quoties enim apud eos tonaret aut ful-
minaret : in coelum sagittas intendebant : ra-
ti tonitrum & Deum tonitrua mouentem, ei
Deo, quem ipsi colerent hostem esse. quod et-
iam nostro tempore non tantum rustici sed et-
iam plerique nobiles putant, a malis daemo-
nibus nubes cogi grandinosas & tonitrua mo-
ueri

neri, atque fulmina demitti. quod an verum sit, Theologi viderint. nos ex causis naturalibus haec omnia fieri putamus, eo modo quo docuimus. Vale!

VIII. Notatus error Seruii, cur canes sagaciter odorentur. cur odores nominibus propriis non distincti sunt. quot modis aliqua res in odora dicatur. unde odores ad nares veniant, quid odor sit. cur ex odore magnam homo voluptatem capiat.

M. Antonius Maioragius Bartholomaeo
Magio

S. P. D.

Magnum quaestionum examen epistola tua continet. quibus ordine, vt videris velle, respondebo. sed quoniam non admodum difficiles sunt: a me breuiter explicabuntur. Ac primo recte sentis, in errorem Seruium Grammaticum incidisse, qui putet odoratum id tantum dici quod non ex se odorem habet, atque emittit, sed aliunde odorem accipit. cum apud probatissimos auctores odoratum frequentius id significet quod odorem ex se habet & emittit, quam quod Seruius opinatur, quod aliunde odorem accipit. nisi forte Seruius Varronem, Virgilium, Tibullum, Plinium, caeterosque scriptores antiquos contemnit, apud quos odoratum id signi-

gnificat, quod ex se odorem emittit. Varro
 tertio de re rustica capite nono. Quidam ex
 tritico pane intrito in aquam, misto vino bo-
 no & odorato farciunt. Virgilius tertio Georg.
 Disce & odoratum stabulis incendere cedrum.
 Tibullus libro primo: Floret odoratis terrâ
 benigna rosâ. apud Plinium vero sexcentis
 locis in hac significatione reperitur. Odorus
 autem vox poetica est & idem fere quod odor
 ratus significat. Ouidius enim primo de ar-
 te amandi odoram arborem dixit. & nono
 Metamorphoseos florem odorum. Claudia-
 nus etiam sulphur odorum appellat. Quid
 de canibus petis, cur tam acriter odorentur:
 id accidere sapientes censent propter cerebri
 siccitatem. quanto enim cerebrum humidius
 est, tanto obtusior odoratum facit: quanto
 vero siccius tanto acriorem efficit odoratum.
 unde canes quia cerebrum habent paulo sic-
 cius quam reliquae animantes, ideo etiam sa-
 gacius odorantur. hinc factum est, ut qui
 diligenter aliquid inuestigant, canes venatici
 dicantur. Ita qui rem aliquam acute depre-
 hendit, is odorari dicitur. ut in Verrem libro
 quarto: mirandum in modum canes venati-
 cos diceret: ita odorabantur omnia & per-
 uestigabant. ita enim in cane sensus odoran-
 di praestat, sicut in Aquila sensus videndi,
 in serpentibus tangendi, in apris & anseribus
 audiendi, in hominibus gustandi. Aristote-
 les libro de anima secundo scribit odorandi
 sen-

sensum in hominibus hebetissimum esse. quo in loco Themistius asserit: plurima esse animalia, quae sagacius & exquisitius, quam homines olfaciant, ut ex terrestribus canes ex avibus vultures. dedit enim homini natura gustum exquisitum, quo lectissimis cibis uti posset, odoratum autem aërem, tanquam rem superuacaneam, non dedit. hac de causa factum est, ut odores ne nominibus quidem propriis distincti sint, sed a saporibus nomina mutuuntur. Itaque sicuti sapores alii dulces, alii amari dicuntur, ita etiam odores alios dulces alios amaros vocamus. eodem modo & austerus odor & pinguis & acer dici solet. quae omnia a gustu sumuntur. Tribus autem modis (quemadmodum Themistius docet) aliqua res inodora dici potest. vel quae natura nihil prorsus olet, vel quae tenuem & exilem odorem emittit, vel quae tam tetrum atque asperum odorem habet, ut tolerari minime possit. Ad nares vero vel per aërem vel per aquam odores veniunt. nam etiam aquatiles animantes odorari certum est, quamvis etiam non respirent. neque enim respiratio odorandi causa est: cum insecta omnia, quamvis non respirent, odores tamen sentiant. videmus enim ut apes ad florum odores e longinquo trahantur, & malis odoribus expellantur atque etiam interficiantur. Aristoteles in libro de sensu scribit: odorem esse naturam quandam sapidae siccitatis in humore.

L

re.

re. quo fit vt corpora simplicia sicut aqua, ignis, aër nullum odorem habeant. quoniam odor ex commixtione proficiscitur. Mare autem odoratum est: quia saporem & siccitatem continet. verum in arido praecipue constitutus est odor: quemadmodum sapor in humido. quocirca solent vnguenta calefacta longe odoratiora fieri. profunt autem maiorem in modum odores ad tuendam valetudinem & ad cerebri frigus & catarrhos temperandos ac reprimendos. quod in libro de sensu docet Aristoteles. sed qua de causa fieri dicemus, vt ex omnibus animantibus homines plurimam ex odoribus voluptatem capiant? hoc ex eo prouenire peritiores existimant, quoniam, Aristotele teste, maximum proportionè corporis, omnium animantium homo cerebrum habet; atque id frigidissimum & humidissimum. quo circa suavis odoris calor & siccitas ad cerebrum adscendens frigus eius & humorem temperat; atque ita miram illi iucunditatem adfert. fit autem odorandi sensus in nobis per spiritus attractionem: qua odores ad cerebrum scandunt. vnde consequitur in eo membro magna vtilitas & salubritas. in insectis autem, vt Philosophus existimat, apertus est odorandi sensus. itaque tametsi non respirent, nihilominus tamen odorantur. haftenus omnibus quaestionibus tuis de odore me satisfacisse puto, praeterquam vltimae. in qua scire vis an odor nobis praec-

praestare nutrimentum possit. quam quaestionem alias, a Ioanne Acrimboldo mihi propositam, explicui. Tu igitur ab eo qui tibi amicus est, & collega studiorum, epistolam pete. quam eum scio diligenter apud se habere, & tanquam pignus & monumentum amoris erga se mei conseruare. Vale.

X. Cur in montibus magna sit aquarum copia, cur amnes, lacus, fontes in montibus potissimum oriantur, cur Homerus a Ioue fluentes docet amnes & cur sacri dicantur.

M. Antonius Maioragius Ioanni Mariano
S. P. D.

Opportune sane tuae mihi literae perlatae fuerunt. ex quibus a me quaerebas: cur in montibus maior sit aquarum copia, hoc est plures lacus, amnes, fontes, quam in locis planioribus. Aderat enim Andreas Camutius, vir doctissimus & nullius philosophiae partis ignarus. qui cum me tuis literis subridentem vidisset: quid, inquit, noui est? effarine potes quid in eis literis scriptum sit? an res est eiusmodi, quam vulgare non oporteat? minime vero, inquam ego, sed ideo mihi subridere libet, quia discipuli mei frequentissime per literas quaestiones arduas mihi proponunt, tanquam alicui Philosopho: cum tamen intelligant me magis Rhetoricae, quam Philosophiae

phiae naturali studere. sed tamen hoc tempore commode accidit, quod tu praesens & qui facile pro tua singulari humanitate quaestionem hanc nobis aperies. tum ille cupidior audiendi factus, quaenam est, inquit, ista tam ardua quaestio? quaerit inquam a me Marianus meus, cur in montibus plures sint lacus, amnes, fontes quam in planis locis. quod non sine causa quaerere videtur: cum aqua deorsum naturaliter labi soleat, & planiora atque demissiora semper loca petere. videtur igitur esse contra naturam, ut in montibus altissimis aquae tam multae reperiantur. nam certe maximi quique amnes e montibus fluunt. ut enim a Pado siue Eridano potissimum incipiam, quem fluuiorum regem Virgilius appellat, an non e gremio Vesuli montis cellissimum in cacumen elati, quod ait Plinius, sinibus Ligurum Vagiennorum visendo fonte profluit? annon Aristoteles Meteororum primo tradit: e Paropamisio monte, omnium eorum altissimo, qui ad hybernium orientem vergunt, quam plurimos amnes defluere? ut Bactrum, Choaspem, Araxem, Tanaim? Indum quoque fluuiorum omnium maximum ex eodem monte descendere? nam ex Caucaſo, monte sane altissimo, cum alii multi, tum in primis memorandus ille Phasis delabatur. Quid? annon Danubium & Tartesum e iugis Pirenaeis labi tradit idem Aristoteles? quamuis aperte in Danubio decipiatur: qui non ex Pirenaeis
mon-

montibus, sed ex Arnoba, Germaniae monte, ex aduerso Taurici Galliae oppidi multis ultra alpes millibus passuum, ut testatur Plinius, defluit. Cornelius Tacitus montem illum non Arnobam sed Arbonam nominat. & Ptolemaeus Abnobam. Rhenus e summis Alpium iugis descendit. Nilus a cacumine montis defluit, qui Argyrus appellatur. sed quid opus est exempla commemorare? cum nullus sit paulo insignior fluuius, qui non ab aliquo monte descendat. Iam vero lacus & fontes in montibus frequentissimi sunt: ut etiam e saxis ipsis saepissime fontes erumpant. cuius rei causam a te, tanquam peritissimo Philosopho & naturae interprete, iam exspecto. Tum ille scio, te inquit haec non ignorare; verum quia libentissime de rebus huiusmodi loquor, in quibus assidue versatus sum; & te audiendi cupidum ostendis: dicam ea quae mihi sunt in promptu: causam igitur propositae quaestionis facilius intelligimus: si prius quomodo fluuii fontesque gignantur, aperuerimus. Sciendum ergo est, ex Aristotelis sententia, nunquam elementa conuiescere, sed perpetua quadam vicissitudine commutari, ut ex terra fiat aqua, ex aqua aër, ex aëre ignis & conuerso ordine, qui prius ignis erat, mox in aërem conuertatur, deinde in aquam ex aëre, postremo in terram ex aqua. quo fit ut perpetuus quidam fluxus & refluxus in elementis sit. quem Occaum Theologi veteres appel-

larunt, & rerum omnium parentem esse voluerunt. Vnde illud

Oceanumque patrem rerum, Nymphasque
forores,

sed ex aqua in aërem & contra ex aëre in aquam facillima est & perennis mutatio. ex terra enim atque aqua vapores perpetuo calore solis emergunt qui, primo in aërem quasi conuersi, mox frigore condensantur, atque iterum in aquam resoluuntur. sicuti igitur in sublimi vapor in nubem coactus pluias generat, ita spiritus aëris in specubus, & terrae cauernis compressus, in aquas eliquescit, quae demum tum propter pluias tum propter vapores calidos sursum tendentes in multitudinem congestae atque inundantes necessario profluunt. nam primo tenuibus admodum stillis ex terrae meatibus emanat aqua. deinde aliae tum aliis coeunt & tandem in fontes atque fluuios prorumpunt. quod ipsa re atque artificio quodam declaratur. nam qui volunt aquae ductus aliquo deriuare, in eminentiori loco terram suffodiunt, donec aquae venulas quasdam quasi terrae sudorem reperiunt. quae paulatim per locum depressiorem opera factum fluentes colliguntur & in fontem exeunt. Solet autem id vsu venire, vt quanto plures aliquis locus subterraneas cauernas habuerit, tanto maior in eis vaporis & aëris copia congregetur. atque ita plures etiam fontes & flumina scateant. quod in eminentissimis montibus

tibus accidit. in quibus occultae cauernae plurimae reperiuntur, & loca quasi spongiae quaedam, foraminum plena. in quibus cum ex vapore & aëre plurimum aquae genitum fuerit: mox vt erumpat in fontes necesse est. hac de causa fit, vt quemadmodum ait Aristoteles, rapidi fluminum cursus e montibus praecipitent. Ad quam rem alludens fortasse Virgilius in quarto sic ait: ruunt de montibus amnes. haec sunt quae Camutius noster ex tempore differuit: cum ei quaestionem nam proposuissem. ex quibus etiam haud difficulter intelligi potest cur Homerus *διουρων*, h. e. a Ioue fluentes amnes appellauerit. aërem enim & Graeci & Latini plerumque Iouem appellant. vt Horatius, manet sub Ioue frigido venator. ita etiam sub dio dicimus, i. e. sub aëre. nam Iouem Graeci *δια* vocant. quia etiam aër iam in pluuiam aut grandines conuersus Iuppiter appellatur. vt Virgilius.

Et iam maturis metuendus Iuppiter yuis.

Quoniam igitur amnes, vt antea dictum est, ex aëre cauernis inclusis generantur; & aër saepe Iuppiter nominatur: merito dicuntur amnes ab Homero a Ioue fluere. qua ratione Nymphas etiam Iouis filias idem Homerus rectissime vocat. nihil enim aliud Nymphae sunt, quam aquae & fontes qui ab aëre gignuntur. Sunt qui putent Nilum ideo *διουρων* vocatum, quoniam eius origo lateat, tanquam a coelo profluat. vnde Tibullus.

Nile pater quam possum te dicere caussa.

Aut quibus in locis oculuisse caput?

Proclus in Hesiodum scribit, veteres opinatos fuisse naturam omnem aquarum, quae quidem nutriendi atque augendi vim habet, sacram esse Diis illis quos *Ζωγῶνες* vocant. sed praecipue fluuios perennes diuinos existimasse, quod aeternam immortalemque Deorum naturam imitentur. vnde factum est, vt fluuiorum nomina Deis immiscerent. Hoc est quod ait Seneca. Magnorum fluminum capita venerantur. subita & ex abdito vasti annis eruptio aras habet, coluntur aquarum calentium fontes & stagna, quae vel immensa altitudo sacrauit. & Tacitus scribit; sacra & lucos & aras patriis omnibus dicari consueuisse. hinc etiam Horatianum illud: Nunc ad aquae lenae caput sacrae. Phurnutus de natura Deorum auctor est, amnes taurorum figura plerumque fingi solitos. hoc est *κρητὰς* vt ipse vocat, & *ῥοπακας*, a violento scilicet vndarum impetu, quae strepitum quendam ruentes, taurorum mugitui similem emittunt. magnus enim & horribilis aliquando fluuiorum impetus est, cum infano vortice de montibus altis ruentes, per omnes campos cum stabulis armenta ferunt, (vt ait poeta) sed haec in praesentia tibi sufficiant. Tu vero perge, quemadmodum coepisti, studiis optimarum artium operam nauare. nihil est enim in quo vel utilius, vel gloriosius iuuenilem istam aetatem tuam occupa-

cupare possis. & huiusmodi quaestiones frequenter mihi propone, quae & ingenium tuum exercere & eruditionem augere possint. Vale.

XI. Epistolam omne dicendi genus admittere, hoc est & sublime & temperatum & humile, quae verba dici debeant usitata. in epistolis licere graecis uti verbis. quinam Ciceronianus dici debeat? quaedam ex Demosthene carmina interpretata.

M. Antonius Maioragius. Hilarioni Corbitae

S. P. D.

Itane vero primis statim tuis ad me literis tam false mecum agis? & quem humanissimis atque amantissimis verbis afflictum consolari debeas, eum acutis salibus deridendum sumis? Sed facile patiar, tibi plurimum in me licere: si tam eruditas ad me literas quam saepissime miseris. Noli enim putare tua mihi epistola quicquam vnquam accidisse iucundius. in qua iocosus, vt ego quidem interpretor, verbis vtens, re ipsa me grauius accusas, cum leges epistolae transgressum esse dicas, quod in superioribus meis ad de literis paulo seuerius & grauius scripserim. Putas enim humile tantum dicendi genus epistolae conuenire: quoniam ad Paetum scribens Cicero dixit: epistolas quotidianis verbis texere solemus. Ego

L 5

ve.

vero sic existimo: genus hoc scribendi multo esse liberrimum, neque tam angustis circumscribi cancellis, ut non liceat & subtiliter & temperate & grauer, quoties res ipsa postulat, epistolam scribere. quod vel exemplo Ciceronis tui facile probare possumus, apud quem non tantum familiares epistolae sed etiam plurimae seuerae & graues inueniuntur. quod ipsemet Cicero ad Curionem scribens testatur, cum ait epistolarum multa esse genera. quorum primum illud est, ut certiores faciamus absentes: si quid est quod eos scire aut nostra aut ipsorum interfit, alterum familiare & iocosum, tertium denique seuerum & graue. Ecce quomodo Cicero ipse me quodammodo tueretur & sententiam tuam impugnat, qui cesses epistolam omni grauitate carere debere. Quod tantum abest a veritate, ut etiam aliquando, cum opus est, in epistola liceat tragicis verbis detonare. quod a clarissimis & optimis auctoribus saepe video fuisse factitatum. Quid enim, ut interim de reliquis sileam, illa tui Ciceronis ad Octauium epistola grauius? Quid illis exclamationibus magis tragicum? o meam calamitosam ac praecipitem senectutem! o turpem exacta dementique aetate canitiem! & quae sequuntur. Quid illis conformationibus & personarum fictionibus elatius aut sublimius fieri potest? Quem accipient de suis posteris nuncium illi veteris Africani, Maximi, Scipiones? & paulo superius. Quid illis

lis

lis, interrogantibus, quid agat nunc Respubl. respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam aeternam domum concesserit? Quid enim haec ab illis differunt? quibus nihil vehementius inueniri posse Quintilianus existimat, vos enim iam Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro atque testor! sed quid haec ego commemoro? singula paene verba illius epistolae, non in orationis contentionem sed etiam in Tragoediae seueritatem exire videntur. verum aliud est, inquis, de Reipubl. vastitate, aliud de priuatis rebus scribere? quid? in priuatis rebus nonne res graues plerumque accidunt? quamquam ego de vniuerso mortalium genere verba illa dixeram, quae tu tanquam grauiora vituperas. quo quid dici potest excellentius? nisi forte Tullio licere credis de Romana Reipubl. dicenti verbis vt grauissimis, mihi de toto genere mortalium verba facienti ne paulo quidem latius os aperire. sed scilicet faciendum quod vis. vtendum in epistola sermone quotidiano. num cum etiam res aliter postulare videbitur? an si tractandum sit in epistola de rebus diuinis, de bello, de pace, de administratione Reipubl. verbis vti quotidianis oportebit? quis non eum merito rideret, qui vellet Herculis statuam ornare veste puerili? qui minus ridicule facit is, qui res grauissimas infimo dicendi genere persequitur? Nullum igitur opinor dicendi genus alienum ab epistola. cum & hoc, quod
Graec.

Graeci *ιδεον* appellant, omnium grauissimum aliquando recipiat, vt iam demonstratum est; & auream illam atque aequabilem sequi mediocritatem plerumque soleat, interdum etiam humi reperere & plebeio vti sermone non recuset; ac tanquam riuius quidam, leui murmure perstrepens, limpidiſſimis aquis fluere videatur. Quare non mediocriter in mentem mihi venit admirari, cur quicquam alienum ab epistola censeas, quod aut bene latine aut non omnino male graece dictum sit. sed ais me verbis vti minus vsitatis, quae paucis cognita sint: & hoc tanquam vitium reprehendis. Ego autem cum ad te scribo, non ad imperitum hominem sed ad eruditum virum me scribere existimo, qui verba omnia, quae apud probatos auctores & Latinos & graecos inueniuntur, praeclare intelligat. scio enim admodum paucos esse, qui doctrina praediti sint, quibus solis in scribendo placere studeo: multitudinem autem imperitam hac in re nihili penitus facio. neque enim id verum est, quod aliqui mendose affirmant, ea solum verba vsitata dici posse, quae per ora vulgi ferantur, sed quae auctores, quos *ανωτατοι* Graeci vocant, hoc est inuolatae fidei, vsurpauerunt, ea omnia videri debent vsitata: etiam si paucis cognita sint. Nam, vt Quintiliano placet, consuetudo sermonis consensus est eruditorum. ne igitur ea verba dicas inusitata, quae ego a Cicerone & Caesare latinae linguae principibus accepi. Quod autem scribis me

nimis

nimis in epistola mea graecatum fuisse, sic enim tu loqueris, hoc est nimis multa verba Graeca inculcasse: id excusarem, si meum esset exemplum, ac non grauissimos viros huius rei auctores haberem. nunquamne ad Atticum Ciceronis epistolas legisti? nescis quam in eis multa Graece posita sint? sic etiam Plinius saepe scribit; sic quicumque bonus perlegitur. quod enim in orationibus & poematis vitium habetur, si graeca verba immisceantur, id in epistolis, modo apposite fiat, vehementer laudatur. illas autem accusationes, quibus ais nonnullos vti contra me: Ciceronianus non est, Tullianus non est: ego penitus nihili facio: cum praesertim nullum adhuc scriptorem inuenire potuerim, qui ex omni parte Ciceronianus esse videatur. mihi enim nequaquam ille videtur esse Ciceronianus, qui verba tantum & locutiones Ciceronis imitari contendit, id quod plerique faciunt, sed qui eas disciplinas atque illam eruditionem, qua cumulatus erat ille diuinus orator, assequi pro virili parte conatur, is mihi videtur aliquo modo Ciceronianus dici posse. quod cum pauci sint aut nulli qui praestare possint, nimium arrogantes illi sunt habendi, qui cum aliquas in promptu dictiones habeant, se meros esse Ciceronis germanos arbitrantur. Carmina, quae Demosthenes in extrema fere parte orationis pro Ctesiphone posuit, ut a me petisti, latina feci. sed existimo, te praecare in-

intelligere in hoc interpretationis genere nequaquam verbum verbo reddi posse aut debere. satis enim est, si bene sensus explicetur. sic igitur conuertit:

Hos amor induxit patriae noua praelia Mar-
tis

Sumere & hostilem dilaniare manum.

Cum timor & virtus pugnantes cogeret,
vna

Proiecere animas regna sub atra suas.

Graecorum id causa, ne subdere colla coacti

Seruitio, indignum conciperent facinus.

At patriae in gremio iam corpora functa la-
bore

Suscepit, quando hoc ab Ioue iudicium.

Omnia dirigere & nunquam peccare Deo-
rum est

In vita, at fatum nemo cauere potest.

Si quid est praeterea quod a me velis, non est, quod petere vel potius iubere dubites. nam me semper ad omnia vota tua paratissimum inuenies. Vale.

XII. *Quomodo a Grammatico atque a Philosopho distinguatur orator, & quid in eo oratorem, Rhetorem & Declamatorem intersit.*

M. Antonius Maioragius Iulio Sociago

S. P. D.

Acutè sane colligis, aut nullam, [aut perexiguam esse inter Grammaticum, Oratorem
rem

fem & Philosophum differentiam : cum hi tres artifices omnia fere singuli comprehendant, quae in cognitionem humanam cadere possunt. nam Grammaticus, qui latine literatus dicitur, Suetonio teste, paene infinitam vim & materiam, (vt primo de oratore testatur Cicero) scientia & cognitione comprehendit. vnde sunt qui Grammaticum a Grammatista distinguant, vt literatum a literatore. volunt enim Grammaticum absolute doctum in omnibus disciplinis significare, Grammatistam vero mediocriter eruditum. quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. huc accedit, quod veteres Grammatici etiam Rhetoricam docebant, atque a multis de vtraque arte hoc est Grammatica & Rhetorica commentarios fuisse scriptos inuenio. quin etiam quosdam e Grammaticis statim e ludo transisse in forum atque in numerum praestantissimorum patronorum receptos fuisse, legimus. Quid? quod ideo critici dicebantur a veteribus, quoniam sibi de omni genere scientiarum & scriptorum diiudicandi sumerent potestatem. notissimum etiam est, quantum Aristarchus, Didymus, Priscianus, innumerabilesque alii Grammatici, in omni doctrinae genere praestiterint. quin extant adhuc Ioannis Grammatici in multa Aristotelis opera doctissimi commentarii. vnde satis intelligi potest, Grammaticorum professionem omnium ingenuarum artium cognitionem sub se continere, neque sane

sane aliter Grammaticus quisquam optimos
 auctores aut Graecos aut Latinos bene inter-
 pretari poterit: nisi erit omnium magnarum
 artium scientiam affecutus. Quid Philosophus?
 nonne omnium diuinarum atque humana-
 rum rerum intelligentiam profitetur? nonne
 laudandarum artium omnium procreatrix,
 vt ait Cicero, & quasi parens est philosophia?
 nonne Philosophi professione sua omnia, quae-
 cunque sunt, vel scientiae peruestigatione vel
 differendi ratione comprehenderunt. Haec
 eadem omnia scire debet orator. nam Crassus
 tertio libro de oratore clamat, omnem pru-
 dentiae doctrinaeque possessionem oratoris
 esse propriam. & veteres illi doctores, aucto-
 resque dicendi nullum genus disputationis a
 se alienum putabant. ex quibus Hippias E-
 laeus, cum Olympiam venisset, maxima illa
 quinquennali celebritate ludorum, gloriatus
 est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse
 vlla in arte rerum omnium, quod ipse nesci-
 ret. & Leontinus Gorgias apud Platonem de
 omni re, quaecunque in disceptationem
 quaestionemque vocaretur, se copiosissime
 dicturum esse profitetur. isque princeps ex
 omnibus ausus est in conuentu poscere. qua
 de re quisque vellet audire. cui tantus ho-
 nor habitus est a Graecia soli, vt ex omnibus
 Delphis non inaurata statua sed aurea statue-
 retur. Cum igitur & Grammatici & Philo-
 sophi & Oratores omnia profiteri videantur:

quae-

quaeris a me quomodo inter se distinguan-
 tur, & qui fieri possit, vt orator a Grammatico
 & Philosopho separetur. quod certe facile
 fiet: si propositum seu scopum cuiusque con-
 sideremus. nam Grammaticus id vnum prae-
 ceteris sibi proponit, vt emendate pureque
 loquatur & scribat. Orator vero vt apte, di-
 stincte ornateque dicat & ad persuadendum
 accommodate. Philosophus denique non
 tantum verba quantum res ipsas sibi conside-
 randas esse statuit. itaque Grammaticus ver-
 borum significationem & consecutionem, O-
 rator sermonis elegantiam & compositionem,
 Philosophus rerum causas & vitae degendae
 rationem quaerit. quo fit vt Grammaticus
 excellens ferum omnium vocabula scire de-
 beat, & de rebus omnibus emendate loqui.
 Omn. vero laude cumulatus orator de omni
 re proposita probabiliter & copiose disputare.
 Philosophus res omnes occultas atque abditas
 intelligere & sine vlla culpa viuere. Quam
 distinctionem secundo Tusculanarum Cice-
 ro videtur posuisse. vbi sic ait. Vt enim, si
 Grammaticum se professus quispiam barbare
 loquatur, aut si absurde canat is, qui se velit
 haberi musicum hoc turpior sit, quod in eo
 ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic
 Philosophus in ratione vitae peccans, hoc
 turpior, quod in officio, cuius magister esse
 vult, labitur, artemque vitae professus, delin-
 quit in vita. Iam igitur oratorem a Gram-
 M mati-

matico & Philosopho distinctum habemus. sed dubitas praeterea, an idem sit Orator, Rhetor, & Declamator. nam haec tria vocabula videntur idem significare. siquidem orator aliquando etiam Rhetor dicitur. ut secundo de finibus Cicero. quasi vero perpetua oratio Rhetorum solum non etiam Philosophorum sit. Et Iuuenalis, cum de Cicerone, summo oratore loqueretur, ita dixit.

Si fortuna volet: fies de Rhetore Consul.

Si |volet haec eadem: |fies de Consule Rhetor.

Declamator autem dicitur Rhetor siue Orator: cum aut docendi aut exercendi sui causa fictas in scholis causas agit. sed tamen haec ita distingui commode solent, ut Rhetor sit is, qui artis oratoriae praecepta docet vel scribit. quales apud Graecos Hermogenes, apud Latinos Cornificius. hoc in genere qui diligentissimi fuerunt, ab eloquentia longissime (quod in octavi libri proaemio Quintilianus ait) abfuerunt: quoniam se, praeceptis illis cognitis, satis instructos ad eloquentiam arbitrabantur. Declamator est, qui fictas agit causas. qui nisi aliquando in solem & pulverem veniat, & in iudiciis, in concionibus, in senatu versetur: nunquam inter oratores numerari poterit. qualis Porcius Latro fuisse dicitur. Orator denique is est, qui veras agit causas, qualis fuit Hortensius, Cicero, Messala, Casselius Aulus, quem Horatius celebrat.

brat. hi communiter oratores dicuntur. sed re-
uera nullus vnquam perfectus orator extitit,
vt auctor est Cicero. quoniam perfectam ha-
bere eloquentiam, vt M. Antonius aiebat, vix
Deo concessum est. quod item de Gramma-
ticis & Philosophis sentiendum est: quorum
nemo fuit vnquam perfectus. nihil enim
simplici in genere omnibus ex partibus per-
fectum natura expoliuit. haec sunt, quae ex
tempore tuis literis respondere volui. si quid
erit aliud, quod a me velis, breui coram lice-
bit. istuc enim cogito. Vale.

F I N I S.

Olaus Rudbeckius Iohanni Heuelio

S. P. D.

Nisi nobis singularis tua probitas, partim
vbi, partim aliorum commendatione tam
rite perspecta esset: aliquanto sollicitius ad te
nunc, scriberemus, verbisque pluribus testare-
mur quam grati atque iucunde nobis fuerit
illa tuae erga nos voluntatis significatio, cum
operis multo eruditissimi a te, de cometae A.
1665. exorti phasibus conditi exemplar ad nos
transmittendum, & simul quid, quantumque
orbis literatus tibi debeat, etiam nobis offen-
dendum esse duceres. Huius generis benefi-
cium pari beneficio rependere, eorum tantum
erit, qui pari tecum doctrinae suppellectili gau-

M 2

deant,

deant; ab aliis vero, quorum in numero nos esse libenter profiteamur, remunerandi animum potius quam facultatem expectabis. Quod igitur & ipsi super argumento, sed a veteri studiorum nostrorum ratione, ut & a vitae nostrae genere nimis remoto, certis tamen de causis, quas ex libri nostri epistola nuncupatoria vberius intelliges, meditari aggressi sumus, tibi nunceo libentius mittimus, quo te omnia & solidius callere & aequius saniusque diiudicare nouimus. Vtinam modo digna tibi viderentur iudicii tui lima, utique posteritas omnino deprehenderet, te non vnis his temporibus nostris & recentibus, sed etiam prioribus illis illustrandis natum fuisse. Ante omnia vero ut in amore nostri constantissime permanes pergasque etiam atque etiam contendimus. Vale. Vpsaliae 1679. Mens. Aug.

Io. Petr. Titius Ioanni Heuelio

S. P. D.

Quanto mihi dolore sit summus tuus dolor, quem ex luctuosissimo casu, qui domum tuam, illam Vraniae arcem, vbiq; cultiorum gentium celebratissimam, tam subito, tam tristi incendio euertit, merito percipis, verbis exprimere nullis possum. Deus rerum humanarum summus arbiter, cuius paterna manus afflixit, afflictissimum erigat, soletur, recreet, bonoque publico conseruet. Non est

est haec calamitas tua priuata. Orbis eruditus vniuersus agnoscat suam. Reges ac Principes moerore prosequantur. Ego cum praesens lachrymarum te mearum (quibus vtinam crudeles ignes extinguere potuissim) spectatorem facere non audeam, illud in primis intelligere etiam atque etiam percipio, num opera illa, immortalitate dignissima, ex incomparabili atque inaeestimabili iactura euaferint, praecipue manuscripta. Vale vir summe, & sollicitudini meae ignosce, diuinaeque gratiae deuotissime commendatus viue omniū fortunae insultuum victor, & per ipsam immitium flammaram rabiem illustrior.

Freta Deo virtus tuta est. Incendia lucem

Ipsa viro & gazas, quas rapuere, dabunt. quod ad celeberrimum Bartholinum, ante annos non adeo multos, a me perscriptum in mentem nunc redit. Gedani. 1679. d. 28. Nov.

Ioannes Schefferus Nicol. Heinio, Daniel. filio

S. P. D.

Collegium Philosophicum Anglicanum multa bona proditurum nobis. habent enim & ingenium Angli & facultates alias, librorumque rariorem copiam: nec diligentia ipsis deest necessaria. Quaestiones clarissimo Heuelio propositas inspexi, atque de aliquibus, quae mihi nota sunt, nunc statim respondere

M 3

VO-

volui, vt promptitudinem nostram vobis fa-
 cerem testatam. Succinum picis fossilis
 esse genus censeo, cuius venae lateant in fun-
 do maris. Idem a natura sua constipari cen-
 seo, motuque maris eiici in litus. hactenus est
 creditum, non nasci nisi circa Borussiam, sed
 & hic in Suecia reperiri verissimum est, ad
 insulae Biorkoo nominatae litora, in Melero
 lacu, cuius aqua dulcis est. Vt pereat eorum
 sententia qui a falsugine maris censuerunt
 condensari. Sed & eorum stare nequit, qui
 ex arboribus crediderunt exsudare. quia nul-
 lo alio in loco huius lacus reperitur, cum ali-
 bi sint arbores similes etiam in maiori copia.
 Succini illius in Biorkoo reperti massa ele-
 gans, duorum digitorum lata & crassa penes
 me est. munere illius qui suis manibus cum
 particulis pluribus aliis in litore eius insulae
 collegit, affirmavitque ex pastoris Ecclesiae
 eius loci ore, vento fluctus ad litora pellente,
 eiici ibique passim reperiri. hirundines ma-
 gno impetu circa tempus autumnale, haud
 secus atque ranae faciunt, mergere se profun-
 do lacuum & fluviorum, tam est certum quam
 quod certissimum, affirmaverunt mihi pluri-
 mi qui viderunt, extractos cum piscibus res,
 quali hibernis temporibus sub glacie piscari
 his in regionibus consueverunt, caloreque
 ignis refotas reuiuiscencesque. Quaedam ani-
 malia hic albescere & hiberno tempore &
 aestiue recipere priorem colorem verissi-
 mum.

num. Vidi ipse habuque lepores circa hiemis
 verisque initium dimidia parte albos, dimidia
 sui coloris, media hieme non vidi nisi albos.
 Sed & vulpeculae hiberno tempore sunt al-
 bae, sciuri quoque suum mutant colorem, hi-
 bernoque tempore euadunt grisei, hoc est ni-
 gro alboque sparsi. Estque hoc genus pellium
 frequentissimo per Europam in usu: a pleris-
 que tamen ex sciuris sumi, ignoratur. Germa-
 ni mei Grawwerk appellant. Pisces ob gla-
 ciam non fractam enecari, saepius comper-
 tum. sed primum in piscinis solum vel an-
 gustioribus lacubus, deinde in lacubus tan-
 tum illis vbi fundus spissior. nam vbi rarior,
 non solent aequae facile. Denique qui pisces
 bene viuunt in limosa vel argillosa terra, illi
 quoque non perinde enecantur vt caeteri. Sed
 & in lacubus maioribus cum intensissimum
 est frigus, glacies rumpi solet: siue fluctuum
 impetu siue ob conclusos spiritus per agitatio-
 nem aquae, sursum elatos magnaue deinde
 vi erumpentes. Sane cum sic glacies per to-
 tam lacus latitudinem finditur vna ruptura,
 id fieri cum fragore ingenti consuevit: vel-
 ut aliqua tormenta explodantur, quod non
 semel audiui. quare pisces frigore enectos
 in lacubus eiusmodi maioribus haud temere
 inuenias. neque oleum neque acris muria salis
 communis vere congelatur in glaciem, saltim
 his in locis. Gelu terram penetrat ad duos
 cubitos, seu vlnas Suecicas, estque, quidquid

in ea continetur humidi aut succulenti, album, glaciei instar. aquas vero stantes amplius, & saepe ad tres vinas pluresque fluentes, minus. vbi flumen citato cursu labitur, ibi ne quidem congelari solet, quemadmodum nec fontes perpetuo manantes circa scaturiginem congelantur, imo hiberno tempore calidiores esse videntur quam aestiuo. habes breuem, vir nobilissime, responsionem ad nonnulla, ad caetera respondebo, cum ista ipse amplius explorauero futura hieme, si vitam Deus dederit: quodsi haec tanta videntur vt communicanda censeas cum clarissimo Heuelio, per me liberum erit. neque colere litterarium colloquium de his similibusue vel cum hoc vel cum Anglis detrectabo: si per me iuuari conatus suos posse arbitrabuntur. Vale & me amare perge. Scrib. Vpsal. 1666.

Erasmus Bartholinus Ioanni Heuelio.

S. P. D.

EX binis ad me datis literis varie affectus sum & laetitia & dolore. Primum quod volumen alterum machinae coelestis, obseruationesque Astronomicas, fructum laborum tuorum, in publicum emisseris, mihi que transmittere non dedignatus fueris. mox dolore non exiguo cruciabar, ex postremis ob maximum damnum, quod non tantum tua res priuata sed & publica persensit, ex luctuosissimo incendio, quo

quo cognoui aedes tuas totamque Astronomicam supellectilem conflagrasse. Non est quod silentium meum tam diutinum negligentiae vel ingratitude incuses. quippe gratissimum mihi fuit, sicut & omnes tuae lucubrationes, hoc volumen observationum, gratesque tibi eo nomine debeo maximas. Recepi haec tria exemplaria circa ultimum diem Iunii, quo tempore S. Maiestas Regia & Illustrissimus Dominus Cancellarius magnus profecti essent in Holsatiam. Cumque mihi ante reditum eorum in praedium meum Lindholm abeundum esset, nolui tam inanes tibi mittere epistolas, quae non te certum redderent de redditis exemplaribus observationum. Verum cum redeuntemprehendisset me tua epistola, quae tantam cladem mihi denunciabat, nolui diutius responsum differre, partim ut rescires, mihi tuas literas recte traditas, partim ne dolori tuo meoque aliquod solatium denegaretur. Quam acerba mihi videatur haec calamitas eorum, qui immortale aliquod & posteros semper cogitarunt, exemplis domesticis edoctus satis existimare potes. Nam ut taceam Tychonis Brahaei aliorumque infortunia, recenti memoria teneo fratris mei Thomae Bartholini, quem ante paucos annos tam maligna fortuna respexit, ut totam bibliothecam cum manuscriptis domoque uniuersa saeuis flammis absumserit, non sine ingenti Reipublicae laterariae damno. Est luctuosissimum genus

M 5

cla

cladis, quae non ex odio hominum nec studio videtur prouenisse. Nam in Brabaei obseruatorii instrumentorumque destructione magnum ex ipsa inuidia solatium fuit. etsi infanabilis vtriusque dolor sit, quod credamus potuisse diutius superesse. Adhibere tuo dolori solatia vellem, sed noua aliqua, sed magna, quae audiueris nunquam, quae legeris nunquam. sed quia animaduerto ex epistola tua, omnia tibi sponte succurrere neque tanto dolore superari: spero Deum ter optimum maximum quoque tuo affuturum voto. Ego quidem admoneri debui ut scirem, rogari non debui, ut facerem, quod mihi non facere turpissimum esset. Illustrissimum Dominum Cancellarium hanc curam sibi vindicaturum sperassem, etiamsi mihi non mandasses, qui nouit quam pulchrum & magna laude dignum sit gratia regis in his, quantumque auctoritate valeat, aliorum honoribus experiri. Ego quoque partem huius oneris mihi vindicabo precumque tuarum minister & adiutor damnun hoc meam publicamque calamitatem iudicabo. O diem tristem notandumque mihi infantissimo calculo! Te vero animo beatissimum sentio, quod etiam me incitante & rogante ante complures annos enixus sis pleraque in publicum emittere, & fortuna quae visa est semper rebus Astronomicis valde aduersa, quam paucissima, quae abolere posset, inueniret. Animaduerto equidem, quam mult

ta sine fructu posteritatis, abiisse, sed pleraque iam edita cum sint, vigeant, viuentque semper; & gaudeo tua gloria, qua lumen quod tibi maiores praetulerunt, posteris ipsis praetulisti. Neque mirum est, me satis absoluta existimare tua opera Astronomica, de quibus tanta diuersitate regionum discreta hominum iudicia consentiunt. Per multos annos libentissime otium meum in hisce studiis collocaui, quod nunc diuersis occupationibus impendere cogor: postquam me ante aliquot annos Accessoribus in supremo tribunali maiestas Regia annumerari voluit, quae ratio moderationem horum studiorum mihi imposuit. Quocirca cum materia maxima mihi sit luctus, scias me adeo indulgere dolori, vt nihil non tua causa efficere paratus sim. Vale. Hauniae 1679. d. 25. Oct.

Georg. Gaspar. Kirchmayerus Ioan.

Heuelio

S. P. D.

Quartus & vicesimus iam annus agitur, ex quo in Academia hac priuatim ac publice ingentia tua pro Astronomias incrementis merita famamque longe inelytam depraeditando constantissime hucusque fui, efficaciores stimulos expertus ab eo tempore, inprimis cum ante annos 19. vir summus, Ismael Bullialdus, ex Polonia Borussiaeque redux huc ad me inuiseret. Nec verbis opus est cum tot testes studio-

studiosos Academicos & inter eos praestantiores Gedanenses quoque habeam complures. Superiori anno per adiectum quendam D. D. Strausio vestro (quem virum dici equidem collegam, amicum bona fide nunquam habui) ad Te Domine rogavi transmittendas literas: quam commode curatae sint ignarus penitus, ni forsitan in via per contagionis nobis nesciae formidinem iniuriam sunt passae. Orabam instantissime, vt dignareris respondere ad has quaestiones, si placeret, breuiter. 1) vtrum solummodo ex globo hoc terraqueo an simul etiam superne venti oriantur & solariorum radiorum ope propagentur. 2) quaenam sint certiora vsitatis, haecenus ab Astrologorum vulgo solitis afferri signa, a coelestibus petenda, indicantia serenitatem, pluuiam, calorem, frigus, & inprimis ventos. 3) annon ex solis alterationibus propter maculas & faculas & paroxysmis eius aliis cum tempestatum tum ventorum maxime praefagia haberi possint, quemadmodum de luna alba, rubicunda, pallida 4) quae illa caussa proxima & adaequata quamobrem in Europa cultiori haec ab ortu venti tantum non semper frigus & serenitatem, ab austro autem aestum & humiditatem aduehant? cum in Asia, Africa &c. res aliter eueniat. Haec tum illa erant. Nunc dum nouissimum Phaenomenon cometae, peregrinum sidus, quod horrificante cauda satis diu luxit, nuper oculos mortalium & plurimorum animos exercuit impleuitque
admi-

admiratione, pace tua, Domine, fas licitumque mihi sit, iudicio plusquam humano (quoniam coelesti) exaratas ante biduum ad Illustriss. personam literas submittere & ad sequentia quaesita perrogare exactissimae cognitionis tuae de coelestibus sententiam. &c.

Gothofred. Guiljelm. Leibnitzius Ioan.
Heuelio

S. P. D.

SI cultum, quo te prosequor, apud te exposuerom, rem & parum tibi gratam fecero & cum omnibus communem. Faciam igitur quod non omnes. sistam nimirum aliquid iudicio tuo, quod ipsos Anglos, Gallos, Italos tanti facere constat, audacter utique. sed humanitas tua minuit temeritatem meam. Videbis hypothesein quandam paradoxam, breuem certe claramque omnium phaenomenorum causam repetentem, ipsius etiam directionis magneticae, a circulatione aetheris cum luce, quod haecenus supposuit, quod sciam, nemo. Magno me beneficio affeceris, si tuum, si Amplissimi Behmii, si aliorum amicorum iudicia vberissima significaueris, si aliorum egregiorum conatum participem me feceris. Si quid vicissim in his locis curandum mihi impones, summam promptitudinem senties. Vellem nosse quid sentias de vaticinatione Philosophica, quam dedit Henricus Bondinus si bene

ne memini, Anglus eruditus, qui declinationes magneticas futurorum annorum ex hypothesi sua praedixit. Cum iam elapsi sint aliquod anni, nosse opto an cogitatis responderit euentus. Petr. Grandamicus S.I. (vt habet in arte Magnetica edit. Romanae nouissimae P. Kircherus!) obseruauit in magnetetenella forma elaborato ipso polo suo suberi libratiili imposito sine omni declinatione meridianum quendam certum perpetuo obuerti meridiano loci. De quo quid vos iudicetis, resciscere valde desidero. Vellem de eius successu edoceri ad hypotheses meas magneticas perficiendas. Quemadmodum & quid de inclinatione acus Magneticae poli eleuationem, Gilberto & Kirchero referentibus, monstrante, sentiat. Vale Francof. 3. Mai. 1671.

Epistola Ioann. Georgii Graeuii

ad

REGEM GALLIARVM.

Christianissime & Augustissime Rex

Nisi liberalitatis ac inusitatae munificentiae laudibus aequae vt victoriarum ac rerum gestarum magnitudine non huius modo saeculi, sed omnis paene memoriae Reges esses supergressus, munifici congiarii, quo me cohonestasti, splendor magnam mihi mouisset admiratio-

tionem. Sed virtus tua diuina, fama per omnes gentes ad vltimas terras diffusa dudum effecit, vt quae in alijs regibus & principibus admiramur, in te non habeant admirationem. quem enim consentiens hominum fama supra fastigium virtutum & dignitatum euexit, non amplius admiramur, sed tanquam coelo missum heröem ad recreandum mortalium genus, colimus & veneramur. Id tamen miratus sum, me quoque, Rex sapientissime, dignum visum, quem ornares iudicio tuo, nullo meo merito sed honesta quadam opinione de meo, de bonis artibus merendi studio, quam excitarunt, qui Tibi me commendarunt. Sed Deorum benignitas grate est celebranda, non rimanda. Mihi dies nullus eo vno in viuendo laetior illuxit, nec posthaec illustrior exorietur, quam quo tantum tuae benignissimae voluntatis & effusae liberalitatis pignus in me contulisti. Est regum plane munus, sed non excelso & inuicto animo tuo, vnde manauit, maius, qui nunquam in agendo magnifice, quid illos in quos magnificus est, sed quid se deceat, spectat. Hinc celsissimus animus Tuus longe maioris faciendus, quam ipsum munus, licet sit maximum. Is enim in subleuandis liberalium artium studiosis & fouendis armis literis & ingenii laude claris viris ostendit, se effectum ad imaginem Dei, qui semper benigne facit omnibus. Augustus Imperator cum in aleae ludo

hudo fuisset liberalis & aliquot manus remisisset infeliciter iacentibus, scribit Tiberio, benignitas mea ad coelestem me gloriam efferet. Quanto certius tibi, maxime Regum, diuinitatis opinionem spondet incredibilis tua liberalitas, in illas artes collocata, quibus salus humani generis continetur. Non laboro, quibus verbis tibi gratias agam, pro tanto munere, cum, licet essem disertissimus, & fortunatissimus & omnes ingenii vires effunderem, nihil tamen reperirem, quo sperarem, me adsequi posse aut dicendo aut scribendo, quantum Tibi, Rex benignissime, me debere intelligo. Nec tu gratias expetis qui beneficiorum fructum in conscientia & voluptate recte faciendi & liberaliter, positum existimas. Vota quotidie pro Tua totiusque Regiae domus salute faciam, & contendam, ne tuum & illorum iudicium, qui tuam ingrati- am me posuerunt, fallam. Deus Te rex regum diutissime seruet saluum & incolumem. Fructi ad Rhenum d. 6. Nov. 1685.

Sacratissimae Maiestatis

deuotissimus & obfes

I. G. Graevius.

Epistola Graevii ad Electorem Palatinum:

Serenissime & Potentissime Elector,

Domine Clementissime,

CVM intelligerem aestate superiore, Te iter in Germaniam adornare: vota facie-

ciebam pro itū & reditu Tuo, vt sine offēfione hac defungereris profectioe. Nunc, vbi audiui votorum compotes nos factos eſſe, Teque cum tota ſereniſſima domo rediſſe ſaluū in auitas ditionis tuæ terras, incredibiliter lætatus ſum, ſuperisque gratias egi quas potui, cum noſtris precibus faciles præbuerunt aures. Tibi vero, Sereniſſime Princeps ac potius populis tibi ſubiectis gratulor de hoc auſpicato reditu, qui vt deſideratus & optatus accidit his, ad quos reuertiti: ſic perquam triftis fuit tuus diſceſſus Palatinis. Tua enim præſentia, tanquam ſalutaris ſideris ortu, cuncta refoventur & recreantur, vt quæ labefactata ſunt, ſtabiliantur, quæ lacerata ſarciantur, quæ bellica tempeſtate proſtrata iacebant, Tuo conſilio & ſapientia erigantur, & reuiuifcant. Vt vero te verum patriæ patrem eſſe cognoſcant omnes, vt ille pius pater dulcem omnem liberos ſuos: ſic tu in tuos populos caritatem partiris, vt tibi ſine diſcrimine ſalutem omnium eſſe curæ cordique, ſuſceptis pro eorum felicitate tantis curis & moleſtiis, videant. Hinc ii ſuas fortunas & ſuam vitam, quas tibi referunt acceptas, expenſas etiam ferre geſtiunt, Deumque venerantur pro tua, Domine Clementiſſime, ſalute & pro deſideratiſſimi hæredis prouentu, vt ſit, qui tua decora propaget & ciuim tuorum beatitatem, qua nunc fruuntur, extendat longiſſime. Huius felicitatis nec exteri ſunt expertes. Hinc &

N

ipſi

ipli pro tua felicitate vota nuncupant. Inter hos & ego, qui magna benevolentiae tuae habeo documenta, non vltimum mihi vindico locum Deum precibus assiduis flagito, vt floreat diutissime serenissima domus Palatina, vtque tua fortunentur consilia secundoque omnis vitae cursu vtaris, & quidquid gesseris susceperisque, ex sententia geratur. Huius rei deuotissimi Tibi, Elector potentissime, animi pignus mitto, duos vltimos tomos thesauri antiquitatum Romanarum, vndecimum nimirum & duodecimum, quos si exceperis tam serena fronte, qua priores excepisti, omnia quae magno hoc labore, quem istis lucubrationibus impendi, me consecuturum sperabam, consecutum esse laetabor. Vale Princeps Potentissime. Traiecti ad Rhen. 11. Dec. 1699.

Ad eundem Epistola Graeuii.

DE nulla re magis cogito magisque sollicitus sum, quam de ratione meam summam obseruantiam & venerationem tibi probandi omni genere obsequii & officii. Nam tuae Clementiae, qua mihi frui datum fuit, cum nuperius essem Dusseldorpii, memoria dies ac noctes obuersabatur animae & tanquam quotidiano me conuicio compellit, vt nullum praetermittam tempus, singularis meae in Te pietatis declarandae. Cuius testes ac praedes mitto Nicolai Hartsoekerii, magni

magni Philosophi & Mathematici, qui olim fuit collega sociorum Academiae Regiae Parisiensis Scientiarum, ut vocant, nunc vero degit Amsterodani, libros duos de Dioptrica & Physica, Est is, de quo coram egi. In Dioptrica ostendit, quomodo instrumentum sexcentos pedes longum possit confici, quo coelum claris & accuratis possit perspicere & peruestigari, quod etiam in tua arce se posse erigere, si eius altitudinem ante mensus fuerit. Sin forte non sit talis locorum situs & ratio Disseldorpii, & commode tale telescopium quinquaginta & sexaginta pedum, quorum subsidio lunae aliorumque planetarum & illorum satellitum motus & qualitas longe accuratius possit observari quam aliis rubis. Habet etiam microscopia, quae vix cedunt Lœuenhoekeniiis. Existimo sane, tam telescopia quam microscopia digna esse, quae a Te curiosissimo Principe videantur. Ipse perferet vero telescopia & microscopia & vitra ad magnum tubum sexcentorum pedum faciendum, si locorum situs permittat, & tu serenissime Princeps iusseris Hartsoekerum hoc iter suscipere. Posses is homo tuam Academiam Heidelbergensem egregie ornare, & ad multas alias res, imprimis metallicas vtilem tibi operam navare, ut olim regi Galliarum navavit. Quae sint vitima Lœuenhoekii scripta, quae in tua sunt bibliotheca, mihi per Bamerum aut meum generum se-

gnificare iussurum, spem coram mihi facie-
bas. Quod ubi intellexero, illico quae post
illa lucem adspexerunt, ad vos mittam. Vale
Serenissime Princeps. Deus Te Tuamque
Serenissimam domum seruet incolumem, &
florentem. Trai. ad Rhen. 15. April. 1700.

Illustriss. & Excellent. Carolo Sanctamauro,
Duci Montauserio.

S. P. D.

Ioh. Georg. Graevius.

Catullum & eius socios in hac vrbe pu-
blicos mea cura, Tibi Dux illustrissime,
Heufdii tradent, par fratrum nobile, qui co-
gnatione tangunt illum Heufdium, cui cura
vectigalium regionum sub Ludouico XIII.
fuit credita. Natus maior castra secutus egit
praefectum turmae sub Principe Aulionensi,
alter optimarum artium studiis in primis
Mathematicis & Philosophicis magno incu-
bit cum profectu & applausu. Hi dum
Galliam peragrant, nihil sibi ducent honori-
ficientius, in hoc itinere posse accidere, quam
si iis dabitur tuam dextram adorare. Hoc
iter enim susceperunt, non tam, vt vestras
perlustrent terras, & vrbes, quam vt viros,
virtute, dignitate ac doctrina illustres vide-
ant & cognoscant. Inter quos cum tu in pri-
mis emineas, quem non nobilitas magis &
altum istud, in quo positus es dignitatis fa-
sti-

stigma ac laus bello parata, quam summa virtus doctrinaeque elegantia illustrat, turpe putabunt, Galliam vidisse, & non illud vnicum Galliae principum decus vidisse. Nullus dubito, quin, qua es incredibili comitate, benigne sis eos admissurus, vt coram venerentur, quem olim colunt & suspiciant. Literas, quas ante paucos ad Te dedi, quibus gratias tibi egi pro splendidissimo munere tot egregiorum scriptorum tam belle habitorum recte spero curatas esse. Iamdudum ad vos puto perlatum esse Hugonis Grotii commentarium in S. S. denuo hic editum, & locorum ex Graecis Hebraicisque scriptoribus excerptorum versione ab ipso Grotio concinnata amplificatum. Sequentur caetera eius opera. Salmasianorum scriptorum editio friget, quia Diuionenses posthuma mittere grauantur. Hac hieme tamen bibliopola solas exercitationes Plinianas prelis subiiciet, si vel maxime totum tertium ineditum heredes cum eo detrectent communicare. Hanc tamen tam pulchram conditionem, si Salmasii manibus bene cupiunt, non deberent praetermittere. Sunt & qui de Gerhardi Vosii operibus componendis & iunctim in aliquot voluminibus proferendis in lucem agitant consilium. Urgeo propositum & in digerendis tomis operam offero. Nihil tamen ausim liquido promittere, antequam operi se accinxerint. Vale, Dux illustrissime, & mihi, Tibi

deuotissimo perge bene velle. Trai. ad Rhen.
 postridie Idus Octobr. 1679.

Excellentissimo Viro, Ezechiel Spanhemio

S. P. D.

Ioh. Georg. Graevius.

Ravi cum ex literis tuis, te molestissimi
 itineris taedio defunctum alienissimo
 tempore saluum & incolumem Antwerpiam
 venisse, cognoui. Eperarant enim me fune-
 stissimi de Heidelbergae excidio totiusque
 Palatinatus vastitate nateii. Nunc nihil mihi
 longius est, quam in tui generis officii
 elegantiae & cultiorum artium principem hic
 complodiar, tuseque, suavisimae, consuetu-
 dinis fructu plene recreer. Vnum congres-
 sum tuum diuinis epulis, & regum Satraparumque
 voluptatibus omnibus, longe ante-
 fero. Nisi me retineret vis quaedam maior;
 iam Antwerpiam tuam collum inualissem. De-
 siderium enim te videndi ferre non possum.
 Spero, iussa magni Principis, summa volupta-
 te, quam ex tuo conspectu & sermonibus me
 hausturum, iam animo praecipio, nos non
 esse defraudatura. Equidem si quid retar-
 dabit tuum aduenum, aut, quod omen despuo,
 auertet ab hac urbe, nihil me morabitur, quin
 excurram ad te, ubicunque te futurum esse
 intellexero, antequam ex nostris finibus no-
 bis elabaris. Inter omnes dies, qui mihi vn-
 quam

quam in vita laeti candidique fulserunt, hic mihi numerabitur laetissimus & candidissimus, quo desideratissimo tuo complexu nos beabis. Videbis sane hominem, qui te tuo merito superis aequat. Nam tu vnus ex reliquis aurei saeculi superes, qui ingenii diuina quadam praestantia & mirifica doctrinae reconditae copia rem literariam illustrabunt eiusque dignitatem augebant: extincto praesertim nuperius Isaaco Vossio vetustissimo eoque vltimo amicorum a me adolescente cultorum, quem ego nulli, qui nostra aetate laude floruerunt, eruditionis reconditae, postposui. Noli per musas & quidquid tibi carissimum est, nostra gaudia morari. Mentierium nullus vidi. Si ad nos venisset, quanti ponderis sint apud me tuae literae, vidisset. & si venturus est, posthaec videbit, nulum a me posse genus officii expectari, quod non illi promptum sit & paratum, qui a te mihi traditur & commendatur. Wehleri elegans iter per Graeciam & Asiam minorem, multis refertum inscriptionibus & humis Graecis, praesertim ex Anglica lingua conuersum in Gallicam, & non ita pridem publicatum Amstelredami, vidisti credo. Vellem emendatius prodiiisset. Apud nos videbis Salmasium de *ἑμνομοις ὄλης ἱατρικης* recens editum & dissertationes Petiti de anthropophagis & nepenthe. Hesychius & Pollux Valesio venient pergrati. Sed de his aliisque coram pluribus *ἔχειν* εὖ

ΦΙΛΙ ΗΛΙΣ. Si hae te deprehenderint Antwerpiae: vide quaeso, num possis rescire, ad quos Schedae Geuartii post fatalem totius illius domus ruinam peruenerint. Vidi ante hos viginti quinque annos, cum aliquot dies apud eruditissimum senem diuersarer, ponderosum commentarium in M. Antoninum *eis ta eis sautar*, animaduersiones in Manilium, & nonnullos Claudiani panegyricos, vt & in Tristani numismata. Doctissimo patri Papebrochio, si quando illum videris, salutem vt meo nomine dicas, rogo. Vale, vir incomparabilis. Traiecti d. 5. Martii 1689.

Viro illustrissima & summe reuerendo

Petro Dan. Huertio

S. P. D.

Ioan. Georg. Graeuus.

Verissimas tu causas indignandi habes, cum tanto interuallo nihil literarum ad te dedi. Non potest non illa tam longa cessatio vel obliuionis tuorum in me meritorum vel negligentiae suspicionem habere. Obliuionis crimine liberat me conscientia perpetui mei in te studii & obseruantiae, quae tam alte infixae est huic animo, vt facilius possim mei quam tui tuorumque beneficiorum obliuisci. Sed negligentiae reprehensionem qui possum auertere? Nullam fateor, causam inuenio, quam huic

huic culpae praetexam. Non tibi deesse, tam diu debebat officium ad quod obstrinxerat me dua proluxa voluntas: erga me, tuaeque plenae comitatis literae, quamuis illae serius mihi sint redditae, namque exaratas Calendis Aprilibus non ante Idus Iulias accepi. Praeter ea flagitabat a me quotidiano, quasi conuicio id officium, ille cultus, quo te praecipuum Europae decus ac senescentium studiorum praesidium et columen vnicum prosequor. Dum cunctor, dum diem de die duco, tantum temporis silentio transmissum est, ut mihi ipse inuisus, cessationem hanc saepius detestatus sim. Sed ipsa cunctatio longius cunctationem protraxit. Cum enim quaererem genus literarum, quo non me tibi purgarem, sed succensenti satisfacerem, quandocunque scriptione accingebar, & gravitate culpae, quam horrebam, & poenae quam meritus eram, retardabar. Ne nunc quidem video, qua ratione quibus me indui tricis expediar, nisi tua facilitas, ad quam tanquam ad aram confugio, haesitantem explicuerit. Hoc si a te impetro, leuabor magno curarum aestu. Poenam grauiorem a me repetere non potes, quam mihi ipse dedi, qui me diutino hoc silentio defraudati dulcissimo literarum tuarum alloquio, hoc est, maxima, quam ex illo capio, voluptate. Sic enim habeto, nihil gratius & optatius tuis epistolis mihi afferri. Equidem non ante mecum in gratiam redibo, quam te mecum rediisse in grati-

operam ecclesiae patriaeque nauare, si eam desiderant, quam in otio literario & inuestigatione rerum obscurarum consensescere. Dabitur tamen nonnunquam ab his prouinciae, tibi commissae muneribus intermissio quaedam, vt in Alnetanum tuum tanquam in portum quendam te recipere, non nihilque tibi otii sumere possis, quod tribuas iis literis, in quibus semper cum tanta laude & fructu es versatus. Cuius rei fidem nobis facit Euangelica demonstratio, quam castigatam, emendatam & auctam typis deuo mandari significasti; idque laetor ego incredibiliter. Nam huius exigui subsicii temporis tibi constare rationem ostendet, & nobis egregiarum rerum cognitionem hae accessiones promittunt. Vtu salutarium aquarum spero debilitatum crus tuum confirmatum esse vota, quo Commirii elegantissimae elegiae fuisse rata. Quem nunciam, vbi accipero, Christo sospitatori ~~et gratia suorum~~. In se literaria quid hic geratur, quaeres. Anthologia Graecorum poetarum a Grotio versorum Amsterodami publicabitur. Bigotius nuperius mihi significabat, in aduersariis tuis plurima haberi, quibus hi lusus praestantium ingeniorum illustrentur. Quod si tuo commodo poteris, etiam atque etiam te obtestor, ne illa nobis inuideas. Faxo vt accedant operi Grotiano, quod eadem forma, qua prodierunt, epistolae edetur. Duobus tomis Salmasianarum exercitationum in Plinium adiicietur tertius *αιουδοτος*, quem in dies expecta-

Spectamus Diuione. Gellius cum notis Ioh. Frid. Gronouii in priores nouem libros lucem vidit, caeterorum spem acerba eius mors praecidit. Iacobus Perizonius nouam Valerii M. editionem eruditis notis illustratam adornat, qui & nuper Sancti Mineruam luculentis animaduersionibus illustratam & castigatam publici iuris fecit. Cicero de officiis cum his qui solent subtexti libellis prela reliquit. Hoc volumen serenissimo Delphino, grati & memoris animi, pro honore, quem mihi Maximus Rex habuit, monumentum dicaui. Sed viam inuenio, qua perferatur ad vos, omnibus accessibus obsessis & clausis, meriti praecipue literariae. Constitui tamen per Bruxellenses aurigas fasciculum illustrissimo Duci Montauserio inscriptum Parisios mittere, sed nondum satis exploratum habeo, ad quem Lutetiae euerem, ne in via retineatur. Ludouic. Capell & Laroquii filias nuperius hic vidimus. Vtraque parentum postuma scripta, ille notas in sacras literas prisca federis, nunquam in publico visas, hic dissertationes, quibus dilucidentur obscuriora loca Historiae Ecclesiasticae nostris bibliopolis credit diuulganda. Origenem tuum denuo in lucem emissum olim credo vidisti, vt & Origenis libellum *περι θυξης*, in Anglia nuper ex tenebris in lucem protractum, quem multi nostrorum hominum nollent editum. alii credunt supposititium esse, qui nimirum damnant, quidquid illorum sententiis ad-

aduersatur. Amicus qui nuper Budam & Vindobonam perlustravit, scribit mihi se vidisse Budensem bibliothecam non magnae rei aut potius nullius pretii. Vera esse quae de illa narrat olim Lambecius. Sed Vindobonensem antiquis codicibus Graecis aliarumque linguarum esse refertam. Bergierii liber de viis Romanorum, quem tuae liberalitati acceptum fero, in Italia in latinam linguam est translatus cum incremento noui libri de viis antiquis Italicis. Incidi nuper in Euclidis inedita geometrica latine a Boëtio versa, in quibus peruulgata doctorum sententia de notis numerorum nostris, eas ab Arabibus ad nos peruenisse, redarguitur, quam & tu in demonstratione merito reiecisti. Excerpti quae in istis membranis leguntur, & huic epistolae adieci. nam forte tuo instituto possint seruire. Vale vir Maxime & me amari. Trai. postrid. Calend. Sept. 1687.

Iacobo Gronouio

S. P. D.

I. G. Graeuus.

AMicis Amsterodamensibus, quamuis nihil praetermiserint, quae ad animum relaxandum facere putabant, succenseo, cum me scissa penula retinuerunt diutius. Ibi enim dum desedi fructu defraudatus sum consuetudinis Tuae, cum ex Tubantibus reuerterer ad tuos lares per nostram urbem. Nihil enim mihi
tan-

tanti est, ut illa, si potiundi copia est, carere velim. Cum quo enim artius me coniunxit aut necessitudo paterna, cuius memoria mihi sanctissima est, aut maximum vinculum illarum artium, in quibus versamur, aut voluntas consociatissima? cum quo ausim omnes curas partiri securius, dolere quae me publice privatumque vrunt liberius, & ridere ineptias hominum hilarius? Denique regnare nolo, ut tecum non sim, si quando tecum esse possum. Doleo itaque, & ut vere dicam, non tam Amsterodamensibus, quam mihi irascor, qui me hac voluptate, quam ex fabulis & ambulatiunculis nostris cepissem privavi ipse. Hoc vere mihi meisque gratum fuit, vos coenulas nostras non contempsisse. Per quam prolixa fuit voluntas, qua cum contenti estis, spero si vivimus, nos saepius vos reuisuros. Vxor mea, quae dies aliquot pessime se habuit, excurret Lugdunum, cum utriusque fuerit commodum. Annon praestat, ut sustineat, donec eam repetendi per brumales ferias potestas fuerit? De icuncula Smetiana mira naras. Per tantas nebulas illum vidisse potius quam qui in ea considerata aciem oculorum maxime intenderunt! Adeo verum est *μνησα ἀπισταν*. Cupide pictam, ut tu vidiisti, videbo. Ex numis meis quos desideras, tui erunt. Melius tantam copiam ornabunt & cum maiore decore & fructu ibi conspicientur, quam in istis angustiis delitescant.

Da-

Danielem in expensi tabulas retulisse, quae tibi debebat, verum non est. Obuersatur memoriae aliquid de pacto, sed summa pecuniae, quae inter vos conuenit, ex illa effluxit. Si persistiterit, meos etiam forulos excutiam. Si non Elzeuiri, quod vix puto. nec enim & ego tales schedas custodio. tuas certe epistolas de hoc negotio inueniam. Vtrai.
Kal. Sept. 1687.

Petro Petito

S. P. D.

I. G. Graeuus.

Nepenthes tuum Homericum, Vir clarissime, mihi redditum est lectumque summa cum voluptate. non minori plausu excipitur ab eruditis hominibus quam caetera tui ingenii monumenta pulcherrima, quae ab omnibus quanti fiant, tu non ignoras, & editiones iteratae loquuntur. Quodsi & quae de anthropophagis commentatus es, ad nos miseris: curabimus vt quam primum lucem quoque adspiciant. Bibliopolae qui tua miscellanea prodidit, prela nunc occupantur. Simulac libera solutaque fuerint, quod breui fiet, illa subibit Nepenthes. Opuscula Meursiana cum Celfo Almeloueenii tibi spero esse reddita tandem post tantas moras. Breui, si per vestros publicanos licuerit, videbis Tullium

lium de officiis. Aretaei tui quae spes? utinam ultimam ei imponere manum in animum inducas! Typographum si Lutetiae non inueneris, hic tibi praestabimus. Vale vir praestantissime & me ama. Trai. Kal. Sept. 1687. Eximium Menagium ubi videris, saluere iubeto meo nomine.

Singularis Virtutis ac doctrinae Viro

Claudio Nicasio

S. P. D.

I. G. Graeuus.

NUllae mihi a te literae mittuntur, quae non magna me perfundunt voluptate. Nam & amoris & nouarum rerum plenae sunt. Docent, quidquid in nobilissimo theatro Parisiensi rerum geritur in optimarum artium studiis amplificandis, quo nihil ad me potest perferri gratius & acceptius. Meursiana opuscula tandem spero tibi reddita esse. Salmasium de homonymis hyles iatrices indies expectamus, ut & caetera eius posthuma cum vita magni viri, quam literis mandauit Lamarus. Nec nulla spes est Graecorum epigrammatum, ineditorum & annotationum Salmasii. Utinam ad nos quoque perferatur eius Pollux. De Voetio diu nihil audio. Valde me sollicitum habet eius valetudo. Beatissime hac cura leuaris. Mabillonii itinerarium hic indies expectatur.

ctatur. Simulac bibliopolis Amsterodamen-
sibus tradetur, iussi ad me perferri exem-
plum. Modicum, promissorum membrum
futurum nullus dubito. Ne obliuiscatur,
vellam ei aurem, vbi videro. Perizoni Va-
lerium Max. elegantissimis & eruditissimis an-
notationibus instructum breui prelis sibi dicit.
Mallet tamen plures vetustiores codices in-
spicere, quorum hic magna penuria. In Re-
gia & aliis vestris celeberrimis bibliothecis
nullus dubito, membranas huius auctoris
inueniri antiquissimas. Sed quis eas excu-
tiet? De religione Quietistarum, quos vocant,
nuper quoque disputationem Lipsiae publi-
catam accepi. Sed a vobis expectamus cer-
tiora. Amsterodami typis traditae sunt a fi-
lio parentis Ludouici Capelli annotationes in
plerosque libros sacrarum literarum aliaque
illius viri lucubrationes posthumae, vt & La-
roquii dissertationes, quibus illustrauit histo-
riam Ecclesiasticam. Capelli scripta non pro-
bantur plerisque nostris Theologis, forte nec
vestris. Nullus tamen dubito, quin multum
bonae frugis in illis simus reperturi. Baelius
confirmatur indies magis magisque, vt plane
conualescat, profectus est ad thermas Aquis-
granenses. Spero salutare ei futuras. Et si
valens coloratusque redierit, manus tamen
nunquam admovebit ephemeridibus erudi-
torum adornandis. Alius prodibit in hanc
scenam, qui nunc mimum hunc tam bene fie-

O

actu-

acturus, proximo mense licebit videre. Interim Iohann. Clericus Amsterodami non sine multorum applausu, bibliothecam vniuersalem, vt loquitur, quarto quoque mense publici iuris facit, quam vos credo vidisse. Burnetus Lactantii librum de persecutionibus martyrum Anglice vertit. Ex Anglica in Gallicam linguam conuersus fuit hisce diebus cum proemio longo & aculeato. Vale vir praestantissime & me ama. Trai. Kal. Sept. 1687.

Illustrissimos Viros, Menagium, Carlium, Spanhemium, Theuenotum, & si quos alios nosti nobis amicos, vt salutes peramanter, rogo. Rediitne saluus & incolumis ex aquis Burbonius Huetius? Ex Italia indies exspecto marmora erudita Sartorii Orfati, Patavii edita & literas virorum doctorum Cusae, Velferii, Siluestri, Aldobrandini aliorumque Putcoli editas. iterum vale.

Haec ante octiduum exararam, sed tabelarius elapsus mihi erat, dum interpellabar. Postridie tuae, quas pridie nonas Sept. Gregorianas scripseras, ad me perlatae sunt, cum us, quas ad Nodaeum & Perizonium dederas, quasque latinas ad te miserat. Nodaeus sibi debitas illico accepit. Credo Perizonium quoque suas habere. Nam vt recte curentur in Frisiam, prouidi. *Ευαγγελια* tibi debeo de manuscriptis Salmasii posthumis operibus. Sed quantum tibi debebunt, cultioris eruditionis studiosi, qui tantum laboris suscepisti in

insando & vrgendo, vt scripta illa Diuione la-
sentia pertrahantur ex tenebris in lucem pu-
blicam. Wittium ex Siciliae & Melitenfium
insula saluum ad vos redire volo. Varilafii
responsum ad Burnetum cupide videbo. Ro-
go vt virum excellentissimum meo nomine
salutos verbis amantissimis. Ex his literis non
potui intelligere, num tibi Meursii tres diatri-
bae fuerint traditae. Nam fasciculum a Da-
lenio Lutetiam missum eo peruenisse, accepi
ex Gallico, ad quem plura de his libris. Vale.
d. 7. Sept. 1687.

Excellenti ingenio & doctrina Viro

Ioanni Harduino.

S. P. D.

I. G. Graeuus.

Non solum valetudinem, sed corpus, co-
lorem & vires pristinas te recepisse, id
enim ex multorum literis intellexi, mirifice
gaudeo, Deumque veneror, vt diu te saluum
esse iubeat. Meursii dissertationes ad vos tam
fero peruenire, non mea culpa est sed vestro-
rum publicanorum, qui in finibus regni acces-
sus tam arctis munierint custodiis & tam studio-
se caueant, ne quid vetitorum librorum ad vos
deportetur, omnibus fere libris insontibus vi-
am praeculerunt. Hae sane dissertationes
Hagae sex septemue menses apud amicum deli-
tue-

tuerunt, qui frustra quaesivit, cuius fidei il-
 las credit, ut recte dicitur. Tandem Da-
 lenium reperit, qui promisit se prouidurum,
 ut Lutetiam perferantur cum fasce librorum,
 qui Regiae bibliothecae sint inferendi. Per-
 latus esse audio, sed non redditus omnibus,
 quibus erant destinatae. Tunum acceperis,
 quae tibi debebantur, ignoro. Nonnullos
 alios non accepisse sibi missas, Gallaeus narra-
 testatus, Capellum mihi ignotum in cuius ma-
 nibus sunt, partes sibi sumere donandi hos li-
 bros quibus velit. Tuum tibi traditum spero.
 Sin, Gallaeus operam dabit pro sua facultate
 ne hoc munusculo defrauderis. In aenigma-
 te nummi Maronitarum expediendo, nae tu
 Oedipus fuisti. Nihil verius, nihil certius,
 mea sententia. Non tibi tantum minerua de-
 beo pro exquiritis & ex interiore penu mu-
 sarum depromtis rebus, quas publice nos om-
 nes docuisti in Themistio, Plinio & illa vete-
 rum numismatum explicatione, sed & quae
 speciatim in hac epistola mihi praecepisti. Abs-
 que tua fuisset sagacitate, frustra in hoc extri-
 cando nodo non meum tantum, quod exi-
 guum est, sed aliorum, qui me longe sunt
 solertiores, ingenium defudasset. Tu cum
 nihil salebrarum, nihil obscuritatis offen-
 disti, id tuae debes perspicacitati, qui
 in obscurissimis videndis, ubi coecutiunt
 alii, tu es lynceus. Nihil do tuis auribus
 Blandus non sum. sic sentio, idque in omni ser-
 mone

none praec me fero, te in nummis illustrandis
 multaque aliis reconditis detegendis praeccla-
 rissime de re ritoraria meritum esse. Accepi
 ex amicis, te in operibus Studitae, nec non in
 grandi volumine de poenitentia veteris Eccle-
 siae elaborare. Nihil mihi longius erit, quam
 ut in publicum proferantur. Vale vir clarissime
 & me tui studiosissimum ama. Trai. d. 7. Sept.
 1689.

Excellentiff. Viro Theodoro Cranen

S. P. D.

I. G. Graevius.

Nihil tuis literis acceptius & optatius mihi
 potest offerri. Desiderium enim tui leuanti,
 cui ferendo vix sum, & suauitatum tuarum
 imaginem, quamuis illa semper obuersatur
 animo meo, sic referunt, ut videar mihi

Dextram iungere dextrae

Veras audire & reddere voces.

Licet vero epistolae tuae maxima me perfun-
 dant voluptate, malim tamen illa carere, quam
 ut istud scribendi officium te auocet a tuis oc-
 cupationibus, quibus distineris, cum pro vale-
 tudine maximi & optimi principis totiusque
 serenissimae domus dies noctesque, tanquam in
 specula positus, excubas, praesertim si non sit
 nouum aut te dignum scribendi argumentum.
 Modo audiam te valere, modo mihi sit explo-
 ratum, quod exploratissimum mihi est, te
 pristinam tuam erga me voluntatem memori-

O 3

amque

anque vetustissimae amicitiae nostrae confer-
 rare, non est vt de filiis laboras, aut ego de
 illa querat. Amicitiam non meritis crebritate
 literarum, sed mutuae benevolentiae stabilitate
 & constantia & animorum voluntatantum
 confociatione. Quod de me tibi promitto, &
 spondeo, si haec verba ferat necessitudinis,
 tam sancte a nobis tot annos cultae, religio.

Viro clariss. Theodoro Iansen ab Alme-
 loueen

S. P. D.

I. G. Graevius.

Dirum fulmen, quod tuam adhauc domum,
 nos sane sic quoque perculit, vt vix men-
 te concipere potuerimus. Hec quam flante
 sunt res nostrae, quam inanis spes, quam vana
 vota? siccine in ipso aetatis flore flos femina-
 rum tibi est ereptus? Siccine vita, quam fi-
 liae delicti, matri mortis causa fuit. Doleo sa-
 ne tuam vicem, misereor tuam solitudinem,
 orbitatem filioe deploro. Ista vt sit superstes
 & maternas virtutes referat, vt sit quod dolo-
 rem tuum leniat, Deam precor. Te spero
 sic dolere hunc tuum crudum dolorem, vt
 ab illa aequitate animi non recedas, quae decet
 Christianum & iis artibus imbutum, quae no-
 bis inculcant quotidie, omnia quae tenemus,
 ipsamque vitam nostrorum nobis non manci-
 pio datam esse a Rectore illo vniuersi, sed vsui,
 ad

ad illud tempus, quo illi libet sua munera re-
petere: nobis nihil nisi obsequii gloriam reli-
quam factam esse. Quam quo magis ei pro-
baremus, tanto mitiorem esse molestiam, quam
ex aduersis non ferendam euperemus. Illud
ipsum nomen, cum modestia verba vix admit-
sit tam recens dolor, veneror, ut se confir-
met, & valius, quod infixit, sanet. Vale, Vir
doctissime & cum maxime cura valetudinem
animi & corporis. Trai. 14. Nou. 1689.

Guienus noster, qui vnus in hac vrbe grae-
tas literas callebat, diem quoque suum obiit.
Praeterito die lunae illum extulimus. Tho-
masius vero Wittebergae in cathedra philo-
sophica causis rerum naturalium explicat.

Viro nobiliff. & ampliff. (d'Heer Peters,
requeftmeester van de Koning van
Englandt)

S. P. D.

Io. Ge. Graevius.

Diploma potentissimi Regis Britanniarum
Wilhelmi, quo beneficium contulit in fi-
lium natu maximum, tibi in primis acceptum
referimus. Singulare tuum studium in me
prolixaque voluntas multis documentis mihi
dudum ante fuit spectata, quam hoc nouo ar-
gumento denuo mihi testatam esse voluisti.
Gratias quas tibi debeam, facile video. Sed

vitiam quam tibi debitor me fatens, aliquan-
do referet gratiam. Habeto qui-
dem certo pro meo fortis facultate quam
petero, nec unquam committam, quod tibi
persualissimum esse velim, ut te tui poenitet
beneficii, seti cultu, obsequio, studiis & offi-
ciis, erga te tuosque quales facile tibi proba-
bo, nec apud hominem gratiorem nec vestri
amantiorem & observantiorum potuisse hoc
munus collocari... Pro tua quoque tuaque
familiae salute vota nuncupabimus, quotidie,
ut iamdudum facimus. Num Regi, etiam
gratiae sint agenda, literis, si quando scripse-
ris ad filium, rogo ut verbo mihi per eum si-
gnifices. Vale Vir nobilissime & mihi favere
perge. Trai. postrid. Kal. Febr. 1690.

Nobiliss. & Ampliss. Viro, Gisberto Cupero

S. b. p. p.

I. G. Graevius.

NOstrum amicum non desistimus monere
liberius, imo quotidiano paene conuicio
urgere, ut nimiae cunctationis reprehensi-
onem fugiat, ut tandem ultimam suis annotati-
onibus manum imponat. Nec sane nihil profe-
cimus. Fidem enim nobis dedit, se singulis
hebdomadibus in tot Lactantii capita notas
suas elucubraturum & amplissimo Voetio tra-
diturum, quibus possit folium typis confi-
gnari. Stat promissis. Satis grandis fasci-
culus

capus annotationum est iam ut nuperus Voc-
 ab: Sed iam non fallit Typographus, qui
 totus est in accelerando Suetonio cum schola-
 sticis Pitisci notis, ut ante vertat illum, quem
 cum Casauboni & Torrenii commentario me-
 isque observationibus, quas subinde novis ac-
 cessionibus augeo, demum prelis subiecerunt.
 Ad eas amplificandas si quid & ipse confer-
 re volueris, cogitose certissimum tuorum
 meritorum praerogativa. Rogo quoque, ut
 Epistolam Norisi contra Pagium in vnius al-
 teriusve dici usum mecum demum commu-
 nicare digneris, quae in illa legi olim non
 excerpti. Gaudéo & tuam bibliothecam &
 tuas fauillas suppellectile operis antiqui exor-
 nari in dies magis magisque. In numisma-
 ta Constantinopolitana non tantum siquisse
 temporis iniuriam, quantum in Africana spero.
 Orbis aereus quid sibi velit, aucto rescire, cum
 ad te fuerit perlatis. Meos farulos ditavit
 quoque nuperus amicus tribus manuscrip-
 tis Graecis. Vnum complectitur epistolam
 prolixiorē ineditam ad Porphy-
 rium, in qua quaedam explicat dubia de my-
 steriis Aegyptiorum. Alter epitomen histor.
 Eccles. Philostorgii: tertius varias Graeco-
 rum epistolas. In Ignatii pulcherrimo loco
 vera te vidisse, puto, nisi quod pro Φιλανθη
 legendum Φιλόλον. sic enim suadet consue-
 tudo Graece scribentium ut Φιλλαν, Φιλα-
 Δων. Aliter se res habet, cum in com-

politica & politica. Scilicet non solum, ut
 & c. & multa alia. Lactantius in
 si fuit unquam in his inscriptio

D. M.

Herodotus Her-

mibus Rebus

Rarissime Coniugi

Aemilii Frontonis Maritus

& Pompeius Lepidus filius

Narrat quoque Menagii origines linguae Gal-
 licae denuo editas duas volumine altero &
 tertio posthimo eiusdem argumenti Casae
 nouae tria quoque volumina Gallice prodi-
 turae de vitis Romanorum Imperatorum, Au-
 ctore Tillemontio. Blacchini quoque prope-
 diem publicaturam iam curatum volumen
 de monetis Gallis. Ex Britannia scribunt
 amici, observationes Episcopi Asaphensis in
 hist. Eccles. & Chronol. sub prelis Oxoniensibus
 iam sudare. Prodiisse ibi dissertationes
 Dodwelli in Itinacum, quas etiam vidi plenas
παράδοξων, ut & Gerardi Vossii & doctorum
 virorum ad eum epistolas. Haec bibliotheca
 licitatos esse Oxonienses tribus millibus
 librarum Britannicarum. In Gallia Emericus
 Bigotius, in Germania Marquardus Gudius obi-
 erunt, summi & sane quam vetusti mei amici
 magno meo dolore. Deum precor, ut te diu
 superstitem esse velit, decus Reip. & optima-
 rum artium. Trui. d. 25. Febr. 1699.

Viro

Viro summe Reuerendo & virtute doctri-
naque praestanti Ioh. Ciampino

S. P. D.

L. G. Graevius.

ERuditionem tuam dudum suspexi, quam &
ex praeclaris ingenii tui monumentis,
quorum nonnulla inspiciendi copiam mihi
fecerunt amici, & ex multorum, qui te Romae
viderunt & audierunt, praesertim ex viri sin-
gularis Ioh. de Witt praeconiis perspexeram.
Sed nunc & tam mirificam humanitatem ad-
miror, qui mihi homini nullis tibi meritis co-
gnito pulcherrima illa musiva doctissimis ob-
servationibus a te illustrata & de abbreviatio-
nibus dissertationem historicam dono misisti,
& ubi istos libros enotui, doctrinam tuam lon-
ge maioris aestimo, quam antea, cum primis
tantum quasi labris eam degustassem. Rem
sane literariam & me tibi mirifice deuinxisti.
Vtriusque nomine cum tibi debeo, tum gra-
tias cum maxime ageo, cum referre nullas ad-
huc possum, quamuis pudore suffundar, cum
mihi inanium tantum verborum munere de-
fungi licet. Omne tamen studium & officium,
quo gratum & memorem animum tibi que
deuotissimum probare potero, semper tibi a
me primum & paratum erit. magno non
ego solum sed omnes viri docti, qui apud me
viderunt opera tua, in primis monumenta ve-
tera, licet ea vix oculis delibarint, caeterorum

tomo-

ramorum, quos in hac adornas, argumento
 desiderio flagrant. Eandem quoque ista pri-
 ma pars, quae lucem adspexit, hic a multis eme-
 retur si in tabernis nostris veniret. Praeter
 me nemo eam possidet in his terris. Est Am-
 stelodami bibliopola non indoctus, vir specta-
 tae fidei, Henricus Wetsteenius, qui, cum mul-
 tos alios libros tum nuperius splendidissime &
 sumtuosissime Diogenem Laertium cum omni-
 um doctorum observationibus Graeco & La-
 tine edidit, ut nihil elegantius a longo tempo-
 re hic in oris prodierit, qui non pauca, quae
 huius & aliorum tuorum, quae publicasti, ope-
 rum exemplaria vellet emere, siquam rationem
 posset iure tecum commercium exercendi.
 Si id tibi non displicere intellexero, plu-
 ribus & ipse & Wetsteenius tecum de hac ne-
 gotiatione aget in posterum, qui has tibi feret
 literas Wolf. de Scheplitz, antiquae & prima-
 riae nobilitatis iuuenis est ex Saxonia: qui se-
 quitur Italiam cum erudito comite Ioan. Frid.
 Bergero, ut in cultissimagine & omnis elegan-
 tiae officina magis magisque animum expoliat.
 Si utrumque pro illa tua cunctis laudata hu-
 manitate comitem exceperis, existimabo non
 me beneficio a te ornatum esse. meorum offi-
 ciorum si quae poterunt a me expectari, ratio
 semper vicissim tibi constabit. Trai. 25. Sept.
 :1692.

Viro

Viro singulari doctrina virtuteque, Antonio Magliabecchi

S. P. D.

I. G. Graevus.

Tantum quod manus adinoveram his literis ad te dandis, quas testes perpetui mei in te studii & obseruantiae perlaturus est generosissimus Iuuenis Wolf. de Scheplitz, homo Saxo, eiusque doctissimus comes Bergerus, cuius meus, qui sunt accincti itineri italico, cum tuae mihi traduntur a Sueco, quas 15 Februaras. mirifica quadam me illae perfuderunt voluptate, vt nihil mihi reddi potuerit gratius & optatius, quamuis perquam sero mihi fuerint redditae, vt vides, cum Sueci tui descenderint in Gallias. Nam cum ego te semper feram in oculis, cum nihil in omni sermone libentius vsurpem, quam debitas tuae humanitati, elegantiae, meritis in omne literarum genus, laudes: nihil audio maiori cum gaudio, quam cum aliquid adfertur mihi de te, de tua valetudine rebusque tuis omnibus. multi sunt vbique gentium, qui tuas virtutes suspiciunt & admirantur. Sed caue credas, quemquam esse, licet vel necessitudine vel annorum vsu tibi sit coniunctissimus, a quo mihi in te colendo & amando patiar primas praeripi. Itaque, pro tua incolumitate, semper vota nuncupo, praecipue hac tempestate, qua omnes fere veteres amici, quos olim mihi deuinxerat communium stu-

ludiorum societas, occiderunt. In Gallia
 solus superest Abrincensis Episcopus Fluetius,
 extincto nuper Menagio ex tanta multitudine,
 cum quo mihi a longo tempore intercescit ami-
 citia. Quid aliud hi denunciant, quam mihi,
 qui cis quatuor menses sexagesimum annum
 attingam. Si tum fuero superites, sarcinulas esse
 colligendas, & viam istam quam illi sunt mes-
 si, serius ocius calcandam? Interea quamdiu hac
 luce fruor, tua fruor suavissima memoria. in
 illa proeuctiore aetate est quod Deo immorta-
 li gratias agam, quod & corpus & animus ad-
 huc vigeant, quodque in istis doctrinis, qui-
 bus semper deditus fui, non minore cum vo-
 luptate & industria verfer, quam vnquam an-
 tea cum genua virerent. Orationes Cicero-
 nis, in quibus perpoliendis multum temporis
 posui, iam exercent Amstelodamensium prae-
 nostra vero huius vrbis Thesaurus Antiquita-
 tum, de quo tecum olim egi. Memini te olim
 mihi significare, non paucos, praecipue ve-
 strae gentis in isto indice, quem Tibi per ami-
 cum miseram, esse praeteritos. Si de illis me
 certiore facere volueris: magnus accedat
 cumulus tot tantisque tuis erga me meritis,
 operam enim dabo vt eorum potiar. Filii mei,
 quem in ipso iuuentutis flore superiore anno fa-
 ta mihi acerba eripuerunt, Callimachus pro-
 cedit, sed lento pede, cum bibliopolae malint
 occupari in friuolis, sed quae cupide diripi-
 untur a stultis lectoribus, quam in iis quibus
 capi-

capuntur eruditi homines, cum tam rari nati
res sint in gurgite vasto. De re literaria, quae
tibi ex his oris narrem, perpauca sunt. Dio-
genes Laertius pulcherrime & emendatissime
publicatus est, cum omnium quae in illum edi-
tae sunt antehac annotationibus, & Menagii
quidem multis accessionibus locupletatus. Ni-
hil splendidius a multis annis in Batavia lucem
adpexit. Dudum vos vidisse credo mappam
Geographicam viri amplissimi, Nicol. Witsemii,
consulis Amstelodamensis, qua Tartariam Asia-
ticam, adhuc incognitam nobis aperuit brevis
videbitis etiam descriptionem, qua haec map-
pa illustrabitur. Callimacho filii accedet mul-
ta doctrina refertus isque vberimus com-
mentarius Ezechielis Spanhemii. Lactantius
de mortibus persecutorum post tantam pro-
crastinationem cum omnium notis tandem
prela nostratium relinquet in paucis diebus,
quibus etiam nonnullae meae sunt obseruatio-
nes adpersae. qui simulac fuerit diuulgatus,
ad te, ubi prima dabitur occasio recte illum
curandi, mittetur, vt & Orationes Ciceronis
Tomus I. Thesauri antiquitatum, Libros
de officiis ante complures annos tibi misi. sed
dubito, num illae ad te peruenerint Rogavi no-
bilissimum Scheplizium, vt illas secum ferat.
quem vt complectaris, quae es comitate, non est
vt a te petam, qui nulla re magis laetaris quam
omnibus commodandi voluptate. Dignissi-
mus sane est cum suo comite, quem comple-
ctaris.

etatis. Vale vir summe & me amice. Trid. 1. Sept.
1692.

Ornatissimo Viro Ewaldio Hulseo

S. P. D.

I. G. Graevius.

Iam pridem nihil de te audio, cum tamen
tui tuarumque rerum, pro meo in Testu-
dio, sim cupidissimus. Vehementer aucto-
scire, quid fiat illa tua, quae mirifice mihi pla-
cuit epistola. quid nunc mediteris, & quo in-
studiorum genere verferis? Non potes enim
in tanto otio esse otiosus. Praeter haec aliud est
quod nunc te velim. Paucos ante dies literas
habui a nobilissimo Huetio, quibus inter alia
mihi significat, se cum a te petiisset, ut ei signi-
ficares, quid de demonstratione Evangelica
hic sentiant homines, ex te intellexisse, Sna-
belium tibi in familiari sermone aliquando si-
gnificasse, quid Simonius Parisiis de me iacta-
rit, nimirum Batauos fuisse, qui ei dixerint me
Huetium vocasse fabricantis doctrinae osten-
torem. Non aegre fero, te haec scripsisse Hu-
etio, si modo adiecisses quae procul dubio quo-
que audiuisti ex Snabelio, me hoc mendacium
& petulantissimam calumniam, cum de illa ad
me scripsisset prid. Kal. April. anni 80 Lute-
tiae retudisse, & offendisse nunquam mihi haec
in mentem, nedum in os venisse, cum vix cre-
dam mortalium quemquam esse, qui Huetium
& illud ipsum drivinum ingenii eius monu-
men-

mentum pluris faciat. quod norunt omnes, qui aut me de illo libro verba facientem audiverunt, aut literas meas, quibus apud omnes amicos meos in Italia, Germania, & his in oris in coelum eum extuli, acceperunt. Si non haec audivisti, tuum quidem fuisset me de hoc ~~ad id~~ rumore ante consulere quam detui amantissimo homine ad amicum communitam incertam, tam temere scribere. sed haec mit-
tamus. Si non audivisti, fac quaeso audies. Sna-
belium enim rogavi, ut responsum meum ad epistolam suam, pridie calend. April. 1680. scriptam ad me Lutetiae inquirat & tibi ostendat. Nullus enim dubito, quin epistolas meas servauerit. illius sane ego bene conditas seruo. Vbi epistolam meam videris, rogo ut illud caput excerpas, quo hanc effrenem mentiendi libidinem castigavi, & mea verba ad Huetium mittas, ut omnis sinisterioris suspitionis, quam excitasti minus prudenter, fibras extirpes. Ego quidem apud Huetium iam dilui certissimis argumentis impudentissimum mendacium, quod Parisiensis sycophanta disseminavit, & iam ipsi Huetio fraus & impostura haec suboleverat. sed tamen boni viri & amici officio volueris fungi, inanis rumoris vanitatem verbis meis tuisque ipse quoque redargues. Vide autem hoc ut documento sit, ne facile quosuis rumuscules de amicis aut narremus aliis aut scribamus. Nobis enim ipsis & amicis negotium facessimus & malam
P apud

apud utroque saepe gratiam inueni. Nam
 vterque fert aegre tam faciles & credulas au-
 res fuisse praebitas futilibus fabulis. Me qui-
 dem haec parum mouerunt, ~~nam~~ consci-
 entia mei in Huetium perpetui iudicii & iudi-
 cii, quod fecerant de eius libris, cuius tot
 testes possem producere & in primis ipsum
 Snabelitum. Sed tamen si in alium incidisset
 calidioris ingenii, grauem tibi ipse inuidiam
 contraxisses. De me velim tibi persuasissimum
 sit, ~~me~~, vt antehac sic in posterum semper futu-
 rum tui Tuorumque commodorum ac digni-
 tatis studiosum, quod rebus ostendam cum pri-
 ma affuerit occasio. Vale cum tua lectissima
 vxore & me ama. Traiecti 30 Iul. 1692. Ro-
 go vt tribus verbis quamprimum mihi respon-
 deas.

Illustrissimo & Excellentiss. Viro Dan-
 kelmanno

S. P. D.

I. G. Graeuus.

Quo effusior est inuistatae humanitatis Tu-
 ae exsuperantia, tanto magis imparem
 me agnosco tam maximae de me opinioni tuen-
 dae. Qua ratione sane id assequar, nunquam
 non cogito. nec tamen id assequendi viam in-
 uenio, cum verborum honorem, quo tuas vir-
 tutes, merita & incredibile in me studium di-
 gne possim ornare, ingenii, gratiae vero re-
 lationem fortunae mihi tenuitas inuideat. Nec
 tu

tu vtrumque desideras, qui recte factorum praemium in vna, bene de aliis merendi voluptate positum tibi esse statuisti, vt ideo videaris a Deo in altum hunc locum prouectus esse, vt tanquam ex specula prospicias, qui quam plurimis prosis. Haec tamen non me deterrebant, quin in id omni cogitatione, omnique animi contentione incumbam, vt eum me praebeam, ne Te tuae benevolentiae & beneficiorum poeniteat, sed vt tibi exploratissima sit mea perpetua in Te suspiciendo & colendo pietas, vtque & tu & alii intelligant me non itam purpuram sed te coluisse. Huius voti si me compotem superi fecerint, sique id documento meae curae & studii erga tuos liberos, vbi eos ad nos mittere decrevis, testatum tibi facere potero, id quod primum & antiquissimum in meis optatis dudum fuit, me consecutum esse, gaudebo. Erunt certe isti, vbi ad nos venerint, in sinu nostro, quod quid autem mea poterit eis ars efficere, hoc semper a me tam promptum ac paratum illis erit, ac si ex me nati essent.

Generi mei causam te non improbasse laetus accepi. Andreas Neskenius, tibi, vt audio, non ignotus rector ac comes studiorum Crumcouli natu minoris & a tibi & hic maxime tribus ab annis operam dedit politioribus artibus, meam potissimum disciplinam secutus, vt dignus sit, qui easdem in aliquo Athenaeo doceat alios. Quod si in Hallensi Academia haec

provincia ei mandaretur, nullus dubito quin egregie illam magnoque cum fructu iuuentutis sit ornaturus. Quid hic, Vir Illustrissime, adnectendum duxi, quod mihi perspectissimum si aequè tibi curae esse scholasticam rem ac publicam, quae ab illius rationibus quasi suspensa est, vt te non iratius id accepturum mihi sit persuasum. Vale vir summe & mihi bene velle perge. Trai. 1692. 17. Iun.

Excellentissimo Viro Nicolao Witsen

S. P. D.

I. G. Graevius.

Magno gaudio sed & magno pudore me perfuderunt literae, quae tam pulchrum & inexpectatum munus mihi tulerunt. Gauderam sane mirum in modum prolixae tuae voluntatis tam luculento iudicio, quod ex his literis elucebat, cum nihil mihi posset accidere honestius quam amari a tanto Viro, quem tanquam praecipuum Reip. decus & praesidium non soli ciues nostri, sed magni Reges & Principes suspiciunt. Verum pudebat me cum nihil ad referendam gratiam mihi esse viderem quam voluntatem, egregiam quidem illam sed tamen nudam pro tanto munere, quo terrarum orbem tibi deuinxisti, cuius partem amplissimam auditu quidem olim cognitam, sed cuius verum situm ab omni hominum memoria non modo ignorauit Europa sed omnis
Asia,

Asia, quamvis saepius illius armis perdomita primus mortalium aperuisti. Ergo principibus iuuentutis Graecia ornata in coelum est elata, ut etiam nunc inter sidera fulgeat, quod illius cursus detexit famae tam ignotam Colchidem. Quid hic, Vir illustris, ingenio & studio debet genus humanum, qui tam magnas & decantatas sed Cimeriis tenebris obrutas gentes in tam clara luce collocasti, ut aequae nunc pateant ac alia quaevis natio doctorum ac solertium hominum studio scienter descripta. ubi me collegi & cogitare coepi omnes populos, qui optimarum artium studiis tenentur, tibi debere, rubere desii & facile passus sum in tanta multitudine me tibi quoque debendi reum esse. quid enim me frustra cruciem desiderio tibi satisfaciendi, cum ne cogitanda quidem gratia tibi persolvere possim, quod & publico & meo nomine tibi debeo, obsequium, cultum, obsequium, memorem & gratum animum tibi semper praestabo, nec unquam committam, ut meam pietatem desideres. Epistolam meam ante novem annos exaratam tibi remitto. Praeter mendas typographorum pauca quaedam correxi. In initio videtur mihi lenius esse. Dudum nihil optavi magis, quam quod tum temporis scripseram. inferius quia praecessit. non potest enim non molestus esse. necessario debet sequi aut ineptiarum reprehensionem incidere, non quod mihi exciderat, ineptiarum repre-

hensionem effugere. id enim aduersatur meae sententiae. Ista[m] epistolam cum in aërio tui operis immortalis collocare te velle significas, equidem sentio, tanto te me dignaturum honore, vt maiorem ne optare quidem possim. Quod de mei ingenii tenuitate sperare nunquam mihi licuit, tuo consequar sempiterni nominis decus. Ambiebant proceres Romani sua nomina intexi Ciceronis libris, vt ex non vno Tullianarum Epistolarum loco est videre. Ego ne contemnam, quid mihi a tanto viro tam benigne & tam beneuole sponte defertur? Ingenium meum, accedente praesertim sapientum doctrina semper a vanae gloriae cupiditate fuit alienum, pudorem & modestiam in consilio habui. sed non tamen mihi carnea est fibra, vt non intelligam, e studiis quibus ab ineunte aetate fui deditus, vberiore[m] me capere non posse fructum, quam tam illustre beneuolentiae in Te meae testimonium. Fruar itaque, quia me ornare hoc tuo iudicio decreuisti, ista gloria. Caeterum nihil mihi longius erit, quam opus tuum quo illustrabitur mappa a te publicata, videre, non propter istam commemoratam epistolam sed propter res tam praeclaras quas nescimus omnes & absque te si fuerit semper nesciemus. Deus & valetudinem & otium tibi ad id consummandum sufficiat, vir perillustis. mihi si in posterum quoque bene cupere volueris, omnia me consecutum putabo.

Trai. d. 11. Aug. 1692.

Rex

Rex Christianissime.

Magnitudine non solum rerum domi foris-
que gestarum, sed imunitata & incre-
dibili quadam beneficentia, in omnis virtutis
genere honorando, te ipse dudum consecrasti,
Auguste, ut vivus videntque tanquam prae-
sens aliquod numen in orbe terrarum colaris.
Hostes vincere, populos magnos funderere, gen-
tes infestas & indomitas pacare, Attilae, Tamer-
lani, abique barbari Reges poterunt: sed be-
nevolentia demereri genus humanum, ut
Hercules, & salutare illi Dii Castores, Reges
supra fastigium regium extollit & superis mi-
scet: hac vero mirifica beneficentia in omnes,
quos bene mereri de humana societate cen-
ses, non modo non maximos quosque Reges,
quos unquam sol adspexit, sed te ipse longe
superasti, nihil dicam de alius ordinis homi-
nibus, de ducibus bellicis, de artificibus, de
negotiatoribus, quos cum aliquid salutare
mortalium generi inuenissent fecissentque, tua
cura dignatus es, & liberalissime tractasti. De
mei loci hominibus loqui mihi tantum paucis-
simis apud te liceat, Rex sapientissime. Cum
persuasum & exploratum tibi esset, ad beati-
tudinem & cultum vitae humanae studia sapien-
tiae & disciplinarum non paruum adiuven-
tum adferre, in fovendis ingeniis & discipli-
narum praestantissimarum cultoribus ornan-
dis, quis ab omni hominum memoria tibi par

fuit aut secundus? Laudibus in caelum ef-
 fertur priscorum quorundam Regum ac Im-
 peratorum liberalitas, qui viros doctos sui
 temporis sunt profecti, verum non latius il-
 la patuit quam erga sacros etnes, nisi quos ex-
 teros forte in suum comitatum adscripserant,
 aut in itineribus viderant. Tu vero, Rex Opti-
 me maxime, quos ubique gentium liberalio-
 ris alicuius artis quam exercet bono publico,
 non trivialis intelligentiae fama commenda-
 nit, stipendiis & praemiis invidendis profectu-
 tus es, ut testatum faceres, tibi non magis ef-
 se curae salutem tui regni quam incolumita-
 tem & dignitatem literarum, hoc est Regem
 agere non solum Galliae sed totius cultioris or-
 bis, cum non tantum commodis tuorum civi-
 um sed omnium hominum consulis. Eorum
 enim augentur commoda, cum egregiarum
 scientiarum decus augetur & propagatur. Me
 cum huic populo clariorum hominum interci
 voluisti, quos tu immortalitate donasti (non
 possunt enim non sempiterni nominis decus
 sibi promittere, quos praerogativa iudicii &
 voluntatis tuae exemit vulgo) ea me consecu-
 tum esse semper existimaui, quae nunquam
 sperare sustinueram. Verum ab illo tempore
 me nulla res alia sollicitum aequae habuit dies
 noctesque, quam ut & grati animi & studii
 quod in excolenda potiore doctrina pono,
 monumentum statuerem, quod fidem faceret,
 nec apud immemorem tanti beneficii nec apud
 indi-

indignum te collocasse tantum beneficium. Cum igitur expoliissem cura mea Tullianorum scriptorum optimum de officiis serenissimo Delphino dicandum, tibi que mittendum censui, si gratiam, in quam me posuit apud te honesta opinio de meis conatibus in re literaria, conseruauerit hoc gratiae significationis pignus, maius in rebus humanis nihil est, quod possim velimue optare. Deus Te Regum vnicum decus cum Augusta domo diutissime incolumem esse iubeat Trai. ad Rhen. postrid. Kal. Nov. 1687.

Illustrissimo & excellentissimo Viro Carolo
Sancta Mauro Duci Montauserio

S. P. D.

Ioh. Georg. Graeuus.

Tristissimus de affecta valetudine tua nunciustantopere me perculit, vt totus examinarer, & non modo quicquid in vita iucundissimum esse solet, sed ipsa vita mihi esset inuisa, quid enim mihi luctuosius adferri poterat, & vitam magis exosam reddere, quam in magno vitae discrimine versari, cuius vitae innititur omnis melior doctrina, quique sit mihi Mecaenas & praesidium vnicum. Angerbar intimis sensibus & in tanto cruciatu timoris sustentabar sola spe salutis tibi per Christum sospitorem, cuius opem assiduam sup-
pli-

plicibus votis implorabam, restituendae. Cœpi ad hoc redire, cum ex amicorum literis intellexi, audivisse Deum vota precumque meas pro tua salute, teque ex gravissimo morbo recreari. non tamen omni cura molestiaque leuabor ante, quam te omni morbo leuatum esse, pristinaque incolumitatem redintegratam intellexero. Deum vitæ auctorem & conservatorem veneror, ut propitius & facilis huius quoque voti nos damnet, & te Tibi Galliae, bonisque ac literis omnibus restituat, diuque bono publico superstitem, auctis de nostris tuis annis, esse velit. a superioribus omnia data nobis existimabo, si te bona fide conualluisse cognouero. Acerrimo dolori, quem ex tuo morbo cepi, si quid posset accedere, dolerem sane quam grauius, fasciculum librorum ferentissimo Delphino inscriptorum cum exemplo Luciani te tam sero, literas vero, quas ei adicceram, & eidem bibliopolæ Batauico miseram, Stanhamelio tradendas, quibus gratias tibi agebam pro pulcherrimo munere tot insignium & cultissimorum librorum, plane non accepisse.

Electori Brandenburgico,

Serenissime ac Potentissime Elector

REgium plate munus est, quod mihi obtulisti, Celsissime Princeps, sed non excelso & iniuncto tuo animo, vnde manavit maius, qui nunquam in agendo magnifice, quid eos

eos in quos munificus es, sed quid te deceat, spectas. Gerunt imaginem Dei Reges & Principes in terris, ad quam se vere effictos esse, nullis illustrioribus documentis probare possunt hominibus, quam si, quam plurimos iuvent, foveant, sublevent, ut benignissimum illud numen suppeditat, unde aluntur omnia. His munificentiae partibus implendis, nemo Te, Maxime Princeps, propius accedit ad istius, omnium conditoris ac servatoris, cuius personam hic sustines, bonitatem, nemo ignorat hanc tuam beneficentiam, omnes in coelum illum, unde te vere originem ducere declaras, extollunt. Sed non minus extollunt tuam in benigne faciendo elegantiam ac dilectum, qui non omnes tua liberalitate dignos censet, qui oris tantum lineamentis similes sunt hominibus, moribus vero & vitae institutis, ingeniique feritate belluas referunt, sed eos qui sapientia, virtute, armorum usu & peritia literarum ac ingenii laudibus florent, hoc est, qui vere homines sunt, & multum se differre ostendunt ab iis, qui oris sola forma censentur homines. Hanc rationem qui sequuntur, non tantum bene merentur de illis, in quos liberales sunt, sed de communi hominum vita, cui nunquam melius consulitur, quam si quos natura non neglexit ad virtutem & artes liberales colendas inflammant, ad quas animum sane applicant, si apud Reges, & Principes eas in honore haberi vident, ut nullus in terris ex-

CO-

cogitari possit tantus honos, qui illorum prin-
 cipum meritis non sit inferior, qui viros do-
 ctrina virtuteque praestantes fovens & ornant,
 sic enim cum alienam virtutem ornant, suam
 illustant. In horum numerum cum & me
 receperis, Sapientissime Princeps, & quantum
 tibi hoc nomine debeam intellige, iam ante
 maximis tuae munificentiae muneribus hone-
 status non semel, sed & sentio quam mihi sit
 laborandum, ne tuum de me iudicium fefellisse
 videatur. Quibus verbis Tibi, Serenissime
 Elector, gratias agam pro tam effuso in me
 animo, pro tam praeclaris congiariis, non labo-
 ro, cum desperem, me id, licet omnes ingenii
 nervos contendam, omnes eius copias (si quae
 in me sunt) effundam, vlla tamen dicendi vi
 posse consequi. nec id tua desiderat animi cel-
 situdo, quae sola benefaciendi voluptate &
 conscientia laetatur. Hoc vero me dies no-
 ctesque sollicitum habet, quibus verbis praed-
 dicem tam prolixum animum tuum in cul-
 tioribus literis, & omnibus sapientiae disci-
 plinis decorandis, in fovendis ingeniis iis-
 que vario praemiorum genere augendis.
 Quod unicum possum, Deum venerabor, ut
 te, heros incomparabilis, tuamque Serenif-
 simam vxorem, Principum feminarum de-
 cus & spem Germaniae, Magnum Branden-
 burgici nominis incrementum, Filiam tuam
 totamque Serenissimam Domum omni fe-
 licitate domi bellicae, cumulatissime beet,
 bono

bono generis humani. Traiecti d. 16. Ian.
1691.

Sereniff. & Celfiff. Nomini tuo
deuotiff. & ad omne obsequium ad-
dictiffimus

I. G. Graeuus.

Viro Illuftriff. & excellent. Danckelmanno

S. P. D.

I. G. Graeuus.

SVetonius, quem expolitum meis laboribus
ausus sum inscribere Serenissimo Branden-
burgensi Electori, qui solus in Germania tri-
stes respicit musas, in eius signum tan-
quam in arcem sibi aduersus temporum & ho-
minum iniurias munitam confugientes, ad te
venit Vir Excell. vt non solum sit testis & obfes
perpetuae illius obseruantiae & pietatis, quam
mihi paternam in te colendo constitui dudum,
sed & qui supplex tuam fidem imploret, vt te
interprete ad serenissimum Principem sibi via
muniatur. non sustinisset sibi tantum arrogare,
vt in ista negotiorum mole, quam cura salutis
communis tibi volenti imposuit negotium, &
ipse tibi facerem, nisi haberem exploratiffi-
mum, te nulla in re magis conuiescere, quam
in voluptate bene cum de omnibus, tum
in primis de praestantissimarum artium cul-
toribus merendi. Hoc cum nemini non,
mihi vero praecipue tot luculentis argumen-
tis

tis sit testatissimum : nisi tranquillum animo esse tranquillo, speque hac haec impleri, plurimis tuis erga futurum editorem meritis hunc curam accedat, ut te vela sacri palatii leuare & quasi admissioalem tesseram praebere, non difficilem apud clementissimum Principem aditum inueniat. si id etiam poterit impetrare, ut excipitur ferens illa fronte, qua tot tantorumque populorum desideria solet excipere, maiora votis existimabit se consecutum esse, nec me maiorem ex curis, quas optimis artibus impendo, fructum capere posse. quod si & gratiam, qua me complexus es, conseruaueris & in posterum quoque illa me beare dignatus fueris!

Sublimi feriam fidera vertice.

Vale vir illustrissime, tu tuaque familia, omni felicitatis genere cumulata. Trai. 1690.

Eidem.

Si voluntati studioque animi mei responderet par facultas, ampliori longepos digniori munere tibi restata esset summa illa, qua captus non tam fortunae quam virtutis tuae splendore, te dudum suspicio & veneror, obseruantia, Sed viri magni, in quorum numerum te tua merita retulerunt, non muneris pretium, sed animum offerentis reputant. nam saepe vsu venit, vsu munere, quod valde videatur luculentum, vt omnium oculos feriat, hinc fordidus animus, qui nisi compositi spes aut poe-
nae

nae metus id extorfisset, nunquam ad id offendendum potuisset compelli, & in exiguo munere sit magni animi & egregiae voluntatis significatio Vale.

Nobilissimo & Amplissimo Viro G. Caputo

S. P. D.

Ioan. Georg. Graevius.

Incredibilem accepi dolorem ex plaga, quae tibi imposita est gravissima, cum amisisti uxorem, virtutibus, quibus hic sexus ornatur, florentissimam, in ipso aetatis flore. non potest enim non tantus tuus dolor, tantaque iactura pro mea, in te pietate a me aliena esse. absolum quidem ego a summo tuo luctu, non minus tamen me cruciat, tuum coniugis commendatissimae desiderium, tua solitudo, tuorumque liberorum orbitas, ac si domum meam fulmen tam durum afflasset, ut, qui te debeam erigere ac confirmare, ipse fractus motore iaceam & animum colligere vix possim. Sed etsi soluto remissoque essem animo, etsi ingenio etiam abundarem, in tanti tamen vulneris cruditate si sperem inueniri a me posse remedium, quod dolorem hunc sanet, non viderer intelligere, quid sit orbari dulcissima omnis fortunae consorte, in cuius cura omnis rei familiaris administratio, omnis tenellarum filiarum educatio, homini aut in Reip. negotiis aut in doctrinarum studiis semper versanti.

ti erat reposita, & in cuius fructibus tua magna occupatio, qua nunquam non premitur, vnice conuiescebat: nec possem sine pudore, non sane sine vanitatis & ineptiarum nota, quae praeceperunt sapientes de molestiis, quas ex nostrorum morte capimus, mortales fortius ac moderatius ferendis tibi subiicere, cum omnia in numerato haberes, spero tamen praeclara haec sapientiae studia, quae tanta cura & plausu coluisti ab aetate ineunte, nunc hanc gratiam tibi relatura, vt & tu ipse illorum fructum sentias in maximo dolore mitigando & alii intelligant, nobis ea in omni fortuna prodesse plurimum, nec tantum a nobis coli, vt nesciq̄ quid eruditionis ex illis colligamus, sed vt meliores euadamus aliis, qui nunquam illis incubuerunt & supra vulgus in secundis & aduersis emitteamus, si non possunt ab omni doloris sensu nos abducere, hoc saltem nobis praestare, vt placidius ac sedatius toleremus, quae mutare non est opis nostrae, quam qui has artes non attigerunt, docuerunt nos sane necessitatis suae gratiam nulli facere naturam, eamque parentes, vxores, liberos nemini mancipio dedisse, sed commodasse, non ditius quam illi placuerit. Horum obliuisci cum nos ferimur, nec cogitare illam diuino iure suo nobiscum & cum nostris agere, & sibi debitum exigere, citius quidem quam nos vellemus, sed quae nulli cuiuscunque sit loci ac ordinis, simulac appellauerit, det ad-
 uoca-

... turpe est, sed & his disciplinis, quas
 tanti facimus, quibus nihil praestantius ho-
 minibus datur, esse praedicantur, foedissi-
 mam inuicem maculam, cum non extrahi
 esse volumus praecipuumque quandam form-
 nam postulamus, cum nullo discrimine habe-
 antur. Tros Rutilus fuit. Sapientissimum
 Epicteti monitum, quod saepe in domestica
 clade mihi leuatis molestiam, non possum
 quin adscribam, non quod, quid ignoret, sed
 quod forte eius hoc tempore non memineris.
 Filius, inquit, aut vxor, alterius si obit, demo-
 est, qui non dicit, humanum id esse: hoc in-
 consilium adhibendum, quod cum aliis eue-
 nit, semper in ore habemus, sed quod labor?
 quod me facturum negabam facio, adductus
 singulari meo in te studio, non quod his opus
 esset, nullus enim dubito, quin consilio & ra-
 tione tibi representaturus sis, quod alii longa
 die consequuntur. Si tanta uultus tam re-
 oens manum forte refugit: Deum precor, ut
 ei medeat, nec est pensabilem, quod dubites
 huius doloris acerbitatem gaudio, quod tibi
 parient filiae, quae matris dotes referent, teque
 (sic augurari libet) optatis nepotibus aliquan-
 do beabunt. Vale, vir amplissime. Trai. 1689.

Hec epistola ad Traianum Imperatorem scripta est.
 Viro

Viro Generosiff. & Excellen: Danturino

S. P. D.

I. G. Graevius.

Minusculum tibi offero, Vir Excell. Suetonium a me publicatum & Electori Serenissimo dicatum, non quidem te dignum, sed quale poterat a me, pro meae fortis modulo, expectari. id si non contempseris sed habueris pro pignore meae summae in te observatae & debiti tuis virtutibus & meritis in me obsequiis valde mihi gratulabor. Quantis acclamationibus, excepta fuerit filii tui oratio hic ab omnium ordinum hominibus, non tam ex meis literis, quas nuperius ad Te dedi, quam ex fama, quae summis laudibus cancelebrat, te intellexisse credo. non minore eum applausu legetur spero & apud vos & a nostris hominibus, ubi in manus hominum typis descripta veniet & oculos legentium pascet, ut aures nuperius cepit. Ut longius indies discendo exercendoque se, procedant filii tui in optimarum artium cultu, quamdiu nobiscum agent, omnium curatum mihi prima erit, quod velim tibi esse persuaasissimum. Vale vir generosissime & mihi bene velle perge.

Viro Excellentissimo N. N. (* *)

S. P. D.

I. G. Graevius.

Quamuis nulla mihi tecum adhuc intercesserit

*) Haec Epistola ad Henricum Cocceium sine dubio est exarata,

seris amicis scribendisque commercium :
 non possum tamen non has ad te literas dare,
 testes mei, quo te dudum prosequor, studiis &
 amoris. Quod diu optavi, quodque ut fieret, du-
 dum nihil curae studique mihi reliquum fe-
 ci, id factum esse incredibiliter gaudeo. Con-
 sules senatusque huius urbis ante hos quatuor
 dies prouinciam tam Romani quam publici
 iuris in hoc Athenaeo docendi, summo omni-
 um consensu & totius ciuitatis & studiosae iu-
 uentutis cum applausu, tibi decreuerunt, pro-
 posito stipendio annuo mille sexcentarum li-
 brarum Batauitarum, h. e. sexcentorum & qua-
 draginta vestrorum argenteorum vncialium
 nummum. Nihil mihi crede fieri potuit ho-
 norificentius. nunquam antehac istius disci-
 plinae doctor his conditionibus fuit inuita-
 tus. si a Iohanne Voetio discesserimus, qui Lei-
 da reuocabatur huc, vbi antehac magno cum
 concursu, quod nunc ibi facit, docuerat. illi
 enim & tibi inusitatum antea in hac Academia
 nomen Professoris iuris publici fuit datum. Sti-
 pendium quoque quod tibi offertur, paene inui-
 diosum esse: hinc potes existimare, quod duo-
 bus tuis, vt augurari licet, collegis, qui domo
 sunt Ultraiectini florentque cum gratia neces-
 sariorum, qui magistratus summos hic gerunt,
 tum & auditorum in publicis priuatisque
 acroasibus frequentia non nisi dimidium istius
 pecuniae, octingentae librae pendantur. ac-
 cedunt stipendio alia commoda minime con-
 te-

eminenti multi hinc inde factis meriti ad
 summos honores Academicos probebantur.
 Inueniunt, qui hanc doctrinam colunt, copia
 sine tanta est, ut nos illorum, poterat, vicini
 vero eam nobis inuideant, qui pro scholis do-
 mesticis honorem satis prolixum & liberalem
 habent doctoribus. Vbi vero nobiscum eris,
 de cuius eruditione mirifice sentiunt & lo-
 quuntur omnes, longe maiore concursu, quod
 nos nobis persuasimus, celebrabitur hoc Ly-
 ceum, ut tibi haec statio & honestissima &
 fructuosissima sit futura, quin & inuandissima.
 de quo non dubitabis, si nosti aut penum hu-
 jus urbis sitae in medietate Belgii foederati,
 splendore suo, mollitie & salubritate coeli,
 agrique, qui circa est, amoenitate nulli secun-
 dae, aut incolarum humanitatem & elegan-
 tiam, quam omnes exteri mirantur & praedi-
 cant, aut magistratum, in primis erga nostri
 ordinis homines benevolentiam & comitatem
 singularem. Nam cum senatus huius urbis
 amplissimus, ordinum indulgentia, condi-
 derit hanc Academiam & suis eam ut in-
 pendit, ut ab illorum nutu & arbitrio tota pen-
 deat, tam communes tamen se nobis praebent
 omnes magistratus & senatores, ut communio-
 res esse non possent, si illorum ordini essent
 adscripti. Illos praesertim, qui dignitatem
 Academiae aut tuentur, aut illustant, fouent,
 amant, in deliciis habent, & nihil sequi po-
 untur desiderare, nec horum meritos, si a pa-
 ter-

omni virtute non deficiunt, negligunt. Documentum sunt Vosii & Matthaei. Nec minus qui hic optimas artes tradunt, coluntur ab aliis ordinibus huiusmodi ecclesios & hominibus nobilissimis, qui hic plurimi habitant. Pro cathedra tibi liberrima facultas datur, de quocunque argumento vestrae disciplinae, siue ex pandectis, siue ex codice, siue etiam de quodam capite iuris naturalis & publici discendi. labores non maximi sunt perferendi. vacationibus non angusti leniuntur a Kalendis Iuliis vsque ad Septembres nostrae res proferruntur aestate: hyeme ab Idibus Decembribus vsque ad Kalendas Februarii. Verum hoc otium Paschale duarum est hebdomadum. Pentecostes festiuitas cum illuxit, octiduum nobis ferari licet. De loco si quaeris, qui tibi inter tuae facultatis, vt nunc loquuntur, Professores, is est secundum rationem, instituta & consuetudinem huius totius Reip. nouissimus. qui priores fuerunt tempore, sunt etiam priores loco, quod hic in omnibus nostris Academiis obseruatur, nec vnquam fuit immutatum, nec in Academiis solis hanc rationem tenent, sed & in praeconum verbi diuini, imo & in ipsis senatorum ordinum, magistratuumque, qui septem populos vnitos terra marique regunt collegiis, vt primarius locus, non nomen, quod fere ignoratur, eius sit, qui tempore ceteros antecedit, nouissimus illius qui nouissime fuit accitus in id corpus,

Q

cti

et in natalibus, aetate, dignitatibus hic aut alibi
 gestis longe sit superior. Caeteri, qui propter
 spatium temporis quod ibi fuerunt hunc an-
 teunt, nec primus locus hic terrarum ultimo
 est honestior. Boeckelmannus cum Leidam
 euocaretur, eandem conditionem subit, quae
 omnibus subeunda est, quamvis fuisse Heider-
 bergae in Serenissimi Electoris Palatini ami-
 cis interioribus. Nunquam hunc Belgae foe-
 derati morem mutabunt, qui multas dissen-
 sionum & discordiarum causas auerit; nec
 tu illum, sat scio improbabis, cum non longo
 tempore hic vixeris, propter multa commo-
 da. Ioannem Voetium forte nonnulli nobis ad-
 ducent, eique tributum primum locum aient
 nuperius falluntur. Voetio nullus alius fuit
 decretus, quam is, quem antequam Leidam
 iret, tenuerat, proximum scilicet Cypriano,
 in eundem reuocabatur, qui mos ibidem vi-
 get in caeteris collegiis omnibus. Ex sena-
 tu, ex ordinibus si quidam excedunt, quod
 nonnunquam fit, cum post aliquot annos de-
 nuo leguntur, illam sedem occupant, quae il-
 lorum antehac fuerat. Patere quaeso tibi hanc
 opinionem de *academica* dignitate, qui misere
 nostros in Germania populares exerceat, &
 tuos ad huius populi mores, quos optimos co-
 gnosces, accommoda. Aureae libertatis hic
 theatrum est, eius omnes sunt consortes sum-
 mi imique, salua tamen dignitas, quam tu cer-
 te obtinebis, auctoritate & gratia, meritis de
 pu-

publico passu. Inter sanctissimos collegas de
 optimo animo in illi. Carissima dilectissima
 mihi, quae tibi sibi non potest facere
 esse tibi potest. Et quae tibi que locum de
 minondas tenuerit, fuisse in pillina. non
 non illi. Eadem enim, qui vltimam in-
 ter conuiuas sedem erat sortitus, dixisse, ho-
 spitem iniisse pulchre rationem illum quoque
 locum honestati. Sed ego pusillus sum & in-
 certus, qui apud Te, virum sapientem, in
 nullis de his ego, nullus dubito, quia
 aliud nihil est quod te retinet. Heidelbergae
 his quae semper sapientes non magis focu-
 rant, praecipuum non ser. hoc est, in
 sed gradus, aliquos ad facilius componere, ne-
 glectis honesto, desideris, seruis & virtutibus
 uitae non sic futurum, tuis vicissim de
 rris, si quid forte requies, quod modo huius
 regionum institutis non adpotetur, quod
 rant nostri proceres, quod tibi huiusmodi
 & propensissimum in te, in huiusmodi
 & rerum testimonia. Cum adde, in
 venis, sane optatissimus & acceptissimus
 omnibus, sed nulli optatione & acceptio, quam
 mihi. Facile tibi probabo omni genere
 & officii quanti te faciam, & quo te olim
 mihi cognitum amore suo complexus. Si
 quam etiam absenti vtilis tibi opta, non
 potero, ea, ubi admonitus fuero, praesto
 per erit & prompta. De sumptibus
 non laborare, quidquid impetites, remitte-

mihi

24

rabi-

rabitur. Vale Vir Excellentiss. & me ama. Trai-
 Biran. 12. April. 1668. Summum Reueren-
 do Viri Ludouico Fabricio, quem a plurim-
 is annis colo & obseruo, vt & celeberrimo
 Franco meo Ciui, salutem dico.

Viro Nobilissimo Ioanni de Wie

S. P. D.

Io. Ge. Graeuus.

Heu quanta excidi spe, quantum gaudium,
 quod animo iam praeceperam, decoller-
 uit! quanta quam illo tempore facta est immu-
 tatio, qui modo incedebamus omnibus laeti-
 tiis, qui frontem aequae porrigerere coepera-
 mus, ac iam porrigebamus brachia ad te com-
 plectendam, qui absterferamus omnes curas
 & sollicitudines, vt, ubi venisses, in iocos & ca-
 echinnos tibi effunderemur; de repente inex-
 spectato nuncio, qui significabat laetitiae no-
 strae datori dano abesse non licere, conster-
 nati animis recedimus, vultum adduximus, &
 tanquam subita quaedam calamitas omnem
 spem anni interceptisset, aut nec opini funeris
 fama nostras ferisset aures, in moerore & lu-
 ctu iscamus, non ego solus, sed omnes mei
 omnesque tui sodales & amici, qui hunc diem
 tanquam sibi maxime festum hilarem te sum-
 ptures esse sperarant. non te accusamus sed
 infestam nobis fortunam, quae tantae laetitiae
 vim nobis iniecit, conuicium illi facimus, sed
 illa cum nos illufit hiantes, ridet coecae homi-
 num

superioribus diebus ignem ego quantum sub
 his cupio mihi videndi desiderio ardens, non
 ante hunc diem accingor quam animum tuum
 libenter composuero. Constitui itaque pro-
 xime hebdomadis die Mercurii, si valeo, si-
 que nihil inopia intercesserit, quod me retar-
 det, quam filio viam dare, ut tui desideratissi-
 mi composui tandem composam. Vale
 Vir nobili & me ama. Trai. d. 3. Jul. 1689

Viro Illustrissimo & Excellentissimo N. N.

S. P. D.

Job. Georg. Graecius.

Amantissimi tabulaeque publicae paulo ante
 ingenio nos laetitia impleuerant de noua &
 amplissima dignitate, quam splendidissimus
 Equestris ordo Clivensis in te contule-
 rat in suum numerum inusitato exemplo te
 sponte tua, suffragiis consentientibus, omni-
 um applausu coyntando, hanc laetitiam mox
 mirum in modum cumulavit epistola, ex qua
 plenius & exploratius de omnibus cognoui-
 mus. Non nostrorum hominum, non nostro-
 rum temporum est negotium, nec tamen ego
 id miror, mirabuntur ii, qui rara illa ingeni
 animique tui ornamenta, singulariaque in
 Reipubl. merita ignorant, qui hoc tribuent
 aut fortunae aut gratiae, sed non mirabuntur,
 qui norunt virtutum tuarum splendorem lati-
 sime diffusum, testatumque tot populis inde-

Qs

ref-

Non dubito, quin ad Danckelmannum haec praescripta sit Epistola.

festum laborem & constantem assiduumque
 prodiguitate seruituribus, utque summi
 ditorum ingentium, in facienda, in
 non modica in te dediti omnia, ut
 animos conuertisse, tibi que tantam
 omnium beneuolentiam ac tantam
 lisse. Fortuna non erit, nec casus
 petu, si virtutem ducem, secum
 buit munera. Gratia, beneficiis
 manus fructibusque in patriam
 abest, ut sit contemnenda, ut
 facienda, tanquam res expetenda
 summa. Ea enim est vera gloria,
 modo hic, cum in viuis sunt, ornat
 liter & supra caeteros euenit
 post fata in caelum collocat, non
 tui gratulor, vir Excell. sed
 honos in te habitus est, gratulor
 quod edidit prisci moris exemplum,
 gnoscant posteri, nondum omne
 genus obsoleuisse, nec ambitionem
 praemia occupasse. Gratulor
 litatis viris, tam Bonifacis quam
 qui tanto suum ordinem honestant
 mento, & ut diutissime illis
 rissima fax, in edito loco accensa,
 aliis ad capessendum virtutis
 precor. Ego vero non laetitiam
 cedam? non mihi, non praestantibus
 bus gratulor summa, quibus tantum
 splendoris accessit, cum tam
 fidus earum cul-
 tor.

res, cum tantis nostris patronis tam insolentibus
 honoris accessibus et decoribus? illae sine
 gaudio, propter operam non tam afflictive et
 periculis annis tantam tam excellentem gratiam
 esse, relictam talesque spondent fructus, qui se
 bonae fide cultori suo addissent. hic omnium
 bonorum sensus est. Cum vero pro tua mo-
 destia nunquam appetieris hanc nouam digni-
 tatem nec in accipienda ille tua tuaeque fami-
 liae, quam ante patrum decorum non pos-
 sedit commoda, sed totius populi iudicium
 sis secutus, facile potes maleuolorum, si qui
 sunt, susurros contemnere & inuidorum oculis
 tantum bonorum consensum opponere. Non
 minore gaudio nec minore acclamatione nobi-
 lissimam fratris tui dignitatis amplificatio fuit ex-
 cepta, tanquam certissimum virtutis praemi-
 um & illustris sapientiae testimonium; in qui
 potentissimus Princeps tantum praesidii ad
 publicam rem concordiae acquirere fecerit
 daque omnium voluntate administranda,
 populi vero ei parentes tantum bonae spei ad
 suam salutem, securitatem ac felicitatem aut tu-
 endam aut reparandam augendamue positum
 esse credunt. Equidem non potest non ista
 tuorum fratrum et auctorum Reip. admittorum con-
 sensio in procuranda publica salute,
 quam sibi omnium curarum antiquissimam esse,
 se, tot insignia documenta ostenderunt ducem
 tuis omnibus ciuibus summo gaudio, magis
 terrori esse. Ego certe communis patriae de
 hac

hac dignitate vestra vehementer gratulor. Vo-
 taque facio, ut tam prope gratiam hanc quam qu-
 piam, minus sibi invidiam quam subinde in-
 crementis fortunatiora vultu, quam ac fieri vultu
 distulime Calendas hinc, sed semper laetioribus
 & candidiores famulae vestrae imbecis redire.
 De recente sermone Octavii, erga me ma-
 nificentia primo loco dixissem, si invenirem
 quo sperarem, quantum optimo principum
 me debere agnoscere, scribendo aut dicendo me
 assequi posse. gratis quidem hac epistola quam
 mitto, egi pro tanta liberalitate, quas potui.
 sed nihil tibi mihi subueneris, & quae secundum
 partes meas in referenda gratia suscepis, tu-
 toque heroi peruenas gratam meam volun-
 tatem non aspectandam esse ex orationis mun-
 dicio & copia, sed ex mirifico quodam animi stu-
 dio summaque & perpetua observantia & veneratione,
 qua eum prosequor, sibi quasi defici-
 entibus viribus erit succumbendum, me colligam
 tamen & animum recipiam, si audeo hoc
 te petere, quod ut sperare liceat effecisti, tu
 commendatione. Nam ut liberalissime & benignis-
 sime habitus sum a magnificentissimo principe,
 sic efficias facile tuo quasi sponso ut ab eodem
 habeat gratis finis. Testificatio benevolentiae,
 quam erga generum meum ostendisti, ei tanto
 gaudio fuit, ut de nulla re sibi unquam magis
 sit gratulatus, nec mirum: quis enim de tan-
 ti viri benevolentia sibi non gratuletur? eam
 si retinere poterit & conservare: nihil ad vo-
 torum

... summae ... nos vero ... officii, quibus ... beneficentia ... tibi talis ... Vale Vir Summe & mihi meisque per-
ge bene velle. Trai. d. 16 Ian. 1691.

N. N. *)

S. P. D.

I. G. Graevius.

SVetonium Tranquillum curis secundis a me
recognitum & Octouiro Serenissimo con-
secratum ad te mitto, vir Illustris, interpretem
summae observantiae, quate dudum veneror,
tanquam alterum lumen gentis Danckelman-
nianae, illi enim tot nominibus sum deinctus,
vt nisi omnes, quaecunque se dant, occasio-
nes arripiam cupide, & cultum & memoriam
animum meum vobis probandi, hominum
omnium sim postremus: honorem verborum
& relationem gratiae non desideratis, cui con-
scientiae recte factorum fructu omnia meti-
mini, nec manus, qua estis animi magnitu-
dine spectatis, sed voluntatem, quae sane tam
mirifica est in vobis suscipiendis & colendis, vt
si quod Momus desideravit in hominis fabrica,
per fenestras pectoris posset inspicere, quam sit
effusa illa & proluxa, inuenturi essetis eam. ge

*) idem vii ex Danckelmannis scripta fuit.

de rebus occultis, & de rebus divinis, & de rebus
 ne prolixiore. Si illius, & de rebus occultis, & de rebus
 one iam vobis, & de rebus divinis, & de rebus
 mihi persolventi, faceret, & de rebus occultis, & de rebus
 voti, quod olim feci, me, & de rebus occultis, & de rebus
 ctum, incredibiliter scerbor. Vale, vi. Excell.
 & tibi persuade, me veteri Soldatorum lege, &
 sacramento illustri nomini Tuo denotum, &
 Trai. postrid. Cal. Nou. 1690.

Illustrissimo & Excellent. Viro Carolo San-
 cta Mauro Duci Montauserio

S. P. D. Illustrissimo

I. G. Graevius.

MEmoria tuorum in me meritorum, nun-
 quam me patitur quiescere, nec ul-
 lum officii observantiaeque tibi debitae mu-
 nus ac tempus praetermittere. Non ita pridem
 literis meam in te colendo fidem & constanti-
 am declaravi, nunc Horthamelio Lutetiam re-
 uertente, non potui non optatam hanc occasio-
 nem arripere, tibi mittendi Iustinum a me re-
 censitum denuo, cui adieci diatriben discipuli
 mei de calceis Hebraeorum. Petri Francii, pec-
 mata, quae tibi suo nomine petit a me offerri,
 vt & Catalogum Heinsianae Bibliothecae, qui ta-
 men fero, cum fasciculus esset obsequio, mi-
 hi reddebatur, in illum me coniecisse fascicu-
 lum alium, Huertio inscriptum & exemplum
 Catalogi, quem expetit cupidissime, non irate,
 qua

operam es incredibili humanitate & singulari in-
 -duetium studio, feres spero. libri ante proxi-
 -mi anni ver non subiicientur hastae : si quos ex
 -his forte tuis vsibus velis vindicatos, vbi co-
 -gnoro, meam operam & studium faxo ne desi-
 -deres. huic enim curae mentem meam o-
 -mnem deuoti, qua ratione tibi testificari pos-
 -sim me tui cultu neminem mortalium anteire.
 -Epistolae Tullianae ad Atticum & vita Thesei
 -a Meursio concinnata breui sequetur. Vale
 -Dux illustrissime, & mihi fauere perge, quae
 -votorum meorum est summa. Trai. Bat. prid.
 -Id. Nov. 1672.

Summe Reuerendo & Perillust. Viro Gil-
 -berto Salisburiensi Episcopo

S. P. D.

I. G. Graevius.

Cum his diebus ad nos perferretur, Salisbu-
 -riensis Episcopatum Dioeceseos ab Au-
 -gusto Rege, bonis omnibus lactantibus, tibi
 -mandatum esse : incredibili paene gaudio, pro-
 -pice in te obseruantia, quae orta est a meo, de
 -tuis singularibus virtutibus, a quo illas noscere
 -mihi datum est, iudicio, sum affectus, tanto
 -sine, quod verbis assequi non possum. Gau-
 -debam, te tulisse fructum vitae tam innocenter
 -actae, & tantorum laborum, iniuriarum, pe-
 -riculorum, quibus indignissime tamdiu es
 -conflictatus. quis enim ignoret atrocissimam
 -illius

illius gentis ac imperii, quibus pro primis
 in partem tuis, non operam solam, sed etiam
 religiose scribis tibi, fidei, laborum, quantum
 defecuisse & in tantis, sed etiam in tantis,
 ut penitus sint beati, melius hominibus, digni-
 tate dignitate, dante commodis, consulat bene.
 Lactatur, Britanniam, et restituit, sibi ipsi resti-
 tutam esse, cum recepit civem optimum, salu-
 tis tuae causa extorem, ex clavis itidistis,
 doctrina, probitate maximum capiet fructum.
 Triumphabam praestantissimam doctrinam
 sum studiis ex tua dignitate tantum splendore
 rem accessisse. Nami cum te virtus & ingenii
 doctrinaeque praestantia ad harum dignita-
 tem extulit, virtus & eruditioni in eum effren-
 telligent omnes, & ad utrumque deus veraeque
 gloriae cupiditatem inflammabuntur, cum
 non utere ubique virtuti debita praemia in-
 cipiatur ambitio. Incredibiliter itaque lactar
 tibi gratulor, nec tibi magis quam virtuti,
 optimisque artibus, quibus in te multum
 erit praesidium, & sapientissimo Regi, de hoc de
 te iudicio gratulor, quo sibi totam vestram
 populum omniaque virtutis cultores, salu-
 raboribus disciplinis deditos ubi ne quini-
 um mirifice deinvxit. Deus te diu beati Chri-
 stiani orbis servet! Orationem quam de Bri-
 tannica expeditione habui, mitto. quae si tibi
 non plane improbabitur, non me operam la-
 sisse putabo. ipsi expeditioni memoriae pro-
 dendae nunc accinger: sed sine ulla gustu-
 rum

rum rerum earumque causarum monumentis, nihil dignum luce potero scribere quae si quando haec grauisissima qua nunc distineris occupatione fueris defunctus, tuusque coetemporis esse, expectare me iubet a te tua humanitas & perspecta, in me dudum benevolentia, quam ut mihi seruare velis rogo. Vale Vir Illustrissime. Trai. d. 7 Mai. 1689. Qui haec feret., Benjamin d'Aranda, floret ingenio, probitate & doctrina, ut dudum eum magni fecerim.

Viro Reuerendiss. & Illustriss. Charles-Maurice le Tellier

S. P. D.

I. G. Graevius.

Epistolas Tullii ad Atticum mea cura cultius editas & Serenissimo Delphino inscriptas tibi mitto. hanc occasionem arripui testificandi summam meam obseruantiam, quam a longo tempore in te colendo mihi constitui, quique ut singulari tibi quodam pateret officio, dudum optaui. Non me deterruit excelsae fortunae, in quam te tua merita collocarunt, sublimitas. Nam fama virtutis tuae gentes ferre omnes peruagata te supra fortunam extollit, virtus autem tanta, cuius ut insignia & illustria documenta statuisti, non potest non amari & coli ab omnibus. Iam cum ceteris antecedit tuis decoribus praeclararum artium studi-

R

um

um, mihi ipsi perspectum & cum excellentis-
 simi Comitis Auauxi auctoritate in auctione li-
 braria supellectilis Heinsianae tibi anno supe-
 riore codices emerem, quos ad tuum muse-
 um ornandum desiderari significares, nec
 non incredibilis in eos, qui has literas colunt,
 humanitas: mihi persuasi, te hominis peregrini
 sed bonae mentis & liberalibus doctrinis de-
 diti preces non reiecturum, qui hoc vnum pe-
 tit, vt inter cultores tuos eum admittere non
 fastidias. Quod si consequetur, maximum ad
 suas fortunas ornamentum existimabit acce-
 disse. Sicut autem benevolentia tanti viri nihil
 amplius & honestius mihi potuit esse, sic nulla
 mihi cura erit antiquior, quam ne quis vlllo
 genere obseruantiae studii & obsequii, vbi eius
 declarandae dabitur facultas, in tui cultu & ve-
 neratione me praeuertat. Vale. Trai. 1684.

Duci Montauserio

& P. D.

I. G. Graevius.

Ante vnam alteramue hebdomadem fasci-
 culum librorum, fidei Harthamelii credidi,
 in quem conieceram exemplum quinque li-
 bellorum Ciceronis de officiis, quos cum meis
 tum alterorum virorum annotationibus illu-
 straram. Vnum Regi Christianiss. alterum Se-
 reniss. Delphino, tertium tibi. Reliqua duo
 destinaram Episcopo Meldensi & Sueslionensi,
 Adie-

Adieceram etiam nouissimam Luciani editionem Amstelodamensem, cui aliquid notarum adfereram, quam tibi mitterem tanquam obfidem meae obseruantiae. Tarde noui perferri ad vos libros, hinc & epistolas ad Regem Max. & Delphinum post demum exaravi, quas nunc Tibi Dux illustriss. mitto apertas, vt si dignas putas, quae Regi & Delphino reddantur, cum commodum visum fuerit, eis reddi iubeas. Hos libros inscripsi Delphino, non tanquam debendi reus, cui omnia Ciceronis opera debeo, sed vt gratiae voluntatis munere, pro praemio, quo me honestarunt, defungerer. Sequentur nunc orationes, si viuo, caetera Philosophica & Rhetorica. Misi aestate superiore tibi etiam Rutilij itinerarium, omnium qui in illo libello dilucidando elaborarunt, notis instructum, pauculas quasdam meas quoque mihi extorserat editor. Perferendum tradidi Heusdio, hinc ad vos domesticorum negotiorum causa proficiscenti, & si quid ad te vellem dare, sibi committi petenti. Nullus dubito, quin recte sit curatum. Hic literarum cultus, vt vbiq; fere gentium, friget maxime. Salmasii exercitationes, quas olim significauimus, breui prela relinquent, nisi eas morabitur tertius tomus ineditus, quem indies expectamus cum aliis opusculis posthumis, inter quos est quem lingua Gallica scripsit de militia Romana. illum filius edet breui. Verum cum ab illo tempore ratio linguae

Gallicae valde sit immutata: multi verentur, ne fastidiant illum lectores. sed speramus fore ut rerum dignitas & eruditionis copia pensatura sit dictionis obsoletae foetorem. Nescio an ad vos peruenerint Casparis Kinschoti poemata cultissima, qui ante 40 annos in ipso aetatis flore decesit, ex tenebris in lucem protracta sunt ante biennium. Nicolao Heinsio familiarissime usus est, ut partem bibliothecae illi legarit. In politissimis hominibus, quos Batavia tulit, est numerandus. longe politior doctiorque futurus erat, nisi acerba mors eum exemisset rebus humanis, antequam sua posset eliminare carmina. Pleraque tamen lectu sunt dignissima. Non diutius te moror. Hoc tantum rogo, ut tibi persuadeas, vigere in me tantum meritorum memoriam, quam quidem pati in me extingui, & viuere nec debeo nec possum. Ipse ante me obliuiscas, quam ex animo meo effluent, quibus tibi sum per omnem aetatem obstrictus, immortalia tua beneficia. Vale Dux Illust. &c.

Nobilissimo & Amplissimo Viro Gisberto
Cupero

S. P. D.

I. G. Graevius,

Nactus es homo beneficus, qui non in fama nec in gratiarum relatione, sed in tacita voluptate fructum omnem bene de aliis merendi positum esse decreuisti. nos tamen scimus

imus & semper agnoscemus tuae gratiae debere filium mandatam ei prouinciam, quamuis eam obeundi, tuoque beneficio fruendi aut nulla aut perquam exigua spes sit, cum eius valetudo habeatur a medicis conclamata, quae in dies ingravescit, ac corpus magis ac magis attemuat, viresque conficit. nos animum obfirmare studemus, ac moderate ferendum, quamcunque plagam nobis diuina decreta imposuerint. gratissima quidem illa erit, siue me, cuius ingravescens aetas in filii amore & subsidiis conquiescere poterat: siue mea, quae longo tempore bona literarum communium collecta in thesauris sunt, quae aut tineas pascent aut piper velabunt, aut longe lateque dispersa in aliorum manibus errabunt. Sed Deo non est oblectandum. Nunc ab hac tristi cogitatione animum auocant tuae literae, quibus iam anterespondissem, nisi me haec filii infirmitas retardasset, cuius gratia assidens haec exaro. Cum tibi probantur, quae in Seneca & Aristotele corrigebam nuper; facile me doctis omnibus probaturum existimo. In epistola Plinii nunquam quidquam mouissem, nisi & manuscriptum aduertisset me & editio optima, in qua legitur *paratissimi*, quod sine dubio recipiendum, cum *parcissimi* respuat loci sententia. quae & ipsa videtur postulare, vt & Oxoniensis codicis, in quo scribitur, illa nimirum studia *deferentis*, amplectamur scripturam. quia *deserens somnus* quod vulgati libri praese ferunt, non

R. s.

vide-

v detur accommodatum esse ad paratum. qui parati est somni potest dormire quando vult, & cui facile somnus obrepit, & qui propterea quod in manibus negotium est differt, siue in somnus facile postea deserat, siue non. ad paratum somnum non pertinet, sed ad somnum leuem, ex quo facile expergiscimur. non puto illum posse dici parati somni, qui facile dormit & facile expergiscitur, sed eum tantum, qui difficulter in somnum incidit. De Ancilibus, quot diebus circumlata sint, merito ambigis, damno sententiam quam auctoritate Casauboni permotus secutus sum. non circumgestos fuisse illos rubigenos clypeos per omnes Martii mensis dies, docet clare Ouidius, qui illos coepisse moueri ad d. 5. Non. Mart. cecinit. Kalendarium quidem tempore Constantini concinnatum illi primo motui Anciliorum assignat. A. D. 7. idus, sed credendum Nasoni, qui haec quae quotannis viderat, non poterat ignorare. Praeterea si hi clypei ad 7 Idus fuerunt moti & mamuralibus conditi pridie idus Martii, vt idem Kalendarium innuit, per sex tantum dies fuerunt in publico visi. sed Dionys. Halicarnassaeus ait εορτην fuisse Δημοκρατην επί πολλὰς ἡμέρας ἀγόμενην. Quando reposita fuerint Ancilia in sacrum Martis, dubium plane & incertum nam si verum non esset, quod Heruerti Kalendarium prodit: mamuralia incidisse in primum ante Idus, constat sane ex Dione Cassio

tem-

tempore Iulii Caesaris, illo die illius anni nondum ea fuisse Ancilia condita. Narrat enim is, ut tu ipse notavisti in observationibus, Ancilia nocte, quae praecessit eius caedis diem, fuisse in illius aedibus. Occisus autem fuit, ut nemo nescit, idibus Martiis. At si mamuralibus fuerunt relata in Martis templum, non potuerunt illa nocte esse in pontificis maximi aedibus. Ex Ottonis quoque Imperatoris vita liquet, mamuralibus non fuisse condita ancilia. Suetonius in cap. 7. scribit. Expeditionem autem impigre atque etiam praepropere inchoavit, nulla nec religionum cura, sed & motis nedum conditis ancilibus. mox vero addit, illum diem, quo suscepit expeditionem fuisse diem, quo cultores Deum maris lamentari & plangere incipiunt. hic est ille dies qui in saepius laudato Kalendar. vocatur dies sanguinis, qui incidit in A. D. IX. Kal. April. sed ante decem dies iam condita fuerunt ancilia si mamuralibus fuerunt condita. quamvis vero dierum numerus, quibus saltarunt in publico Salii cum ancilibus in tanto veterum silentio definiri non possit: ex Othone tamen Suetonii liquet, non longe ante Mensis Martii exitum nondum condidisse illi sacerdotes. videtur igitur totus Mens. Mart. illi festiuitati fuisse sacratus, quamvis & alii festi dies in illo fuerint sacrati. Saliis autem habuisse mansiones Romae, ubi tempore, quo ancilia circumferebant, noctu manebant, & quo-

que epulebantur: in illis vrbibus in regionibus ex loco Critolae apud Festum apparet, ac ex illo vetusto titulo, quem docte in observationibus explicat. Nam Salis, vt Dionysius Halicarn. laudato loco ait: *αἴματι τῆς πόλεως* *εἰς τὰ τῶν ἀγορῶν, καὶ τὰ κλισίαι, καὶ πύλαι* *αἰδῆς ἰδῆς καὶ θυμῶν τῶν τετυχέντων*. cenſeo fuiſſe illas mansiones & loca circa, inter quas etiam fuit domus Pontificis maximi. Nam ancilia quae interdum ferebantur per urbem, debebant in aliquo loco noctu ſeruari, antequam referrentur in Martis ſanctuarium. Apud Feſtum per omnes dies intelligi credo dies, quibus ancilia cum tripudio circumferantur. Locus Polybii ipſi Caſaubono fuit ſuſpectus (vt ex appoſita miniaturula ſic infauſtum illud ſignum mihi appellare fas ſit,) licet cognoscere. Exiſtimo autem exaratum ante mota Ancilia irieſiſſe Hellespontum, ſed Imperatorem negotia quaedam retinuiſſe in Europa, ne cum exercitu in Aſiam tum tranſiret, praefertim cum nullum eſſet in mora periculum, hoſtilibus copiis tam longe remotis. Interea cum incidet dies motorum ancilium religione deſinctum & Imperatorem, non antequam cecidit eſſent illa, ſuſtinuiſſe tranſfretare, & ipſum exercitum non longius progredi. non auſim affirmare iſtud ---- eſſe a manu Polybii. Itaque & Caſaubonus in verſione illam vocem omiſit & in annotationibus ad Suetonium ait, vt affirmare videtur Polybius. Si extaret ille

illo locus Polybii, ad quem nos reiecit, cum ait
καθ' ὅσον ἴμιν περὶ τῆς πολιτικῆς εἰρημίας. mi-
 nus credo nunc laboraremus. verum nunc
 isto Catone finis contenti: donec explora-
 tiora nobis dies aperuerit.

De Amazonica Pelta, de cuius figura non ma-
 gis antiqui scriptores consentiunt, quam de na-
 vali Homeri solo, locus Plutarchi est ambiguus.
 nam posset subaudiri *χιμα* vel *χιμα*. Tibi
 tamen assentior in verbis *ὅτι τὸ ρομβοειδὸς.*
 intelligo locum qui erat in via ad *τοὺς καλαμῖνοις*
εἶναι. Nam si ad *Θουρα* referretur: scribendum
 erat, ut recte vidisti *ὅτι ἐν ῥομβοειδῆς.* Lexi-
 ca nihil faciunt ad *τὸ ρομβοειδὸς χιμα* pelta-
 rum Amazoniarum adstruendam. Loquitur
 enim de clypeis quadratis communibus. In
 calendario ab Herwartio primum publicato,
 quae leguntur ad Idus Mart. *Canna intrat,*
 multa pulchre observasti, pro quibus pluri-
 mum tibi debeo. Recte quoque vidisti de
 navigio *Isidis* ista non posse intelligi. mi-
 hi, si scriptura illa calendarii recte se habet,
 per *τὸ Canna intrat* videtur denotari festiuitas
 Annae perennae 1) quia illa incidebat in Idus
 Martias Ovidii III. Fastor.

Idibus est Annae festum generale Perennae

Dein quia in illa festiuitate populus non longe
 a ripis Tiberis ad Annae Perennae lacum ter-
 ritoria fruitur Cannis s. arundinibus O-
 vid. ibid.

R 5

Sub

Sub Ioue pars durat. pauci tentoria ponunt
 Sunt quibus o ramis frondea fulta casa est
 Pars sibi pro rigidis calamos statuere colu-
 mnis

Desuper extensas deposuere togas.

Hi calami sunt cannae, quas defigunt ad casu-
 tas illas excitandas. mihi tamen videtur locus
 menda contaminatus & scripsisse illius aucto-
 rem. Anna intrat h. e. celebratur tum Annae
 introitus in Italiam, quia ibi Ovidius copiose
 describit aut Annae Bouilanae, de qua ibidem
 ingeniosissimus vates. De loco Glossographi,
 in quo scribitur: *Κανα πανακεια* *Θι* *Πολια*
 succenseo, sed non tanquam consularis ve-
 rum tanquam pedaneus: qui, si tibi haec sen-
 tentia improbabitur non inuitus in alia omnia
 ibit, per *πανακειαν* intelligi Deam salutem,
 quae hominibus affert incolumitatem, vt vi-
 geant & floreat. quae Dea in sacramento Hip-
 pocratis iungitur Apollini, Aesculapio, Hyge-
 nae. *Απολλωνα ιατρον και Ασκληπιον και πανα-
 κειαν.*

Haec *πανακεια* eos, quibus fauet, ad lon-
 gam senectutem prouchi, vnde dicitur *πολια*
 h. e. cana quod homines reddat canos, vt pal-
 lida mors quae reddit pallidos. Si has duas
 vltimo loco politas sententias tu non damna-
 ueris: non videbor operam mihi luffisse. si
 meliora: applaudam tibi gaudeboque me, quae
 ignorabam, te doctore didicisse. Habes nunc
 etiam mantissam. Cum caput in tuis obser-
 ua-

uationibus de ancilibus percurrerem : locum Minutii , quem ibi expendis , accuratius ipse quoque inspexi. Recte castigas Wowerium. mihi videtur illis verbis *pelles caedunt* aut praepo-
nendum esse ; quod oscitantia librariorum intercidit , *alii aut duo novis* , quod tamen durius-
culum repellendum. loquitur de triplici ge-
nere sacerdotum *nudi cruda* hieme discurrunt. Hi sunt luperci. alii incedunt pileati , scuta vitrea circumferunt. Hi sunt Salii. De illo-
rum pileis omnia trita. alii pelles caedunt men-
dicantes vicatim Deos ducunt. hi sunt Galli , qui tympanum percutientes , Deam matrem *supem* mendicantes circumferunt. De his apud te plura verba non facio , ne noctuas Athenas. Tuo autem iudicio

Omnia stabunt cadentque
De Polluce & Hesychio scripsi ante duas tres-
ve hebdomades Nicasio &c.

Duci Montauserio.

S. P. D.

I. G. Graevius.

Diu literarum officio non sum functus, Dux Illustrissime, non obliuione immortalium tuorum in me meritorum, quorum memoria non modo viget apud me vigebitque quamdiu mei in me memoria vigebit, sed illa me quoque tanquam acris & assiduus flagitator quotidiano quasi conuicio vrget & appellat, ne quid praetermittam, quo gratus animus,

mus, summaque mea erga te obsequentia, tibi caeterisque omnibus sit testatissima: nihil mihi dabatur argumenti digni epistola ad Te, quem inanibus literis saepe obtinere, nec sinebat moles occupationum, quibus obsideris, nec meus pudor eaque quae in te colendo mihi constituta est religio. nunc vero libellos Meurlii de Regibus Lacedaemoniis, & de Piraeo portu, nec non eiusdem Chrestomathiarii Helladii, quos hic edi iussi, ad te peruenire sine literis meis nefas duxi. eorum perferendorum curam in se suscepit Mauritius Trillerus, iuuenis Germanus, qui hanc urbem transiens Lutetiam contendebat. Sed accelerantem istae epistolae sequentur, aut anteuertent, si in via, vt fit, tempus longius duxerit. adiati duo exemplaria, quorum alterum Meldensi alterum Episcopo Suessionensi debeo, quae in tuum me coniecisse fasciculum vobis ad illas literas, ne inique scitis quaeso. sequetur cis paucas hebdomadas Cicero de officiis, & qui iis solent subnecti libri de senectute, de amicitia, paradoxa & somnium Scipionis, indices, & ad Serenissimum Delphum epistola. Dum omnibus vltima manus fuisset imposita, nisi notas ineditas Latini Latini nos iussissent expectare amici Itali, vti & Germani antiqui codicis excerpta, quae in Brandenburgensis Principis bibliotheca dicuntur extare. sed lactatus sex septemue menses, praecisis omnibus moris, cunctari longius nolui. illa subsidia
 si

si mihi tradentur, vbi editio nostra fuit consummata: seruiant curis secundis. Simulac hic tomus lucem adspexerit, accingentur orationibus Tullianis edendis. Lucianus qui est totus impressus ante tres menses cum annotationibus Burdelotii, Palmerii Grantemelini, Tanoquil Fabri, Messagii, nec non notis meis & Jacobi Gronouii, premitur tamen adhuc illam autem editionem retinet vetus Graecus Scholiastes ineditus ex Ioh. Vosii bibliotheca descriptus, qui paucos ante dies demum Amsterodamensis bibliopolis ex Anglia missus est. videri Heinssiorum, quod nondum iuris publici est facta, remoratur domesticae quoddam eius familiae incommodum, quod haereditas sperant breuius motum iri, vbi liberi solutio fuerit hac cura, non solum quaedam viris eruditissimis mandauit literis, sed & quas posthuitas in Virgilium, Propertium, Valerium Flaccum, Silium Italicum & plerosque poetas optimas reliquit annotationes, nec non epistolas & poemata multis modis emendata & aucta publicari permittent. idque vt fiat, operam dabis. obiit nuperius Guilielmus Goësius, senator Hagensis affinis Nicolai Heinsii, relictat bibliotheca multis iisque libris optimis instructa. Catalogum ad te vt mittant, liberis ante mensem auctor fui, non dubito illum tibi redatum esse. si quid occurreret in eo quod tuis vltibus vindicare velis, mihi si mandaueris promptus tua iussa capessam. ea cura mihi erit antis

quis

quissima vt tuae voluntati satisfiat, nisi em-
 tores animosiores iusto infaniuerint. D. 8 Apr.
 Gregoriani Leidae subiicietur haec bibliotheca
 voci praeconis. Grande volumen Hugo-
 nis Grotii non ita pridem luci commissum vi-
 didisti credo. nunc Anthologia graecorum poe-
 tarum, quam Grotius latine vertit, perelegan-
 ter secutus vbique idem carminis genus, quae
 Graeci sunt vsi, accretet prela vt & Salmasii exer-
 citationes Pliniana cum accessione. Tertio
 Tomi, qui nondum est in manibus hominum,
 si spem & fidem datam non fefellerint senato-
 res Diuionenses Latinus & la Mare. modo in
 publicum emergit Gisberti Cuperi Harpocra-
 tes: siue explicatio eruditae icunculae Harpo-
 cratis, quae in celebri museo Smetiano Neo-
 magensi seruatur. olim quidem ante hos de-
 cem annos dissertationem de hoc pulcherri-
 mo Harpocratis sigillo diuulgarat, sed nunc
 infinitis accessionibus & antiquis monumen-
 tis eam auxit & illustrauit, adiecitque inscri-
 ptionum & numismatum nondum in publi-
 co visorum notitiam, quae dilucidauit. Cum
 haec scribo, literas ab illo accipio, quibus signi-
 ficat, marmora pulcherrima graeca ex Asia ad
 se perlata commodum esse cum inscriptioni-
 bus exquisitis, quarum vnum mecum commu-
 nicat elegantiae mirae. sed iam nimius sum &
 tua tempora iusto diutius moratus, in bonum
 publicum pecco, cui te totum deuouisti. Sed
 nunquam sustinuissem facere, nisi aeque tibi
 lite.

literariae quam publicae rei commoda cordi esse & vtriusque esse columnen infinitis argumentis declarasses. Deum ter optimum maximum veneror, vt vtriusque bono diutissime firmus valensque sis superstes, quod si mihi o grande decus praesidiumque meum bene velle perges, nihil ad felicitatis summam accedere posse, mihi persuasi. Trai. ad Rhen. d. 3. Mart. 1687.

Illustrissimo & excellentissimo Viro Eberhardo Danckelmanno

S. P. D.

L. G. Graeuus.

Non dedignaberis, quae tua est in tanta dignitate incredibilis comitas & in me benevolentia singularis, accipere hoc meae perpetuae in Te obseruantiae pignus. Cum olim mihi deliberatum fuerit publico quodam monumento testatum omnibus facere, quantum ego, qui satis tuam virtutem & merita in publicam rem mirari non poteram, in Te venerando mihi constituiffem pietatem, non potui non hanc occasionem, dum hic thesaurus antiquitatum Romanus diulgatur secundis auspiciis quasi mihi ostentam arripere, me ipsum huius voti compotem facendi. Quod si id tam laeta fronte exceperis, quae me olim excepisti, tibi que persuaseris, hanc unicam esse huius munituli Tibi offerendi causam.

fam

fam, vt tibi documentum fit, nullum esse mortalium in tanta turba hominum imo populorum, obseruantia qui te ipsum non tuam purpuram magis colat & tuum excessum animi. Tuamque mirificam solertiam, prudentiam & constantiam in tot remotissimarum gentium rebus procurandis & constituendis; tua demique infinita in rem tam Christianam quam heterariam beneficia magis suspiciat & veneretur, quam me, quod maxime dudum optauim, me consecutum esse putabo. Deum quaeso, vt te diu incolumem indies magisque cumulet dignis tua virtute, tuisque quas sustines boni publici causa, curis & laboribus cumules & praemiis, vtque in primis sincerum & diuturnum capias gaudium ex omnibus tuis liberis. Vale vir illustrissime & mihi bene velle perge. Trai. d. 3. Mart. 1696.

Aegidio Menagio, Viro illustri

S. P. D.

I. G. Graeuus,

Quae mecum communicasti de tenebris Heinſii aetate gratissimas habeo. Ad Bigotium denuo literas dedi nuperrimas, quas tabellariis Lutetiam perferendas commisi, & quidem ad monasterium diuacronicae, quo illas curari iusserat. Nullas dubitare esse qui procurent illic eius negotia & hanc epistolam Rhotomagum mittant. Praestantissimi

simi

limi Viri vices doleo, cum tot occupationibus
 districtus sit, ab ingenio satis, quantum augura-
 ri licet, alienis. Illustrissimo Duci Montaufe-
 rio Heinlii, simulac e viuis exceſſerat, mortem
 ſignificauit. Cum autem hic rumor eſſet, il-
 lum cum Rege & diſciplinæ ſuæ alumno in
 Germaniam profectum eſſe, literas illas com-
 mendauit Excellentiffimo Memmio, qui vnas
 ad me miſerat. Sed cum eas intercidiffe in-
 tellexerim ex tuis, ne poenas alienæ culpæ
 huius, illico alias exarauit, quas recte ſpero red-
 ditas eſſe. Hoſouius, quem narras in noſtras
 terras, exeuſurum, ueniet expectatiſſimus.
 Omne ſtudii & officii genus, quod ego potero
 nauare, promptum a me paratumque erit ami-
 co tuo. Nihil enim optatius mihi accidet,
 quam ſi facultatem mihi fortuna dederit, testi-
 ficandi, quanti te, & quos tu amas, faciam. Ne-
 minem enim amare potes, niſi quem ingenii
 præſtantia, morumque integerrimorum ſua-
 uitas ſupra vulgus euexit. In carmine tuo,
 quod volebas ex - - - & ex tua ſententia
 emendauit &c. Hic annus ſane rei literariæ
 valde funeſtus eſt, extinctis eius luminibus.
 Origines Italicæ videbo cupidiffime. Cum pa-
 triæ tuæ ſatiſfecerim in hiſtoria illius literis
 mandanda, Diogenem Laertium cura profe-
 ras, vt tot hominum eruditorum ſpes, quam
 concitauit, expleatur. Vale *χαρισται* & me
 amare perge.

S

Da-

Danieli Hueticio

S. P. D.

Ioh. Georg. Graevius.

ET si nullam nouam scribendi sententiam
 inueniam, cum quae in tanta solitudine &
 orbitate hominum apud nos literas colentium
 narrare possim, contriuerim in epistolis, quas
 non vnas & hoc & superiore anno miseram ad
 Te, quasque si non omnes, saltem quas amici
 communi Fennonio commisi, curatas recte
 credo: malui tamen, in nullo argumento epi-
 stolam exarare, quam diutius cruciari & angis-
 cum nullare magis triumphem, quam amore
 tuo, tam multis rebus mihi ante perspecto, fa-
 cile per te vides, quam me sollicitum habes
 tam altum silentium. non enim mihi possum
 persuadere me temere a te plecti, quamquam
 immerito plectar. Sustentor enim conscien-
 tia perpetui mei in te studii, quod - - - vbi que
 & omni tempore & sermone praec me tuli.
 Vereor tamen ne quid te immutarit. Haec
 me sollicitudo vexat, vrit dies noctesque. Do-
 nique nisi me illa leuabis, mori me coges.
 Qui enim vitare possim illius amore defraus-
 datus, quem sic amo, colo, obseruo, vt hic se
 me, maxime oderit. quod omen Deus vertat
 in Scythas. eius tamen amorem omnibus re-
 bus anteferam. Si quae igitur pristinae tuae
 in me voluntatis reliquiae supersunt, fac quae-
 so ne diutius tuas literas desiderem. Si tot
 nego-

negotii circumfessus non potes vacare longis
 literis scribendis, tres versus . . . me mihi
 reddenti. Ita ipsa vobis, qua me tuae per-
 fundere heres, si cum tua molestia fuerit
 obliuiscatur, mihi esse infuans. **Alia nunc
 nihil addo. Vale.**

Excellentissimo & Perillustri Viro D. N.
Manselstoo.
S. P. D.
Ioan. Georg. Graevius.

Serenissimus Princeps Christianus Alber-
 tus magnis assibus contendit ad auita-
 rum paternarumque laudum fastigium. Om-
 nibus iis artibus, quibus Princeps huius ac-
 tibus ad tam excellēae fortunae, ad quam nati
 sunt cultum informari possunt, apud nos im-
 buitur magno cum profectu. Stimulos ad-
 mouere currenti, cum mihi in hac Academia
 dare operam voluerit, nullos acriores posse
 visus sum ad salutaris Principi doctrinas im-
 bibendas, quam si illos libros ei commenda-
 rem, qui semper & propter maximam utilita-
 tem & summam elegantiam fuerunt in deliciis
 Imperatoribus, Regibus & magnis Principi-
 bus. Inter latinos huius notae facile primum
 locum tenent isti Ciceronis de officiis homi-
 nis libelli, quos tantopere Vespasiano commen-
 dauit Philius, Vir consularis & magnus Dux
 exercituum optimo Caesari, & quos Alexan-

der Severus nulli Imperatori secundo semper in sinu fuit. Hoc meo studio recensitas non indiligenter & pro mea copia illustratos Sereniss. Christiano Alberto consecravi, monumentum perpetuae meae in maximae spai Principem obseruantiae & cultus. Si illud consilium tibi Vir Excellent. probabitur: magnum meorum laborum fructum me tulisse putabo & valde lactabor, si inter tuos cultores me admittere dignaberis, sique ego facultatem & occasionem inuenero in his terris vlllo genere studii, officii & obsequii tibi restatum faciendi, non esse inter eos qui te colunt & obsequant

Perillustri Nomini Tuo

ad omne ministerium addi-
ctiorem &c.

Excellentiss. & Generosiss. Viro N. N.

S. P. D.

I. G. Graevius.

Marci Tullii de officiis libros, qui quid homo debeat Deo, patriae, magistratibus, civibus, parentibus & cuius homini, cuiuscunque gentis & sortis, rationis participi docent luculentius, quam vllius Philosophi libri. imo, si praestantissimorum quorundam Theologorum auctoritatem sequimur, Christianorum de hac doctrina morali praecepta
pau-

pauca habent aequalia, superiora vix vlla, inscripsi Christiano Alberto, qui in hac vrbe sub mea quoque disciplina in spem patriae vestrae & decus auitum Serenissimae Prosapiae totiusque Germaniae ornamentum adulescit. Non potui quin & ad vos, quibus commissa est cura & tutela populi, Serenissimo Principi subiecti hos libros mea cura recognitos & dilucidatos mitterem. Spero hoc deuoti mei animi pignus in expectationis maximae, quam de se apud omnes qui illum vident, concitauit, Principem, vos tantae dignationis & sapientiae viros non dedignaturos, cum pro fortunae meae ratione nec maius, nec huic aetati eius accommodatius & fructuosius quid offerrem, inuenirem. Deum Opt. Max. precor, vt vestra consilia vestramque publicae rei procurationem prosperet, vtque vestri Principes ad vos optimis disciplinis instructi salui & incolumes redeant: Vestro & totius populi bono & perpetuo gaudio

Excellentissimae vestrae dignitatis

cultor & cliens ad omne obsequium deditissimus

F I N I S.

S 2

APPEN-

APPENDIX
 EPISTOLAR. MAIORAGII

Amplissimo atque Illustrissimo Viro Francisco Sfondrato, Senatori & Consiliario
 Caesaris clarissimo

S. P. D.

M. A. Maioragius.

Vide quam mihi persuaserim tibi grata esse, quae facio omnia, & ea praecipue, quae ad mausuetiores musas pertinent, quibus tu mirifice delectaris, ut caeteras tuas eximias ac prope diuinas virtutes, haec vna laus maiorem in modum exornare videatur. Accesseram nuper in forum, quo mihi rarissime per occupationes meas licet accedere: cum iuuenis quidam ex his, qui me publice profitentem audiunt, familiaris ac necessarius meus mihi libellum attulit, quem nunquam antea videram, in quo mira quaedam se legisse dicebat, & ante eum diem inaudita: nempe Ciceronem in officiis quinque & viginti locis a Coelio Calcagnino notatum & reprehensum. Ego qui Ciceronem ab ineunte adolescentia semper feci plurimi, & cum caetera fere omnia, tum illud praesertim opus de officiis legendo & interpretando paene contriui, coepi ridere Momi illius insaniam, qui in tam eleganti & venusto corpore speraret aliquid inuenire se posse, quod iuste reprehenderet. Sed tamen ea mihi

legen-

legenda quae notauerat, existimaui, vt si quid esset argute dictum atque ingeniose excogitatum, laudarem hominis acumen & ingenium, temeritatem improbarem. Non enim mihi persuadere poteram, in tam praeclaro opere reprehensione dignum quidquam inueniri: nec fas esse ducebam, hanc maculam in Cicero-
siano nomine diutius insidere, atque inueterare. Quamobrem eo animo derepente libellum arripui, vt ab iniusta, si fieri posset, accusatione patrem eloquentiae liberarem. Quod certe, multis approbantibus, satis feliciter effecisse mihi videor. Nam quamuis essent multa tam ingeniose atque acute excogitata, vt non tantum probabilia sed etiam vera viderentur, eis praesertim qui dialecticis imbuti non sint: ego tamen omnia tam facile defendi, & rectissime dicta probaui, vt a nemine sit amplius dubitandum. Quam lucubratiunculam meam tibi dicendam esse censeo: vel quod te semper Ciceroniani nominis amatorem & studiosum fuisse cognoui, vt tibi gratissima haec mea sedulitas sit futura: vel quod ego neminem habeo, quem magis quam te sperem aliquando studiorum meorum fautorem atque amplificatorem fore. Nam ex quo die te cognoui, semper erga me magnopere propensam atque inclinatum voluntatem tuam animaduerti. Quam spem & cogitationem de te meam auxit vir clarissimus Franciscus Crassus: qui cum non ita pridem Mediolanum reuertisset, ab ea Sena-

rum administratione, in qua tantam dignitatem & gloriam consecutus est: de animo tuo & de sermonibus, quos de me frequenter haberes, mihi narravit. Maxime vero confirmatus sum, postquam tu Mediolanum proxime reuersus, me tam humaniter excepisti, cum ad te venissem salutandum, & tam familiariter sermones mecum contulisti. Itaque sum ingratisimus, nisi te supra mortales omnes colam, atque obseruem, cum praesertim tantae sint ingenii tui suauitates, tantae dotes, de quibus dabitur aliquando mihi copiose tractandi facultas. est enim magnus laudum tuarum campus, in quo exultare facile possit oratio. Non a te quaeso vt attente beneaque cum venia de cisiones has meas, quibus Ciceronem a Calcagnini criminibus liberaui, perlegas: quae vt spero ac opto, tibi gratae erunt ac iucundae. Vale. Ex aedibus nostris VIII. Id. Iul. MDXLIII.

M. Ant. Maioragius Coelio Calcagnino.

Si te magnam dicendi facultatem studio & disciplina comparatam habere viderem, Calcagninae, vt eleganti verborum splendore & sententiarum grauitate locutionem exornare & Ciceroniam dicendi maiestatem aliqua ex parte referre videreris: omnino te ingrati animi atque ipsa malitia ieiuni accusandum ac dammandum esse censerem, quod eum eloquentiae magistrum & suauissimae dictionis artificem, per quem egregie profecisses, tam per-

perfidiose ac nefario sine causa vituperandum atque infimulandum ignorantiae nomine suscepisses. Erumpet enim ex me vera vox & dicam aperte quod sentio, ut volet, quisque accipiat. Ego non aliunde iudico quam ab uno Cicerone latini sermonis candorem atque eloquentiam comparari posse, sed cum a Romanae dictionis proprietate & castimonia loquendi genus tuum tam alienum esse videam, ut alium potius quemuis auctorem quam eum, in quo totas vires sanis experta est eloquentia, legisse videaris: non iam te ingrati animi sed temeritatis, & audaciae potius condemnandum esse iudico. Nam quid magis audax, aut temerarium esse potest, de Cicerone iudicium ferre voluisse? cuius admirabilem eloquentiam, incredibilem scientiam, divinam intelligentiam, ne primoribus quidem, (ut dici solet) labris degustaris? Poterat te sane consensus omnium eruditorum, uno ore Ciceronem approbantium, ab improbitate tanta revocare; poterat te revocare de Ciceronis eminentissima scientia, singulari iudicio, admirabili rerum omnium cognitione, confirmata tot iam saeculis opinio. Sed nimirum immoderata quaedam atque inanis aucupendae gloriae cupiditas, quae saepe numero sapientiores etiam homines facile transversos rapit, tuum pectus titillavit. Credebas enim, ut opinor, futurum, ut per hanc improbandi tam egregii auctoris occasionem nomen tuum disseminaretur

tur in orbis terrae memoriam sempiternam.
 Verum ista tua tam effraenata gloriae cupiditas
 te omnino frustrata est. Nam si quid apud
 eruditos homines, quae semper plurimum
 potuit, hoc etiam tempore veritas potest, effi-
 ciam profecto hodie, ut omnes intelligant
 te nullum penitus in iis rebus, in quibus Cice-
 ronem accusas, habuisse iudicium. At etiam,
 si diis placet, Albertam, nescio quem, virum
 credo bonum & eruditum, tibi patronum aq
 defensorem paras: perinde quasi possit alii
 quis diutius tueri falsitatem, ac non ipsa per
 se veritas elucefcant: aut si Albertus ille caus
 aliqua polleat eruditione, non sit vna mecum
 temeritatem tuam improbaturus. Nam quan-
 to rectius a te factum esset, si quas fortasse non
 intelligebas, aut de quibus aliquo modo dubi-
 tabas, ea cum Ciceroniana Philosophiae stu-
 diosis aliquibus communicasses? Facile est
 damnare quae non intelligimus: sed haec
 imperitorum consuetudo. Turpe est autem
 homini literato tam facile contra iam omnium
 consensu probatos auctores & tam temere ver-
 ba facere. Nam e duobus alterum omnino ne-
 cesse est, ut aut caeteros omnes, qui iam pridem
 in manibus opera Ciceronis habuerunt, impe-
 titiae condemnes, quod hos, ut tu appellas, er-
 rores non aduorterint. Te vero unum scilli-
 cet omnium ingeniosissimum & perspicacissi-
 mum credas, qui tanquam syncens quidam ea
 videas, quae caeteri nunquam videre potue-
 runt:

runt: aut si caeteri non nihil erroris subesse cognouerunt, neque tamen improbarunt, te omnium auctadissimum profiteris. Quod utrumque sanè & vitiosissimum est, & intolerabilis arrogantiae. Omnino vel huius vel illius vitii culpam subire tibi necesse est. Vtrum ma-
 nis elige. Quamuis ego te & accusandum & de-
 mandandum utroque crimine statuo. Primo,
 quis tantam tibi scientiae persuasionem indu-
 cis, ut omnium iudicio tuum iudicium ante-
 ponas: quod summæ est arrogantiae. Dein-
 de, quia totius eloquentiae parentem, nefarie
 ac parricide sine causa laceras: quod incre-
 dibilis est audaciae. Sed iam ad disquisitio-
 nes tuas veniamus, & singulatim omnes dili-
 gentissime perpendamus, atque examinemus,
 ut notum fiat omnibus, quam insulse atque in-
 uita Minerva Ciceronis propugnatrice ac pa-
 trona diuinum hoc opus de officiis carpendo,
 Deum oratorum imperitiæ condemnare vo-
 lueris.

Magnifico & illustri Iure-Consulto
Friderico Adduensi, Patricio Mediolanensi
S. P. D.
M. Anton. Magoragius. *)

Alexander ille magnus, ut memoriae pro-
 ditum est, in amicorum familiari colloca-
 tione frequenter affirmare solebat, se magis A-
 risto-

*) Dedicatōnis loco præmissa hæc est epistola scripta
 in responsum eius contra Nizolium emissis.

aristoteli , quam patri Philippo debere : pro-
 pterea , quod hic tantum , vt esset , effecisset il-
 le vero vt bene esset . Hunc tu , Ferdinando sua-
 uissime , tam praestantis & inuictissimi regem
 imitatus , non aliter atque parentem me quon-
 dam praeceptorem tuum ita obseruas , vt lon-
 ge maiorem dignitatis meae curam , quam tuae
 ipsius salutis habere videaris . Vidi equidem
 saepius te quodam incredibili exultare gaudio ,
 cum ab aliquo laudari me vehementer audires .
 vidi etiam te maiorem in modum aegre ferre ,
 si quenquam aliquo modo de fama mea detra-
 here intelligeres . Sed nihil unquam te gra-
 uius tulisse animaduerti , quam cum illam Ni-
 zolii tam contumeliosam in me Antapologiam
 legisti : quam statim exclamasti , non calamo
 sed rabie , non atramento , sed veneno , non
 in membrana , sed in atra bili conscriptam ab
 eo fuisse . Ac mihi quidem cum gratissima sit
 atque optatissima tua ista tam incredibilis in
 me obseruantia : quamuis Nizolii conuicia ,
 praesertim falsis & ab inimico animo profectis ,
 nihil omnino commotus fuerim : tamen visum
 est , quamprimum a me fieri potuit , illi respon-
 dere , cum vt dolorem tuum , quem ex ea rece-
 pisti , minuerem , tum etiam vt honorem me-
 um ab eius calumniis liberarem . Sed ita ta-
 men responderè volui , non , vt eius in malodi-
 cendo procacitatem & importunitatem imita-
 rer , sed vt verecundiae modestiaeque meae
 meminissim : neque vt conuiciis , quemadmo-
 dum

dum ille, rusticorum more, cum eo certarem,
 sed (vt literatum decet) verissimis rationibus
 & argumentis mendacia eius refutarem. Et
 quo magis etiam religionem meam admireris,
 quaecunque in illum mihi dicenda fuerunt, o-
 mnis Ciceronis auctoritate, cuius ille se patro-
 num fingit, confirmare volui: neque vsquam
 a Ciceronis sententia discessi. quod mihi sane,
 cum in multis aliis rebus exultare posset ora-
 tio mea, & ad dicendi copiam inutile & ad
 probandi rationem per quam difficile fuit. Sed
 quoniam ille me nimis insolenter ac sine ratio-
 ne Ciceronis figuris appellarat, ostendere vo-
 luit, longe diligentius opera Ciceronis a me
 lecta fuisse, quam ab eo, qui magnum illud ex
 Ciceronis operibus observationum volumen
 suo nomine iam pridem emiserit. Accipe igitur,
 mi Ferdinando, doloris tui, quem ex Ni-
 zolii maledictis in me concepisti, remedia at-
 que solatia, duos reprehensorum libros, iocis
 potius & urbanitate, quam indignis libero ho-
 mine conuiciis refertos, in quibus multa &
 magna videbis in Nizolii scriptis diligenter &
 vere a me reprehensa & accurate, non quidem
 illa philosophorum subtilitate, sed hac oratoria
 nostra facultate disputata. quae cum studiosis
 omnibus ac bonarum literarum amatoribus,
 spero fore gratissima: tam in primis tibi, qui
 nostris rebus adeo delectaris, vt, quaecunque
 a me proficiuntur, diuini prope laudibus
 ad coelum efferas, & qui liberalium artium
 adeo

adeo studiosus es, ut in ista tam iuuenili aetate longe natu maioribus antecellas. Quis enim orationem illam tuam de iure ciuili tam erudite, tamque ornate conscripisti, legens, non vehementer verborum splendorem, & sententiarum gravitatem & abditarum rerum scientiam admiretur? quis carminum tuorum acumen & elegantiam non suspicit? At vero isti tam rarae doctrinae tuae, tamque comitae, & que affabilitas sermonis adiuncta est, ut omnium tibi hominum voluntates facile adiuuantes, & ad te amandus. Quodammodo vel in ista atrahas. Quid de summa liberalitate, vel pietate magnificentiæ tuæ dicam, quam eam diligenti in omni vitæ tuæ ratione, tunc esse summatim in Patavio gymnasio duobus annis superioribus ostendisti: cum summo totius gymnasii consensu, & que vno omnium ore Rector studentium iuuenum ac princeps creatus fuisses, quis non istum animum, & iuuentur magnificum, tam splendidum, & patrie dignum regnum obstupuit? quis non in regendis tot nobilissimorum iuuenum animis summam suspexit in iuuenili aetate prudentiam? Sed quid hæc commemoro, quæ in dies in te sunt & maiora & illustriora? Veniet, veniet aliquando tempus illud, & illucescet illa dies, cum tu Reipublicæ nostræ gubernacula tenens civitatem hanc virtutum tuarum magnitudine felicem ac beatam efficies. Interim perge quo coepisti, pede, summo labore atque industria te tuamque fami-

familiam iam pridem illustrem, etiam illustriorem reddere. Nos vero, quemadmodum hastenus fecisti, perge amare & obseruare, atque hos in Nizolium libellos, quos ideo sub tuo nomine apparere volumus, quia tibi iucundissimos fore non ignoramus: toto, quod uiuunt, corpore atque omnibus uinguiculis, tanquam clientes tuos tibi tuendos ac defendendos existima. Vale.

P.S. Quae de enthymemate rhetorico sunt a nobis secundo libro septem capitibus disputata, ea quoniam & noua sunt & utilissima, uelini attentiori anima perlegas. Caetera, quae facilia sunt, & ideo fortasse iuuentiora, tuo arbitrio perstruas licet. Iterum uale.

Excellentissimo ac celeberrimo Protophysico & Mediolanensis atque Ticinensis Gymnasii Praefecto, Ioanni Ambrosio Cauenago. M. A. Maioragius

S. P. D. *)

Cum tuum istud, immortalitate dignum ingenium, istaque incredibilem ac bene diuinam artis Medicae scientiam, quam non tantum eos qui nostra tempestate uiuunt, praestantes medicos, sed etiam ueteres illos, omnium sermone celebratos antecedis, saepe mecum diligenter considero, Deum immortalem lau-

*) Haec epistola praefixa est commentario eius in Oratorum Ciceronis ad M. Brutum.

laudare, mihi gaudere, ciuibus nostris gratulari
 cogor, quod te talem nobis habere contige-
 rit. Tu enim iam pridem in hac ciuitate, cura
 tua praestanti, mirificaque medendi scientia
 tum eximia quadam ac singulari probitate, tam
 prudenter humaniterque gessisti, vt quamuis
 te principes omnes semper expetiuerint, atque
 vnum prae caeteris admirati fuerint: tamen tu
 ciues etiam & mediocres & infimos, quantum
 facultas tua tulit, semper curare volueris. Itaque
 pariter omnes summi, mediocres, infimi te ob-
 seruant, te suspiciunt, te cupiunt esse (si fieri pos-
 set) immortalem. quod quidem vniuersae ci-
 uitatis nostrae desiderium, nuper in eo mor-
 bo, quo grauissime laborasti, declaratum est.
 Nemo enim in tam frequenti populo fuit quem
 non in valetudo tua maiorem in modum pertu-
 rbarit. Omnes erant de tua salute solliciti,
 omnes immortalis Deo preces fundebant, vota
 auncupabant, vt morbum illum quamprimum
 depelleres, & pristinam valetudinem recupe-
 rares. Seruauit igitur te nobis Deus Opt.
 Max: incolumem: & (vt spero) multos etiam
 posthac annos conseruabit. neque enim tam
 acerbum vulnus infligere ciuitati nostrae, ne-
 que tantum detrimentum importare voluit,
 vt te nobis eriperet: qui virtutibus omnibus
 instructus & cumulatus es. Quis enim te eiuis
 patriae amantior? quis fide, religione, san-
 ctitate praestantior? Illud enim Anaxagorae
 sapientissimi philosophi dictum, atque infedi-

se tibi in mente videtur, qui frequentissime dicere consueuerat, non alia de causa natos esse homines, nisi vt coelum intuerentur, & iustis actionibus Deo quam sumillimos praestare contenderent. His autem tot ac tantis virtutibus tuis, illam etiam rarissimam & laudatissimam adiunxisti: quod, cum iam pridem & Mediolanensis & Ticinensis Gymnasio praefectus sis, vniuersos ingenuarum artium cultores sic amplecteris, & foues, vt & praemiis & honoribus quam maximis afficias. Nam, vt de aliis nihil dicam hoc tempore, me certe ab initio tam comiter excepisti, tanta semper humanitate profectus es, tot beneficiis affecisti, vt non tantum quae possum, me tibi debere, sed etiam quae non possum, putem. Quam obrem ingratus sum, nisi quidquid industria, studio, diligentia valeo, totum id ad tuam in me liberalitatem beneficentiamque celebrandam potissimum conferam. hoc enim mihi maxime consentaneum esse videtur, vt, quoniam tu studiorum meorum patronus semper extitisti, tibi etiam, si quid ab eis, quod aliqua laude dignum sit, forte proueniat, iure optimo debeat. Ita que cum nuper in Oratorem Ciceronis ad Brutum, quem librum hoc anno publicè sum interpretatus, fusiolem & enodatiorem explanationem absoluissem, eam in manus hominum sub tuo nomine apparere volui, vt aliqua ex parte saltem tuis innumerabilibus in me beneficiis respondere videar. Quem laborem no-

T

strum

strum tibi dicatum, eruditissime atque optime Cauenage, quo me ipsum vultu soles, hoc est hilari ac benigno vt accipias, te etiam atque etiam rogo, cogitesque cum hoc maximum sit eorum, quae magno cum labore tenuitas ingenii mei praestare potest, pro immortalibus in me beneficiis tuis, me, si per exiguas vires meas licuisset, maiora etiam libentissime fuisse redditurum. Vale.

Francisco Cicerino

S. D.

M. Antonius Maioragius.

Lucanum.

QUOD ad me familiariter, vt mos est amicorum, literas dedisti, id mihi sane pergratum fuit. Quamuis enim alias, vt scribis, me publice docentem audiueris, & etiam mihi de facie notus esses, tamen vt ingenue fatear, exiguum admodum ac fere nullam tui memoriam tenebam, credo quia cum nondum te penitus in familiaritatem meam dedisses, magno postea locorum & temporum interuallo disiuncti fuimus. Verum hoc tempore tuae peramanter ad me scriptae literae veterem mihi de te memoriam perquam iucundam renouarunt. Vidi enim in illis, quasi ea quae oculis cernuntur, me a te vehementer amari. quapropter incelli omnibus laetitiis, cum ita mihi te deditum intellexi, vt honori gloriaeque meae magna cum diligentia velificeris, & quaecun-
que

que a me scripta proficiscuntur, ea magnopere comprobes. Nam etsi laudes istas, quibus immerentem me ornasti, magis ab amore quam a iudicio proficisci intelligam: tamen non possum non cumulari maximo gaudio, cum eiusmodi amicos nec opinato reperiam, qui non tantum ipsi mihi bene velint, sed alios etiam mihi plurimos conciliare studeant. Quanti enim illud me facere existimas, quod spectatum virum Hieronymum Friceium, Praetorem vestrum, graece & latine, ut scribis, peritissimum ad me meaque amandum induxeris? quanti illud, quod Ioannem Oporinum, virum, ut ex plurimis sudiui, cum optimum tum eruditissimum excitaris, ut mecum familiaritatem inire desideret? quae certe res multo mihi iucundissima fuit. Itaque licet in eo commendando miro quodam artificio mecum usus fueris, tamen affirmanti mihi credas velim, occasionem hanc ineundae cum Oporino familiaritatis, quam mihi tuo beneficio divina quaedam fors obtulit, magno emturum fuisse. Quid enim mihi optatius accidere potest, quam ab eiusmodi viris amari, quorum opera laboreque nomen meum quam plurimum illustrari possit? velim igitur cum primum occasionem nactus fueris, ad eum scribas, me illi deditissimum esse, breuique facturum, ut intelligat, mihi nihil esse antiquius, quam ut per eum notus in Germania fiam. quaedam enim opera iam pridem instituta, sed

nondum perpolita habeo, quae tamen breui in e
 absoluturum spero, ea iam nunc Oporino no-
 stro si gratum illi fuerit, typis excudenda spon-
 deo atq; defero. Tibi vero, mi Cicerine, pro ista
 tua incredibili in me obseruantia plurimum
 perpetuo debebo. Et si quid vnquam accide-
 rit, qua in re tibi gratificari possim, me ad o-
 mnia paratissimum inuenies. Vale. Mitto tibi
 cuiusdam apologiae meae in Marium Nizoli-
 um exempla dua, quorum alterum tibi habeas,
 alterum praetori vestro nomine meo tra-
 das velim. Mediolano. Non. Octob. 1547

Francisco Cicerino

S. D.

M. Anton. Maioragius.

Lucanum.

AMo quidem vehementer tuum istum erga
 me amorem officii ac diligentiae plenum,
 sed tamen, vt ingenue fatear, mihi videris
 in me amando, septa, quod aiunt, transilire.
 Tanta est enim vis amoris erga me tui, vt cum
 honori meo velificari studeas, onera mihi lon-
 ge grauiora quam sustinere possim, imponas.
 Nam quod Oporinum ad me amandum alexi-
 sti, vt opera mea iam edita colligere quaerat,
 atque in vnum corpus redigere, quo typis su-
 is aliquando possit ea simul impressa omnia di-
 uulgare, mihi certe, ne mentiar, molestum
 accidit. Quae enim hactenus a me sunt edita,
 par-

partim iuuenili quodam calore, non maturo iudicio, partim necessitate quadam non voluntate sunt edita: nam duas orationes: alteram de ~~republica~~ Praesidis Mediolanensis, alteram in ~~alea~~ aetates vix annos tres & viginti natus conscripsi; & decisiones & antiparadoxa in ipso iuventutis, vel adolescentiae potius feruore conscripta, non tam edidi quam praecipitavi, quoniam neutrum eorum opusculorum, apud me plus quatuor mensibus fuit. Orationem de mutatione nominis & Apologiam in Nizolium necessitate compulsus edidi, ut me a maleuolorum hominum oculis liberarem. Quid ergo? decreui, quoniam iacta alea est, neque quod factum est, infectum fieri potest, & quae hactenus edita sunt, diligentius considerare, atque emendare, & quae nondum edidi, diutius apud me habere, Horatijque praecceptum seruare, & in nonum annum premere. Quare velim Oporino nomine meo gratias agas, quod tam humaniter operam suam mihi pollicetur, rogesque ut in sententia perstare velit. Nam quaedam iam dudum instituta habeo, sed nondum perpolita, quae cum satis maturuisse mihi visa fuerint, quod breui futurum spero, ad eum imprimenda mittere constitui. Atque interim etiam fortasse ea corrigam, quae iam in lucem venerunt, si per occupationes meas mihi licuerit, quibus paene opprimor. Tu vale, & me, ut facis, ama. Mediolan. prid. non. Ian. 1548.

Francisco Cicerino

S. D.

M. Antonius Maioragius.

NOn erat quod te mihi literis excufares, aut eius rei veniam peteres, in qua nihil omnino peccasti. Quod enim istud peccatum tuum fuit, qui amico tui studioso negotium tuum commendares? Sed ideo tibi de care non scripsi, primo quia mihi Primus noster, cum te illi magnopere commendarem, dixit, iam Nouocomētes alium praeceptorē aſciuiſſe: deinde quia tam ſum occupatus in reſellendis Nizolii contra me nugis, ut vix ad aures, ut eſt in prouerbio, ſcalpendas otium ſuperſit. Verum, ut ſpero, propediem illud opus confecero. Duos enim, ut rem intelligas, reprehensionum libros in Nizolium ſcribo, qui iam maiori ex parte confecti ſunt, in quibus contra illum multa diſputo, quae literatis omnibus ſpero fore gratiſſima. Nam ille contra me quandam Antapologiam conuiciorum tantum & mendaciorum plenam, emiſit, in qua doceo, plurimos ab eo errores & in diſſerendi ratione & in auctoribus interpretandis & in hiſtoriis & in latino ſermone fuiſſe commiſſos. Itaque reſpondeo, ut magis eum deſideam & inſanire doceam, quam ut ei maledicam, aut conuiciis agitem. Nullum certe mihi dubium eſt, quin ex hac poſtra contentione literati omnes voluptatem
non

non mediocrem, ego gloriam, Nizolius ignominiam sit reportaturus: Eos libros si Oporinus suis typis excudere vellet, mihi sane gratissimum esset; si minus ad Gryphium transmittam. Quod scribis, te ad nos breui venturum, id mihi pergratum erit: cupio enim de quibusdam rebus te coram alloqui, quae quidem ad te pertineant, & quae mihi literis committenda non videntur. Praeterea velim etiam te de facie cognoscere, quem ex literis mei studiosum esse iam plane cognoui. Vale.
Mediolano Kal. April. 1548.

Francisco Cicerino

S. D.

M. A. Maioragius,

Lucanum.

Literis tuis propter summas occupationes meas breuiter respondebo. Amo istum amorem tuum & obseruantiam erga me, quod tam diligenter & mandata mea cures & mecum esse vehementer velis. Sed quod tibi coram dixi, repetens iterum iterumque monebo, Vulcaniis te armis munias oportet. Magni tibi labores proponuntur & diurni & nocturni sed honesta exercitatio. Magnae difficultates, sed ampla praemia, magna seruitus, sed aliquando sperata libertas. Eum ego velim, qui suo honori, non vtilitati meae, qui dignitati potius quam lucro se inferuire putet, qui non praecens ingentium laborum taedi-

um sed futuram aliquando gloriam contem-
pletur. Eum esse te mihi persuadi: tu fac, quoc-
in proverbio praecipitur, in te descende, tu
as vires metire, priusquam aggrediaris, dili-
gentissime tuum animum consule ne deinde
oneri succumbas, quod tamen ego aliqua ex
parte subleuabo. Verum cogita fortasse fore
saepissime, ut totum onus tibi relinquam, quoc-
ut ferre possis, etiam atque etiam vide. Ha-
bes tuas tibi propositas condiciones. Nouoc-
mensium & meam, illa fortassis in praesentia tibi
videbitur & vberior & liberior, mea vero,
quemadmodum intelligere potes, te magis
exornabit, quia maior erit apud me tibi an-
plificandae doctrinae tuae copia, quod vnum
in ista tam iuuenili aetate tibi curandum est.
Tu utram mauis elige, sed si me audies, auid
me eris, nisi te fortasse labores immensitate
verum illud Platonis animo voluit: *ὁ παλαιὸς
ἐπιλαμας πατήρ*. Si constitueris ad nos venire,
fac ut aliquanto ante sciam, ut quem habeo hy-
podidascalum apud aliquem alium locum pos-
sim. Vale. Mediolano, XIII. Kal. Mai. 1548.

Francisco Cicerino

S. D.

M. A. Maioragius.

Lucanum.

CUM res tuas composueris, poteris ad nos
arbitrio tuo venire. Quamuis enim non-
dum Antonium hypodidascalum meum di-

† T

mi

miserim, tamen erit etiam eo praesente tibi locus apud nos, imo vero proderit, ut opinor, tibi aliquid, per aliquod dies apud me cum eo versari. Nam ille naturam meam, & viuendi rationes satis belle tenet, & ordinem praeterea, quem in erudiendis pueris seruari volo, quae omnia tu facile, paucisque diebus, quod tuum est ingenium, percipies. Venies igitur ad diem constitutum: hoc est Kal. Quint. nisi te fortasse aliquid impederit, neque enim ego ita propero, ut tu hac de causa ullum capias incommodum. Scripsi ad Oporinum literas, quas ad te mitto, ut, quamprimum fieri poterit, ad eum perferendas cures. Velim enim ab eo reprehensiones meas in Nizolium excudidi. Sed miror, cur tibi super hac re non responderit. Vale & me ama. Mediolano. Kal. Iulii. 1548.

Epistola Marii Nizolii ad Maioragium.

EGo te, mi Maioragi, cum primum cognoui Mediolani, tecumque amicitiam iunxi, iam tum coepi vehementer diligere, propter raram quandam ingenii, doctrinae & eloquentiae praestantiam, quae mihi in te iam iuueniam tum elucere videbatur. Postea vero quam legi libellum tuum pro Cicerone compositum aduersus ineptas illas Coeli Calcagnini calumnias, non tibi possum verbis explicare quam in immensum abacta fuit mea illa pristina erga te beneuolentia, & quam praeclaram de doctrina

na eloquentiaque tua opinionem concepi. Itaque tametsi antea te magnopere laudare consueveram, tamen postea ita loqui & de te & de scriptis tuis coepi, ut paucos admodum in latine scribendo hac nostra aetate tecum conferendos censerem, usque adeo mihi oratio tua videbatur latina, copiosa, varia, vehemens, atque, ut omnia duobus verbis complectar, plane Ciceroniana; & in hoc tam praeclearo ac singulari de eruditione tua iudicio tamdiu perseveravi, donec ad manus meas perveniret alter libellus tuus. Antiparadoxon inscriptus, quem aduersus diuina illa Ciceronis paradoxa, ut tibi verum dicam, mihi non edidisse sed euomuisse visus es. nam per Deos immortales, quid tibi in mentem venit, mi Maioragi, in sacrosanctum latinae eloquentiae parentem, quem paulo ante defenderas, tam inconsiderate, ne dicam tam temere tamque impudenter inuehi? quid tibi quaeso accidit, ut repente totum dicendi genus, atque omnem orationis formam mutaris? vbi tua illa sermonis puritas? vbi orationis grauitas. Vbi veritas, vbi decor? profecto ut legi libellum illum atque adeo inter legendum sic affectus & grauius offensus fui, tum indignitate rei ipsius, tum etiam orationis tuae, quasi quadam degeneratione, ut parum absterit, quin calamm statim in manum sumerem, & quemadmodum tu pro Cicerone aduersus Calcagninum, sic ego pro te aduersum te, quanta

ma-

maxima possem acerbitate scriberem. Ex mē-
 hercule ita fecissem, nisi me continuisset tam
 veteris amicitiae nostrae ratio, quam maxime
 saluam esse cupio, tum quod arbitror, te potius
 iuuenili quodam impetu, quam certo vltio iu-
 dicio ad Ciceronem tam inique lacerandum
 descendisse: tum etiam, quod in summo, vt
 mihi videris, vitio non nihil tamen pudoris ad-
 triscuisti, non enim te ipsum sed pueros, vel
 adolescentes quosdam induxisti disputantes,
 hoc opinor consilio, vt tum excusatione ali-
 qua peccares & minus impudenter impudens
 esse videreris. His itaque de causis factum est,
 vt te non tanquam inimicum, edito libello ini-
 mice refutandum, sed tanquam amicum per
 literas familiares amice reprehendendum &
 quasi admonendum putarim, atque hanc in
 partem quaecunque aduersus te scribam, vt
 accipias, te etiam atque etiam oro, non enim
 vt te refellerem, sed vt Ciceronem tuerer, haec
 nunc scribere sum ingressus, quanquam tanta
 est Ciceronis laus atque gloria, vt nec oppu-
 gnatione tua minui, nec propugnacione mea
 maior fieri possit. Sed nolo existimes, magnum
 aliquid a te in istis tuis Antiparadoxis esse fa-
 ctum. Atque vt statim intelligas, quibus ob-
 iectationibus tuis hic sim responsurus, primo
 tibi ostendam vno in loco, Paradoxa illa omnia
 simul esse Socratica, quod tu diuersis indocis
 negas, & contrarium probare admitteris. De-
 inde te admonebo, ne posthac tam leuiter pro-
 nun-

nuntiare audeas, Ciceronem & reliquos oratores, in differendi ratione tam esse inferiores, ut tu dicis, Aristotele & Peripateticis tuis; ad quos nuper nescio quo errore ductus, relictis oratoribus tanquam transfuga defecisti, & ex oratore, ut mihi videbaris, graui, factus es Dialecticus nugax, ne dicam barbarus. Atque ut cognoscas quantum lucrifeceris in legendis, tam diligentèr Dialecticorum libris, ut te iactas, etiam nonnullos errores tuos in grammatica, atque adeo in primis literarum rudimentis quasi corollarium quoddam in fine adiungam. De his igitur nunc ad te sumus scripturi, de ceteris vero, quae ad veritatem vel falsitatem paradoxorum pertinent & aduersus argumenta Ciceronis a te dicuntur, alio loco scribere cogitamus, hoc est in explanatione Paradoxorum, quam differere volumus tamdiu, dum adhaec respondeas: si modo respondere volueris: nam si primos hos tanquam ictus repellere poteris, facile reliquos quoque te repellere & euitare posse arbitror. Sed ut ad rem aliquando veniam, quoniam potissimum argumento probari potest Paradoxa illa esse Socratica? Hoc opinor vel vno, quod Diogenes Laertius in *prooemio τῆς φιλοσοφίας* aperte ostendit, omnem Stoicorum sectam ac disciplinam a Socrate primo auctore & tanquam parente originem duxisse. nam ut ille tibi diserte narrat, Chrysisippus is, qui fulcire porticum Stoicorum putatus est, auditor fuit Clean-

Cleanthis, Cleatthes, Zeno, Zeno, Crates, Crates, Diogenes, Diogenes, Antisthenis, Antisthenes, vero Socratis, ut ab vno Socrate sine ulla controuersia primo Cynicos, deinde Stoicos manasse constat. Neque solus Antisthenes Socratem audiuit, sed etiam alii complures, a quibus singulis singulae philosophorum quasi familiae ortae sunt, ut Academici veteres & Peripatetici a Platone, Cyrenaici ab Aristippo, Megarici ab Euclide, Elicentes a Phedone, & alii ab aliis, qui tamen omnes communi nomine, ut Laertius inquit, appellati fuerunt Socratici. Id quod M. Tullius, quasi tuas istas calumnias iam tum praeuidens, & tibi respondere volens, ipse quoque confirmat in tertio de oratore libro his verbis. *Nam cum plura essent orti fore a Socrate, quod ex illius variis & diuersis & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, profeminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se ac multum disiunctae ac dispares, cum tamen omnes se philosophos Socraticos & dici vellent & esse arbitrarentur, ac primo ab ipso Platone Aristoteles ac Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academicorum nomen obtinuit. Deinde ab Antisthene, qui patientiam & duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici: tum ab Aristippo, quem illae magis, disputationes voluptariae delectarunt, Cyrenaica Philosophia manebat, & paulo post.*
 Fue-

Fuerant etiam alia genera philosophorum, qui se omnes Socraticos esse dicerent: & quae sequuntur. Haec sunt verba Ciceronis, quibus se re idem dicit, quod Laertius, ut nemini iam dubium esse possit, quin Stoici vere Socratici & sint & appellari debeant. Quod cum ita sit, qui possunt obsecro Stoicorum paradoxa non esse Socratica? nisi forte existimas, Stoicos philosophos quidem Socraticos fuisse, sed Socratis sententias & dogmata non secutos: quod quam sit absurdum, nemo non videt. At, inquis, Plato in dialogis inducit Socratem dicentem plane contraria iis, quae Cicero & Stoici in paradoxis probant: ergo paradoxa non sunt Socratica: Haec est enim tua conclusio, quae tum demum fortassis esset vera, si Maioragi, si sententiae Socratis a nemine alio literis proditae fuissent, nisi a Platone, & si Socrates ipse nunquam pugnantia inter se, sed sibi contentanea semper dixisset. Sed neutrum horum verum est, constat enim & Antisthenem & complures alios Socratis dicta monumentis literarum mandasse, & in Socratis sermonibus multam discrepantiam aduersitatemque fuisse, ut non sit mirum, tam diuersas inter se & contrarias philosophorum sectas ab eodem esse ortas. Itaque si quae Socrates apud Platonem loquitur, contraria sunt iis, quae Cicero in paradoxis scribit, id non continuo Ciceronis vitium esse existimari debet, sed vel Socratis ipseus, qui non conuenientia sibi ipsis, sed plurimum

num

mum dissidentia inter se loquebatur; vel certe Platonis, qui Socratem ea differentem facit in Dialogis suis, quae ille fortasse nunquam differuit, in quorum numero sunt ideae separatae quae vocantur, quas Plato attribuit Socrati, cum tamen Socrates nunquam posuerit ideas separatas, ut testatur Aristoteles in tertio decimo τῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ libro, cap. 4. quod cum ita sit, quid mirum, si eidem quoque tribuit multa alia, quae ille fortasse nunquam ne somniauit quidem? His igitur, quae hactenus dicta sunt, arbitror satis constare, id quod initio me probaturum pollicitus fueram, nempe paradoxa illa omnia esse Socratica, ut rectissime dixit Cicero, teque id inique negasse prorsusque incassum laborasse in colligendis tot Platonis exemplis, ut contrarium probares. Non enim Plato est, ut tu putas, ἀνασιϕωντῶν in cuius doctrina tam leuiter recipienda vide quantum decipiaris. G. Trapezuntinus, vir Graecus, vniuersam Platonis doctrinam tribus libris refutat, tanquam falsam, vanam & inutilem, tu vir Latinus eandem irreprehensibilem facis, & sacris scripturis nostris pene adaequas. Qua quidem in re quantum mihi errare videaris, in enarratione paradoxorum postea tibi monstrabo. Nunc audi quod sequitur. Cicero, inquis, in differendi ratione longe inferior est Aristotele & Peripateticis. Sed dic mihi quam ob causam? an quod nullum est eius argumentum in paradoxis recte

cte

cte conclusum, vt tu ais? at ego tibi postea copiosius respondebo in explanandis paradoxis, nunc tantum dico te non intelligere vim argumentorum Ciceronis, & quia non conclusa sunt more Dialecticorum, hoc est barbare & imperite, putas ea nihil valere. Non intelligis, quae aut qualis sit, propositio singulorum paradoxorum non cognoscis rationes, nec vides quo referantur, deniq; nec conclusiones ipsas, mihi satis percipere videris, sed de hoc postea, vt dixi; nunc scire velim a te, quid habent Dialectici ac philosophi, quamobrem melius differant, aut differere possint, quam oratores? an argumentationes? at oratores decem argumentationum genera docent & vsurpant, quos omnes copiosissime tradit Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricae suae libro. Dialectici vero tantum quatuor nouerunt, hoc est syllogismum, inductionem, enthymema & exemplum, quorum prima duo sibi retinent, reliqua autem duo postrema oratoribus relinquunt, cum tamen ea oratores pro argumentationibus non agnoscant, sed pro argumentis, vt aperte ostendit Hermogenes in capitibus *περὶ ἐργασίας καὶ περὶ ἐνδυνμμάτων*, vt omittam interim syllogismum & inductionem, quae argumentationes non minus oratorum sunt, quam Dialecticorum: quin oratores cum enthymema & exemplum pro explicationibus argumentorum non agnoscant, vt dixi, ipsi quoque sibi vendicant syllogismum & indu-
 ctio-

tionem, tanquam proprias argumentationes, ut ait M. Tullius in primo de iuacatione. Omnis, inquit, argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem, quod cum ita sit, quomodo non absurde mentiantur Logici? cum enthymema & exemplum argumentationum loco tribuunt oratoribus? & syllogismum inductionemque adiungunt? O mi Majoragi, quam vehementer errasti, cum ita animum induxisti tuum, ut sine ulla consideratione ac iudicio Dialecticorum inanes nugae & figmenta reciperes. Non igitur, quod ad argumentationes attinet, Oratores dialecticis sunt inferiores. Sed an forte melius nouerunt atque usurpant argumenta Dialectici quam Oratores! nihil minus: nam utriusque habent locos, ex quibus argumenta promuntur, ut facile videre licet apud Ciceronem in secundo de Oratore & in topicis, & apud Aristotelem in secundo Rhetoricorum, & apud Trapezuntium in libro supra citato, quare si subsidia & auxilia, quae ad bene differendum requiruntur, inspicere velimus, non video causam cur alteri alteris superiores vel inferiores statui debeant. Illud quidem certe non ignoro, praecepta Rhetorum multo esse clariora & intelligibiliora, Dialecticorum spinosiora, duriora, obscuriora, ut saepe qui ea tradiderunt non intellexisse videantur. Nihil dico de proponendis quaestionibus, de eisdem diuidendis, de rationibus excogitandis &

& de confirmationibus rationum addendis, & postremo de inferendis enthymematibus, quos Latini, non ut Logici imperfectos syllogismos, sed expositiones vocant, de quibus omnibus quam multa Dii boni pulcherrima & utilissima praecipunt Rhetores, quam nulla vel quam paucissima eaque scrupulosa & inutilia Logici. His igitur ego rationibus adductus, mi Maioragi, arbitror oratores in bene differendo non modo non esse inferiores Dialecticis & Philosophis tuis: sed etiam illis superiores. Atque hoc ita esse re ipsa ostendam in disputationibus meis quas iam aduersus Dialecticos & Philosophos institui, vide quam sumis concordēs. Tu oratores, ego Philosophos bene differendi rationem ignorare arbitror. Quod si vter nostrum rectius sentiat, experiri volueris, in hac ipsa disputatione, quam nunc institutam habemus, facile voti compos fies: ego enim oratores tantum in differendi ratione mihi sequendos imitandosque proposui: tu si contra Dialecticos imitaberis, ut certe imitaris, senties, ut spero quam inanem non dico differendi sed nugandi & garriendi disciplinam sis complexus. Sed de hoc quoque satis. Nunc audi errores tuos in Grammaticis, ut intelligas quam parum sis idoneus & aptus ad Cicronem reprehendendum, cum linguam latinam nondum satis didicisse videaris. *Sed bb-
ius certe nocumenti, inquis, si modo &c. Nocumentum usurpas tanquam latinum, sed dic mihi
cur*

cur magis tibi *nocumentum*, quam alteri tre-
 guam aut guerram vsurpare liceat? tum sic
 ais, *cum eo qui patrem parricide se vita priuauit.*
 Vbi quæso inuenisti tu aduerbium illud *parricide*? an apud Ciceronem? minime. An
 apud alium quempiam idoneum scriptorem?
 nequaquam. An apud Pseudolexicon aliquod?
 ita est. nam sine vlla consideratione ac iudi-
 cio vocem illam a thesauro Stephiano rece-
 pisti. Rursus inquis, *scilicet libet aliquas huius ca-
 pituli clausulas examinare, ut. &c.* Clausulas hic
 appellas, quas latini appellant membra oratio-
 nis. Nam clausula proprie est vltima pars
 membri, quamquam *ἡ ἀποκρινὴ* pro vltima
 parte cuiuscunque rei frequenter ponatur.
 Item ex quatuor verbis Graecis tu vnum facis
 latinum, idque ex capite tuo sine, cuiusquam
 auctoritate. Nam quod Graeci dicunt *τα
 περὰ τα Φωνὰ*: tu *Metaphysica* vocas. Mitto,
 quod tot in locis ita locutus fueris vt dixeris.
 Non verum est quod, & dico quod, & scio
 quod, & puto quod. Qui loquendi modus
 haud scio, qua sit latinus. Nam cum verbum
quod pro quia resolu potest, tum recte dici so-
 reor, cum vero non potest, barbara locutio tibi
 hi videtur, vel scilicet non ita praeseferens ger-
 manam illam latinam. Praeterea etiam illa
 adducere rationes pro eo, quod est profertur.
Operari pro facere vel agere, aegritudine
 pro morbo, idem esse. *cupido*, pro idem esse
 quod *libido*. Et alia multa huiusmodi, quae
 non

indicant, te vel nullum vel certe perquam modicum habere verborum delectum, & non nimis considerare, quae nomina cum quibus verbis iungas, aut denique quo modo loquar. Illud tamen praetermittere nolo, quod te tantum Ciceronis reprehensorem arguit, nescire adhuc quid sit enthymema. Ais enim. *Nam quid absurdius erit hoc enthymemate tuo, si confirmatur in hunc modum. Peccatum est in eo quod non licet, ergo quod non licet neque maius neque minus fieri potest.* Hanc tu argumentationem bipartitam vocas enthymema: sed quemadmodum tu a Cicerone quaeris, an a Deodoro suo sic argumentari didicerit, sic ego a te scire velim, an a Burleo tuo enthymemata facere sic didiceris. Non enim Cicero sic te docet, non Quintilianus, non Hermogenes, non denique Aristoteles, qui in secundo priorum Analyticorum, definiens enthymema, ait esse syllogismum imperfectum ex signis & probabilibus. Et imperfectionem illam, non quemadmodum vos Logiculi etiam Graeci, ad numerum propositionum refert, sed ad materiam non necessario, sed probabiliter tantum concludentem, itaque hoc est verum & germanum enthymema. *Pittacus est iustus, Pittacus est sapiens, ergo omnes sapientes sunt iusti.* Sic Aristoteles enthymema facit non solum in prima sed etiam in secunda & tertia figura, ut hoc ipsum, cuius exemplum modo posui. Non enim est syllogismus, nec ad syllogismum reduci

dici potest, quia est, vt Logici dicunt, ex pu-
 ris particularibus, relinquitur igitur vt sit en-
 thymema ex tribus propositionibus constans:
 alioqui non esset in tertia figura. Quod cum
 ita sit, liquet, vos Dialecticos in magno errore
 versari, qui enthymema ex duabus propo-
 sitionibus fieri putatis. Praesertim cum tale
 enthymema oratores, vt supra dixi, pro argu-
 menti explicatione vel expolitione non agno-
 scant. Haec sunt, mi Maioragi, quae ad te nunc
 mittenda existimaui, vt ea dissoluas, si velis,
 & si potes, in quibus si te alicubi acius atque
 acerbius punxi, quam tu fortasse velles, & ami-
 citia nostra pati videatur, non quasi mirari
 nec agere ferre, cum Ciceronem multo acius
 & acerbius non solum punxeris, sed etiam con-
 foderis, idque immeritissimo, cuius vulnere,
 quanto tandem cum dolore a me legi putas?
 Ita que te etiam atque etiam moneo, vt videas
 quemadmodum scribas in *Topica* illis & in
libris de finibus, quod facturum in hoc libro, si re-
 stiteris mentali, quodam in loco scribis. Non
 etiam impube feres, sed idem tibi accidet,
 quod Erasmo, qui dum Ciceronem & Cice-
 ronianos iniuste infectatur, ipse a Ciceronia-
 nis iuste & optimo iure confossus fuit. Vale
 & responde si placet.

V ;

M.

M. Ant. Maioragii APOLOGIA,
 in Gaudentium Metalam, qua declarat a se
 minime relegatum esse Ciceronem ac Te-
 rentium, quemadmodum ille finxerat quo-
 dam in dialogo, & centum atque amplius
 eius errores notat, contra visitatam Ci-
 ceroni ac Terentio locutionem.

A Nequam ad causam accedo, nobilissimam
 auditores, prius de officio meo, ac ratio-
 ne vitae, nonnulla differere statui, ut omnes in-
 telligant, me non libenter, aut cupide quem-
 quam inspectari, sed cum necessitas cogit, tan-
 tum aliorum maledicta repellere. Ego enim
 semper eam laudem induxi maximam, quam
 sibi quisque propria virtute pararet, non
 per alterius incommodum & calamitatem ac-
 quireret; itaque vere hoc possum iurando
 affirmare, me neminem unquam offendere sta-
 tuisse, nisi gravissimis iniuriis lacessitum, qui
 potius quantum facultas meae sit, de plurimis
 bene mereri, & quibuscumque possem gratissi-
 cari studiis. Hanc enim unam laudis ac di-
 gnitatis pulcherrimam esse viam semper co-
 gnoui, nullos habere penitus, modo fieri possi-
 fit inimicos, amicos vero quam plurimos. hoc
 igitur officio semper in omnes, quibuscumque
 hi fuit aliquod negotium, usus sum, ut in eos
 tam facilis essem ac modestus, ut omnes me
 amarent plurimum. rationem vero vitae sic
 institui. Cum ab ineunte adolescentia mihi
 per-

perfuasiffem, nullam artem esse praestantio-
rem; aut quae in ampliori gradu dignitatis ho-
minem locare posset, quam literarum, ita earum
studia deditus sum, ut nihil aliud mihi
dulce, nihil suave, nihil incundum videretur.
ita per multos annos & graecis & latinis au-
toribus operam dedi, ut nullam partem neque
dierum, neque noctium intermitterem, saepe
pausae etiam de salute propter nimias vigi-
lias periclitatus sum, donec tandem de medico-
rum consilio coepi aliquid de summa illa dili-
gentia remittere. Itaque iam decem annis
ita voror in literis & graecis & latinis, ut labo-
re atque industria paucia concedam, quamvis
eruditione quam plurimis. Hoc autem omni
tempore, quo literis incubui, nihil mihi fuit
antiquius quam ut latini sermonis proprietatem
intelligerem & stilum meum cum regum
varietate tum splendore verborum exorna-
rem. Cui rei cum nullos aptiores vidirem
esse auctores, quam Terentium ac Ciceronem,
eos statim ab initio mihi proposui, quos dili-
gantissime legerem, quos in sinu gestarem, &
quos nunquam de manibus deponerem; hos
ita mihi familiares reddidi & in eis tam multa
notaui, ut, quemadmodum omnes notare pos-
sunt, aliquam mihi dicendi facultatem, non or-
sinino barbaram, acquiserim. atque huius
rei non aliis mihi testibus opus est, quam vo-
bis, qui me frequenter audiistis. Scitis enim
quam sollicitus sum in verborum proprietati-

bus declarandis, quam nimis etiam aliquando superstitiosus, in his quae videntur a Ciceroniana phrasi discrepare. Quae cum ita sint, sperabam, me aliquam in hac parte gloriam ac laudem iam consecutum: cum repente quidam imperiti literatores, omnis verae laudis expertes, contra me sunt exorti. qui me quo iure quoque iniuria persequerentur, sperantes hac ratione fieri posse, ut ipsi magis innotescerent, si de fama mea detraxissent. ex hoc numero fuit semper hic Gaudentius Merula, de quo sumus hodie verba facturi. hic me iam pridem non cessat iniuriis lacessere, mihi maledicere, sinistris me rumoribus carpere, sed quae antehac fecerat, facile illi omnia condonabam, nihil enim facilius obliuisci soleo quam iniurias. hoc vero quod in me proxime commisit, nullo modo condonari potest. Illud enim, quantum in ipso est, mihi ademit, quo solo sperabam me iam satis in hac ciuitate clarum esse. Semper enim stili gloriam expetiui, quam nobis maxime Terentius ac Cicero laudantur. hic autem plane improbilissimus meo iudicio damnatos verosque hos auctores publicis scriptis attestatur. Quin etiam Petrum Pomeranum eruditissimum virum & mihi summa necessitudine coniunctum, quem praesentem adstare video, & quem, ut ipsius eximia virtus postulabat, honoris & amplitudinis gratia nomino, non leuiter offendit, sed is cum summa dicendi facultate praestet, facile poterit a se

a se literatoris huius importunissimi temeritatem propellere. me vero quis non intelligit meritissimo exardescere! nareque velle tantam iniuriam vlcissi! mene iudice damnatus est Cicero! quem vnicum eloquentiae lumen veneror? cuius lectione suauitatem quandam incredibilem sentio; cuius solo nomine recreor. Pro dii immortales tantamne esse fallacis huius impudentiam, vt tam aperte mentiri non erubescat? Sed efficiam hodie profecto, vt luce clarius appareat, Merulam non solum Ciceroem non legisse, sed ne bonas quidem literas vnquam a limine salutasse. Pudet me tamen non mediocriter, auditores, non equidem mei, qui ab ineunte aetate ita semper vixi, vt nemo me huc possit reprehendere, neque sine huius ciuitatis, in qua non paruiam ego dignitatem, plurimas amicitias & aliquod nomen sum consecutus: sed ineptiarum pudet istorum ludimagistrorum, qui nullam aliam erescendi viam esse credunt, nisi per aliorum iniuriam & ignominiam, pudet me inquam, in hoc esse ordine & grammaticum appellari. Fortasseque haec erit vna maxima causa, quae me vitae generis immutare cogat. Quae malum! est ista peruersitas? vt cum possis laborando, vigilando, virtute amplectenda in altorem locum peruenire: tamen hoc non facias, de aliorum fama perpetuo detrahas. Ac mihi quidem cum hoc factum Merulae confidero, venit in mentem maxime indignari,

quod tanta petulantia ac linguae procacitate in tot homines sine causa debacchatus fuerit & merito possent omnes illi succensere, quos nominatim appellavit in eo dialogo, cum praesertim sit res tam inepta & confusa & barbara, cum enim eum diligentius perlego, nihil tandem ineptius, nihil insulsius, nihil magis barbarum inuenio. Quare miserari potius insanientem hominem, quam illi maledicere cogito. Nam quod ad me attinet, illum ego bonum virum & nullis vitiis inquinatum iudico, quantum se miretur, atque inter doctos tanquam aster inter flores enumerari velit, quod quidem magnae dementiae non mediocre signum est, quanta enim insania est, mandare quemquam literis cogitationes suas, quas neque disponere neque ornate tractare, neque distincte proloqui possit? quid furiosius sordidorum verborum farragine, nulla subiecta sententia? Quod nisi me tam grauer offendisset, sinerem illum gaudere suis bonis, & tanquam scarabaeum in stercore suo volitari, neque hanc Camerinam vel potius Mephitim commouerem. Timenam enim ne quisquam me natura maledicum existimaret, a quo vitio maxime semper abhorruis, sed cum omnem in literis mihi auctoritatem conatus sit eripere, impudentissimeque meo iudicio praestantissimos omnium auctores Terentium & Ciceronem mihi familiarissimos damnari sineret, facere non potui, quin eum tu-

piter

piter mentiri ostenderem. Nam si nihil dixis-
 sem, crederent fortasse aliqui, verum id esse, pro-
 pter ea, quod, taciturnitas confessionem imita-
 ri creditur. Nunc mihi certum est planum ac
 manifestum facere, me longe diligentius ac quo
 accuratius Ciceronis opera legisse, quam ipse
 concupierit, & ipsum, ut dicitur, suis armis
 regere. bis enim interimitur, qui suis armis
 perit. Nam ut praetermittam caetera eius o-
 puscula, quae plurimis vixque scatenti erro-
 ribus, ut ne pugella quidem in eis latina repa-
 ri possit, in hoc vno dialogo plusquam oca-
 tum erroris annotati, partim contra rece-
 ptam a Cicerone loquendi consuetudinem,
 partim in propria dictione verborum, par-
 tim, quod vitiosum et pessimum est, contra
 grammaticorum et auctorum Latino-
 rum consensum. Nam barbarus hic noster
 virgata atque appius sordidissimos insignes
 commisit, qui si Diis immortalibus placeat, sit
 hoc Ciceroniam ac Terentianum in haec scri-
 ptis dicit vult. Itaque vos rogo, per ipsius Ci-
 ceronis manes, ut attente bonaque cum animo
 quae contra istum dicturus sum, audiat, res
 enim erit & utilis & iucunda. Eo quoniam
 meae partes sunt, ut de Latina lingua, verba fa-
 ciam, propterea quod a senatu Mediolanensi
 firmiter in hoc dignitatis gradu constitutus, volu-
 ras humaniores publice profiteri, nihil dicam
 de rebus ipsis quae tractantur in eo dialogo,

non dicam id quod verissimum est, sine ullo ordine, sine artificio, ille congesta esse omnia, non dicam esse addita plurima, quae nihil pertinens ad rem pertineant. praeteribo nullam esse subiectam sententiam, ac nihil tandem nisi meras nugae asconcludi, cum praesertim intelligam Aronem Battalum, virum argutissimum, hanc suscepisse provinciam, ut eius imprudentiam, & aemptias, delirationes in rebus ipsis notet. De locutione igitur tantum ego verba facturus sum, ut ostendam eam non tantum Ciceronianam non esse, sed ne latinam quidem, verum plane barbaram & soleccismis affluenter

Ac primum illud praetormitto, quod contra latinorum consuetudinem dicitur Dominus Io. Baptistae, quoniam hoc vulgatum est vitium. atqui Cicero (quem nos imitari in loquendo maxime debemus,) quamvis ad clarissimos & potentissimos viros scribat nunquam tamen eos dominos appellat. neque quisquam eorum qui Ciceronis aetate floruerunt, ita locutus est.

Gaudensius: si ea quae est in te, aut vis ingenui aut dicendi lepos.

Mator agtar: Non potest haec esse latina locutionem illa coniunctio aut, quae pronomen sequitur; aut voces coniungit eiusdem generis, ut si ita dixisset, si ea quae est in te, aut vis ingenui, aut dicendi ventitas, latinum esset, aut geminatum pronomen requirit, ut: si ea quae est

est in te, aut vis ingenii, aut is dicendi lepos, vel opus est priorem coniunctionem relinquere, hoc modo: si ea quae est in te vis ingenii aut dicendi lepos. at eo modo, quo tu pronuncias, solocum est.

G. Quando id re praestare nequeam.

M. Haec vox quando quotiescunque ponitur pro quoniam, indicandi modum postulat. Cicero in epistolis. *Quando se id video desiderare.* Virgil: *quando haec te cura remordet.* alibi Cicero: *quas quando complexus es, tunc.*

G. Verbis relaturum me gratias.

M. En obseruatorem latinae proprietatis, quis unquam verbis retulit gratias? an adhuc nescis quod etiam triuialibus Grammatistis notissimum est referre gratias esse factis, agere verbis, habere animo? quod apertissime declarat Plancus ad Ciceronem scribens: *immortales tibi ego gratias agamque dum uiuam. nam relatum me affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non video mihi respondere posse.* Ecce respondere officiis & satisfacere beneficiis esse idem quod gratiam referre. ut interim fileam, nos longe frequentius dicere, refero gratiam quam gratias. ausim enim affirmare nunquam apud Ciceronem inueniri gratias referre, sed in singulari semper referre gratiam, exempla sunt infinita.

G. Nobilitatis gradum sustinendo non essem.

M. Euge Ciceroniane, quo enim te alio nomine appellem? cum tam eleganter ac politeloqua-

loquaris, ut in vno membro duos insignes Se-
 loccismos committas? erigite quaeſo aures,
 auditores, ut nouam eloquentiae genus audi-
 atis. Primo contra latinam conſuetudinem di-
 xit, ſuſtinendo gradum, quoniam haec, ut
 appellant grammatici, gerundia in do finita, te-
 ſte Valla, nunquam caſum regunt: nam ine-
 pte dicitur, do operam legendo libros, ſed
 legendis libris dicendum eſt. ſicuti Cicero pri-
 mo de officiis: *orationem autem latinam officijs
 profecto legendis noſtris pleniorẽ*. non dixit le-
 gendo noſtra. deinde quam abſurda locutio,
 non eſſem ſuſtinendo? pro non poſſem ſuſtine-
 re? quo genere dicendi vteris etiam alibi: *cum
 dicendo non eſſem*. ego vero affirmo barbarum
 eſſe hoc dicendi genus: non eſſem dicendo,
 pro non poſſem dicere, non eſſem ſuſtinendo
 pro non poſſem ſuſtinere. Nam quamuis Ci-
 cero dicat: *cum ciuitates ſoluendo non eſſent*, ta-
 men hoc vnicum eſt, & alia quaedam ratione
 dictum neque vnquam in alijs verbis eodem
 modo loquimur. poſtremo quis vnquam di-
 xit ſuſtinere gradum? Solet Cicero dicere:
 tenere gradum & ſeruare gradum, non ſuſti-
 nere. quod ſi diligentius aduertiffes, vnde me-
 taphora ducta ſit, non certe tam inepte locu-
 tus fuiſſes. Nemo enim ſuſtinet gradum, ſed
 ſuſtinetur a gradu, vnde dicimus: etiam *de gra-
 du deſicere*. Cic. primo de officiis *nec tumultu-
 antem de gradu deſicere*. Date huic in diſcipli-
 nam liberos veſtros, o ciues; ut in vnquam m-
 bro

bro bis peccare discant, & duplo reddantur stultiores, quam ad eum accesserint.

G. quando non omnibus dormiam.

M. dormio dicendum est, vt iam docuimus: Hoc autem videris ab historia sumsisse. nam vni soli Maecenati dormiebat Galba, dum ille vxorem suam attrectaret: attu vide ne pluribus dormias.

G. Quaecumque est, omne & dedico & voueo.

M. Imperite atque oscitanter ordo perturbatus est. prius est enim vouere quam dedicare.

G. Gratis mihi fueris elargitus.

M. Quid hoc monstri est? estne aliquis qui largiatur non gratis? quis non videt illud aduerbium gratis redundare?

G. Tuorum erga me praestitorum.

M. Vnde tam obsoletum & barbarum vocabulum truxisti? atqui Cicero non praestitum, sed meritum aut beneficium dicere solet.

G. Dialogus vltra omnem festiuitatem vrbaniissimus.

M. Nego hanc latinam esse locutionem, non magis quam si quis diceret, Socratem vltra omnem Grammaticam fuisse sapientissimum. quod quidem dicendi genus esset absurdissimum: quamuis grammatica pars quaedam esse sapientiae videatur; ita quamuis festiuitas pars quaedam sit vrbانيتatis; tamen infulse dicitur vrbaniissimus vltra omnem festiuitatem. praeterea saepe accidit, vtpote alia species sit vrbانيتas, alia

alia festiuitas, atque ita superlatio non erit inter ea, quae sint eiusdem formae, quod vitiosum esse constat. Sed haec auctiora sunt quam ut ea tu possis intelligere. Itaque pinguius & crassius tecum agendum est. addo igitur illud, post superlatum nomen non inueniri vltra, sed aliquando supra vel ante.

G. secundum consuetudinem.

M. Vulgaris haec est, & parum latina locutio. solet enim Cicero dicere, *pro consuetudine*. neque quisquam auctor paulo elegantior dixit vnquam secundum consuetudinem. Cic. pro Archia. *Qua de causa pro mea consuetudine breuiter simpliciterque dixi.*

G. Graeca dictione Buleuterium.

M. Buleuterium apud Graecos locum habendi senatus significat, non autem quod Mediolanenses. Brolum dicunt, in quo vinum ac fruges vendi solent, quam dictionem existimo vel Gothicam vel Longobardicam esse.

G. Quam faustissimo, inquit, omine, huc locorum pedem tetulinus? quae haec nobis illuxit dies?

M. In hunc errorem plane puerilem plusquam decies incidit in hoc dialogo; ut quam pro quantum superlato nomini iungat, latinis auribus penitus inauditum est, nisi quando sequitur, hoc verbum, possum, ut: quam breuissime potero, paucis absoluam. Quod si tam Vallam ac ceteros Grammaticos legisset Merulus hic noster, quam ineptiae didicit, profectio.

fecto enim modestiorem habereamus. Nunc cum in Grammaticos saeviat vel potius insaniat, eos committit errores, ut ipse meritis, imo versa vice sit a discipulis ferula plestendus.

G. quae per quoscunq; auctores sparsae sunt.

M. Duobus in locis in hoc erratum, lapsus est, ut quicumque dicat pro quisque, ut apertissimum sit, eum non intelligere quomodo haec inter se nomina differant. Nam quicumque duo verba postulat, quisque vno contentum, rursus quicumque significat omnia qui, quisque tantum omnia.

G. Pro animi libidine lancinnarem.

M. Cicero nusquam utitur hoc verbo lancinans. neque est quod mihi responderis non curare, modo sit latinum. Ego vero, situ non intelligis, causam agendam, & deo Cicero opera diligenter a me revolvam, te vero penitus relegam.

G. In communem locum abiit uno superiore Gerardus.

M. in communem locum abiit pro mortuus est, nimis dura locutio, quam Ciceroniani caeteris probare non poteris.

G. Facundia instructus.

M. Apud Ciceroem facundia non reperitur.

G. Literarum politia.

M. Miror sane non mediocriter, tantam esse tuam Gaudenti deripientiam, ut cum intelli-

gas a latina puritate longissime te abesse, tamen inter elegantes haberi velis ac Ciceronianus appellari: cum nullum omnino verborum delectum habes. nam politia pro elegancia, vel candore dicendi barbarum est vocabulum. Sed cum Graecum est, tunc politia Rempubl. significat, ut Cicero in *politia Platonis*.

S. peruagatis his, quae vocantur humanitatis studiis.

M. Video quid agas Merula. vis ut scriptura si praeterna, idcirco pellis Ciceronem, ut te pariter habeamus eloquentia.

S. Sed dic mihi, quid significat peruagatis his studiis? non enim hoc Grammaticae nomen ego genus agnosco, peruagatum enim apud Ciceronem idem est, quod peruulgatum & celebratum, de inuentilib. 1.

S. Haec causa apud Graecos peruagata est, pro *Plano* & *Plano* aliquid vulgare & peruulgatum de hanc ratione conuenit.

S. De Orator Maxime est hoc commune vitium & pertingit tum pro Marcello gloria est illius ac peruulgatum multorum & magnorum vel in Aetio, vel in patrum vel in omni generis hominum fama meritorum.

S. Sed quid exemplis opus est, quae sunt innumerabilia? cum nunquam aliter accipiat Cicero, praeterquam cum in eadem significatione capitur, tunc enim fere idem est, quod peragare.

Ut in Verrem actione 7. *Hic te praetore praetorium nunciat peruulgare iam.* Sed tu nimirum deceptus es, quoniam idem esse credebis peru-

gatus

quod peragratum, cum magna sit inter
 eas dictiones differentia, quod si dixisses, per-
 agratis his studiis, nemo reprehendere po-
 tuisset. habes igitur minificam latebram in
 quam te conicias, si dixeris accidisse libra-
 riorum culpa, qui pro peragratis si inperant
 perungatis, quod tunc demum crederemus,
 si solus hic esset a te commissus error, sed cum
 plurimi sint eius generis errores, ut excusari
 nullo modo possint, non est quod pereres. Li-
 brarios te culpam posse rejicere: cum pro-
 fertim tu semper adfueris, dum typis liber ex-
 cuderetur. Ergo tuae sunt hae discendi vo-
 neres, tua Myrothecia.

G. Consummati eruditione viri.

M. Apud Ciceronem consummatus non re-
 peritur.

G. Et si aetas mea me ad haec diiudicanda
 minime sit idonea.

M. Audiat audite novum Tullium ex foro
 Laetii enim, qui novae linguae verborum confu-
 siones. Sed expectanda sunt eius institutio-
 nes Grammaticae, quae nos haece institutio-
 nis graue edocent. Nam quis con-
 struxit haec verba mea, minime sit idonea me ad
 haec diiudicanda. Cuius farinae est etiam
 illud quod sequitur superlatum nomen.

G. Dixerissimum esse videam.

M. Nam quid nos, qui Ciceroe duco mili-
 tump diuisus neque comparatiuum habet,
 erga superlatiuum, sed ea cum opus est, sup-

plenus per hæc aduerbia magis, longe, maxime & similia. Uidero in Topicis. longe diuersa est illa disputatio Pratio. De somnio Scipionis: duo illa maxime inter se diuersa sunt: pro lege Manilia: ut cum duobus in locis distinctissimis maximeque diuersis. In Philosophicis. Caesaris longissime diuersa ratio est. Vbi vero ea diuersissima repereris nescio, nisi forte in Arcadia, ubi Merulae dicuntur esse candidæ, cum apud nos omnes nigras, nec satis boni saporis esse uideamus.

G. Non possum non adduci: opus illud e familiae Ciceronis non esse.

M. Haec imperfecta est locutio, nec vllus est ea sensus erui potest, nisi quis addat, ut credam, vel ut existimem. Quod vero me illis illud Quidij carmen immutasse.

Vix P. P. tantum, totaque P. P. fuit.
& pro illo ex vetustiori codice reposuisse hoc
Vix P. P. tantum, totaque P. P. fuit, vel ruit.
Memris impudenter illis: neque enim
fui vquam ego de hac re locutus, quantum
non infidelis memris, tam me lectorem agnos-
cere & approbare. Quod autem ruides
carmine emendationem hanc: Vix P. P. tantum,
ti, totaque P. P. fuit: Omnino te iudicio
rere penitus ostendis. Nam & sensus est pul-
cherrimus, & vir optimus Franciscus Mini-
cius Caluus, multis de causis quibus amicus
mus, atque in his rebus exercitatus, multis
iure iurando affirmavit, se ita in antiquis

voluntate scriptum legisse multisque eruditissimis viris eam lectionem exposuisse, quam cum audissent illi, miror tantum applausu subsequuti fuerint, atque approberint. Erumhi certe nullus alius videtur sensus huic loco magis contentere. declarat enim & amplificat Penelope, quod dixerat: Troia iacet certe, ut sit sensus; nulla tibi amplius excusatio relicta est Ulysses, quid in patriam reuertaris. Nam certe Troia quam Gracorum puellae maiorem in modum odere, prostrata est, ea inquam vis, id nobis, ea fortitudo tam potentia de magni regis Priami, vasa cum tota Troia sunt atque cuncta est, nihil est quod amplius terrorretur. Ea quam apertus sensus, quam facilis, quam Quindiana locutioni consentanea, est enim ubique, sui similis Quindius, planus, facilis, copiosus, non contortus, atque durus: nam si quis legat, ut Ptolemaeus tanti totaque Troia sunt, qui non statim videt hanc facilitatem immutari? & ad locutionem longae soni duritiam? quaeque obsecratur in nomine Quindio dignam? quare non ita facile est pellenda est antiqua lectio, cum praesertim optime quadragesime dicitur? Tu vero non melior atque suavis amarum, unde grossissimus odor afflatur, ita vetustas codices asperneris, audesque etiam eos reprehendere, qui diligentius antiqua volumina perquirentes librariorum errores emendare conantur. O cetera hominis, o stupore incredibilem adhibes te. nique innotenti manu. X. minus in A habet. 10

habentem esse, ut non videas quibus maledicas
 viris? quis unquam fuit paulo eruditior, quin
 omni studio veritatem libros quaeserit, ut
 ex his aliquid in repetitionibus emendaret?
 longum esset enumerare Politianos, Hermo-
 las, Alciatos, Naugentos, Egnatios, Manutios,
 Pierios, Victorios, innumerabilesque alios,
 qui in hac re maxime laborarunt; ut ex anti-
 quis codicibus quam plurimos in auctoribus
 locos emendarent. Ergo quod eruditissimis
 viris semper placuit, id quia Gaudentio Meru-
 lac displicet, idcirco repudiabimus? ergo verum
 imperitissimi atque audacissimi nebulonis sen-
 tentiam potius, quam excellentissimarum ho-
 minum auctoritatem sequemur? minime vero
 valeant potius reniae tuae pueriles. nos enim
 doctiorum sententiae & auctoritati semper
 adhaerebimus.

G. Non ulterius prospicientes.

M. In Ciceronis libris ulterius nusquam le-
 gitur, sed pro eo longius.

Quid nunc dicam de Aesonii verbis? quod
 cum emendare velit, turpissime depravat?
 hoc loco certe miseram auctorum fontem
 deplorarem, qui tales emendatores inu-
 riant. Sed vereor ne in me Gaudentius
 hic asperrimus, verbi ut ait Horatii parata
 tollat cornua. Nam illam audacitatem
 in me suam ostentare, velleque mihi dicam
 eundem scribere, quod de superiore loco vo-
 bis audientibus ostendere velim, cum esse ma-
 ritum. Ait enim poenam ingentem a prin-
 cipi.

cipibus nostris iis esse constitutam, qui aliquem mentiri dixerint. Itaque ego toto corpore perhorresco, ne rei capitalis mecum agat. Quid igitur faciam? non persequar eius *mirificum acumen & ingenium in purgandis auctoribus explicare?* quid mihi estis auctores, vos eruditi iuvenes? non me latet sensus vester. Scitis in his rebus nullum esse periculum, postquam de doctrina tantum esse contentiones, quibus rerum capitalium iudicia non admittentur. Cum praesertim verba pro veris reddi possint, & ille superior sit futurus, qui erit doctior. desinat igitur has ineptias persequi & capitale iudicium intentare, sed illud ostendat, si quo modo potest, se non errasse; tunc illum studium vixim existimabo. *Interim noto per maculam cum diuina in elegantissimis Ausonii versibus insideret, hic eo igitur longe melius ita legi: fides habet in istis cum poneret aurea vasis. quem admodum passim in vulgatis codicibus legitur quum fercula damnatis, ut iste corrigere voluit. solebat enim Agathocles, ut in historiis legitur, vasa sacra & pocula fictilia, iuxta sacra ponere, ut que iuuenibus ostendere ac licere: cum haec antea facere solerem, demonstratis fictilibus, fuerit veniti figuli filius, tunc per vigilantiam & fortitudinem talia facio, & demonstrabam aurea.* Bulberthone igitur Ausonii carmina ita se habent:

Fama est fictilibus ostasse Agathocles, quod
Atque abacum Samio saepe onerasse luto:

Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis
 Et misceret opes pauperumque simul.
 Quaerenti causam respondit. Rex ego qui
 sum

Sicaniae figulo sum genitore fatus.
 Fortunam reuerenter habe quouaque re-
 pente

Diues ab exili progrediere loco
 Nam onerare mensam fictilibus & samid luto &
 ponere fercula gemmatis vasis, quis non videt
 esse, miscere opes pauperumque simul.

Quin etiam illud Caecili hendecasyllabum
 vitiat

O qui flosculus es iuenculorum.
 Nam ipse aulle penitus ratione legit *iuencio-*
rum. nam quamuis Phintus iuvenes gallinas
iuuenci dixerit, quae ratio erat vt Caecilius iu-
 uenciosem diceret? & iuenculus a iuenco
 facile deflectitur. sed ad reliquas eius elegan-
 tias reuertemur.

G. Plantinizabo ego ne an potius talioni-
 zabo?

M. Quid est quaeso Marula quod nobis ver-
 borum portenta fingas? nam Plantinizaba
 quamuis sit absurdum, tamen facile patimur,
 quoniam etiam patrizare dixit Terentius, hoc
 est patris mores imitari, sed dic obsecro mihi
 per Mercurii filium, quid sibi vult talioniza-
 bo! ego quidem quid talio significet scio, ni-
 zabo quid sit, non intelligo

G. De tam sacrosancto Comico male audias.
 M. Im-

M. Imperitissime omnino male audias dixisti hoc loco pro male sentias. nam male audire Ciceroni idem est, quod improbari aut vituperari. sicuti bene audire est laudari. quos tu lecythos certe Merle non intelligis, obstructas enim aures habes ad omnem elegantiam. Cicero in Tusculanis: *erat sardaster M. Crassus, sed aliud molestius quod male audiebat.* De finibus honorum & ridorum. Est hominis ingenii velle bene audire ab omnibus.

G. Sed dic amabo, nae turciam ex Terentianorum es cohorte?

M. Defende si potes, quin hic pueriliter peccaveris. ponis enim ne coniunctionem, quam vocant encliticam, initio clausulae quod non tantum exemplo caret, sed etiam ratione.

G. Nimirum Batalee si cum tophis rixaris.

M. Si pro dignitate tua te reciperem Merula, clamare singulis in locis oporteret, te imperitum, barbarum, insulsum, ineptum, sed non faciam. potius modestiae meae consulam, quam te secundum virtutes tuas laudem. satis est, quod omnes intelligant, te talem esse, qualem modo depinxi: nam hoc loco declaras speritissime, te nescire quid hoc vocabulum nimirum & Cicero & Terentio usitatum signifi-
 cat. Disce igitur si potes hoc tempore, maxime barbarus, quae puer aut neglexisti, aut nunquam intellexisti. Nam a Cicero & Terentio nimirum pro certe vel nempe solet vituperari ut in Verrem: is est nimirum soter qui Alu-

tem dedit. De oratore libri I. Sed nimirum
maius est hoc quiddam quam homines opi-
nantur. Terentius: nimirum hic homines
frigent: tu vero tam stupidus es in literis, ut
exultimes nimirum idem esse, quod nil mirum.

G. Contortuplicata oratio.

M. Rancidum hoc & putridum est vocabu-
lum.

G. Quam optime hinc lingue consultum
foret.

M. Sinter discipulos meos, qui plerique fe-
stivi sunt & ingeniosi, verberans opinor, ut
diligentius cogitares quomodo latine loquen-
dum esset, aut centies in die suppositionibus &
sibilis exploderis, non enim tibi quam opti-
me sed quam bene dicendum fuit, quoniam
quam pro quantum, nisi sequatur possum, sem-
per positivo iungitur. Neque intelligis tunc
non significare quantum sed multo vel longe.
ut Cic. in epist. ut ex hac commendatione mi-
hi Cuspius quam primum, quam saepissime
gratias agat. Et de somnis Scipionis: quam
maxime se a corpore abstrahere. Sed quam
pro quantum semper positivo, ut primo de
nat. Deorum. Quam multas ante hunc Pisi-
stratus poenas sustulit? in epistolis. *Tamquam*
mittaber, quam multa? quam parca? in epistolis
ad Pactum: *Utavis dare operam, quam habebat di-*
ctum? quoties vero copulantur tam & quam
possunt etiam superlativo iungi, quod in sepa-
ratis non accidit. Salustius. *quam quisque opes*

sime

*siue facit: tam maxime tutus est. Terent. Adole-
scens quam minima in sp̄s situs erit tam facile patris
pacem in leges conficiat suas. Verum eo quo tu
modo vtens, dico nusquam apud bonos aucto-
res inueniri, penitusque barbarum esse, ma-
gnamque ignorantiam tuam declarare.*

G. Haec tua dementia ellebori iugere non
potest obtineri.

M. Non me fugit hoc ad imitationem Plau-
ti dictum esse, qui ait, *haec res ellebori iugere
non potest obtineri. Sed tamen ineptias tuas
non possum non reprehendere, primo quod
Ciceronis locutionem negligas, Plautina quae-
dam affectes vel carmina vel vocabula, quae
pleraque sunt aut nimis antiqua, aut poetica,
aut obsoleta aut etiam saepe inepta. multis
enim in locis ab eruditis viris Plautus impro-
batur. deinde quod caput est, eadem illa vi-
tias. Nam quamuis recte fortasse dixerit Plau-
tus: haec res ellebori iugere non potest obtineri, non
tamen conuenit hoc quod tu dicis, haec tua de-
mentia ellebori iugere non potest obtineri,
nos enim accipimus dementiam elleboro pur-
gari non obtineri.*

G. Scis ne solum Ciceroni placuisse Teren-
tium?

M. Vnde hoc habes quod solus Terentius Ci-
ceroni placuerit? cur igitur primo officiorum
Plauti facetias probat? cur plurimis in locis En-
nium laudat? cur Accium? cur Pacuvium? cur
Luclium? cur Scaevum? cur Gargilius? cur Mediolanen-

M

asilem

sem,

sem; quem multo magis familiarem habere videbatur, quam Terentium? Quid praeterea de Graecis poetis dicam? quos omnes, qui fuerunt alicuius nominis, familiarissimos habuit.

G. Huic si potes Pompee Brasca respondeo.

M. Quae te laruae agitant Melle Merle, ut grammaticam professus, omnibus in locis summam ostentes ignorantiam? cur Piladem in se Claris, qui tibi posset viliissimus esse, si eius institutiones perlegeres: quibus non minus indiges quam octauum annum agentes pueri: nam si apud eum hoc carmen annotasses: A propriis in *ius* quintum facis, vs remouendo: nunquam in tam perspicuum errorem incidisses, ut in vocandi casu diceres Pompee, sed potius cum Cicerone diceres: vti nam Pompei aut vti nam quam affinitatem cum Caesare inuisses, aut nunquam diremisses.

G. Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.

M. Vituperas hoc loco Ciceronem, quod Terentii carmen peruerse citarit & quod huic carmini denique adiunxerit, quae dictio sequendi potius carmini videtur coniungi debere. Sed tu nimirum ostendis te penitus rationem carminum ignorare. annon vides Baro verum hunc esse senarium iambicum? qui non aliter constare potest, nisi addatur denique?

G. Quid fingi potest durius hac dicendi apud Ciceronem figura? facere contumeliam dicimus, non contumelias. M.

M. T. Ciceronis passim et similis es, hoc est ho-
 mo, ac negligens. Nam hoc genere dicendi
 non videtur Cicerone neque enim unquam apud
 illum inuenies: facere contumeliam, quippe
 qui M. Antonium reprehendit, quod ita di-
 xisset, his quidem verbis: *Quid est per res a se
 et unctumque, quod sic loquitur, quod autem con-
 se in plurali tantum contumelias reperit, in
 in singulari contumeliam, plura multis exem-
 plis probari potest, te eorum mentis ferri-
 moniam vero pro Sylla sic ait Cicerone: equi-
 abest eorum ad rationem, cum esse me, in quorum
 vultu, nullam contumeliam facere poterit.* Cui
 C. Praeterea quam apertissimus est Teren-
 tii aemulator. *Quis est enim qui in
 M. Antonio in errorem hunc puerilem in-
 edidit, ut quam pro quantum superlativo
 temperes, quod rationem in mente, contumeliam
 ait, quod Terentio haec cepit, et alibi
 M. C. Ceditisne fortasse iuvenes, tantum in-
 se laudatis, Michae diligentiae, atque indu-
 stiae, ut ipse Ciceronem vel Terentium legi-
 dit, et eorum, quae ad imitationem Teren-
 ti dixit Cicerone dominum, illi distribuitis, si qui-
 dem hoc creditis. Sed cum iam plurimis
 vestrum notissimum esse sciat, quae libe-
 rarum Aescopiam contumeliam in dicitur, & aliis
 se plurimis induit, non dubito quin etiam faci-
 le credatis, quae dicturus sum, nempe hos
 omnes locos, in quibus Ciceronem cum Te-
 rentio, Terentium cum Plautio comparat, esse
 na*

na industria congregatos, impudentissime
 tibi Merulam attribuisse. Quod si quis vestrum
 mihi non credit, legat ea quae Ioachimus Ga-
 mgerarius in primo libro Tusculanarum
 quaestionum doctissime commentatus est, ibi
 reperiantur haec omnia, quae bonus hic pa-
 ter Gaudentius ad verbum in dialogum suum
 traduxit. o temeritatem fustibus coercendam.
 Tunc igitur quod ego magnis vigiliis & labor-
 ribus obseruavi, tibi furripies? num esse di-
 ces? Pro dii immortales, quid igitur est com-
 mittere sacrilegium, si hoc non est! nam lu-
 cubrationes suas eruditi viri suis nomi-
 bus inscriptas musis consecrant, eas quicum-
 que priuatum in usum aut gloriam vertit, is
 sacrilegus sit necesse est. neque est quod excu-
 sare possis, ita casu accidisse, ut quae Camera-
 rius notauerat, etiam tu notares, cum quatuor
 pagellas integras ad verbum transcripseris.
 Sed hoc apud te nouum non est, in hac arte
 latrocinandi veteres ac nobiliter gladiator. Haec
 & ea quae vir satis eruditus Bernardinus Ma-
 rula in Vitruvium commentatus erat, tibi af-
 feripisti: multisque augis additis, iactabas te
 iusta in Vitruvium commentaria conscripisse.
 Quod cum bibliopolaë euidam omnium reman-
 signato persuasisses, aureos ab eo plusquam
 quinquaginta recepisti, donec tandem dete-
 ctis dolis tuis non sine summa ignominia re-
 pulsus es. Scisne me de rebus tibi notissimis
 verba facere? Quid in eo volumine, in quo de
 Gal-

Galliae Cisalpinæ rebus antiquis tractas? non-
 est quid est boni, id totum Atriatu nostro sur-
 ripuisti? Nam cum ille veteris diuinus vir præ-
 cepta cetera multa omni disciplinarum genere
 cetera opera, unum etiam de antiquitatibus
 opus conscripisset, ex eo tu quidquid ad rem
 tuam faciebat, surripuisti, quam quidem in-
 iuriam ille iam pridem vindicasset, nisi tan-
 tum virum puderet, contra barbarum et trivio
 Matorum certamen suscipere. Obseruatis
 igitur hominem summa in Atriaz iuuenes, qui
 tanquam fucus quidam ignarus alienis semper
 laboribus indiget.

G. Alii scopam dissolutam.

M. O miram hominis diligentiam, quid
 ais, erantne Ciceronis ætate etiam aliqui Gau-
 dentii Merulae, qui sine lege ac ratione loque-
 rentur? quis apud antiquos legit unquam sco-
 pam dissolutam? nos vero numero multitudi-
 nis semper hoc nomen apud antiquos legi-
 mus. Cicero ad Atriatum lib. 7. non ad homi-
 nes sed ad scopas, dissolutas, in oratore, scopas,
 ut ita dicam, videntur dissoluere. Tu vero
 cur non profers eum, qui sit vñs hoc soloeci-
 smo? Sed nimium tu ex te ipso tanquam ara-
 fietis fingis. neque quisquam unquam ita lo-
 cutus est, ut scopam dissolutam diceret.

G. Maligniorum malignitas.

M. Malignitas non est Ciceronis vocabu-
 lum ipse potius malignam dicit esse.

G. Ciceroni quædam modo.

M. Ar-

M. Arrigite quæso aures, Auditores, & ne vos pigeat hos tam lepidos flosculos excerpte. dicat aliquis mihi vestrum: quot hæc sunt verba: Cicero*n*i calumniando? scio vos intelligere duo tantum esse. quid si vobis ostendero duos in duobus verbis esse sobrecismos. quid vultis amplius? attendite igitur. primum dico hæc gerundia *in do* casum post se non admittite, quod etiam superius annotauimus, non potest ergo dici Cicero*n*i calumniando. deinde memini dubium est. quin calumnior accusatorum postulet: non datinum. Cicero in epistolis: *quod antea te caluminatus sum, indicabo meam iniuriam meam & alibi. Sed calumniabor ipse me.*

G. At scio, ex vobis aliquis dicet, non placere ista Martiali, respondebo & esse in carminibus suis quod ipse ait.

M. Nihil hæc locutione magis barbarum est, quod illi Laurentii Vallæ opusculum de his pronominibus, *sua & suis* legisses, facile tuum errorem intelligeres, vbi enim tu *sua & suis* dixisti, eius potius erat dicendum: cum nulla sit in his verbis reciprocatio.

G. Sentiant igitur vnique quid velint.

M. Volo Auditores, vt Academiam aliquam nouam constituamus & hunc nostrum Gaudentium illi præficiamus, quoniam vniuersis probatus. vnitur enim ea licentia, quam nulli vnquam veteres habuerunt. dicit enim mihi vbi *vnique* reperit apud antiquos dicitur

citar quidem unusquisque, sed numero multitudinis caret.

G. Ausim tamen illud affirmare, nec cum facile omnes poetas superasse.

M. Hic primo amphibologia puerilis est & inepta, deinde quam infusa locutio potest esse cum: pro poetas, qui sum aetate praecedunt.

G. Tamen ego dicendo essem.

M. Hanc non esse latinam locutionem, iam superius ostendimus. Quis Gaudentium videt, scilicet diligentiam nostram, quid mihi inquit, cum tam accurato dicendi genere, satis est quod hic mihi dialogus ingens, cuius acquisiuit, acquirat. Maior agnus suis scriptis tot agri iugera, quot ego Terentiano meo, deinde mecum e loca superiore contendat. At ego tibi contra respondeo Merula, me nescire, utrum illa quae iactas agri iugera dialogus tuus, an aliquid aliud quod dicere dialogi tibi acquisierit, hae potest pluris honorem ac bonam existimationem facere, quam sexcenta praedia.

G. Cur in barbaris verificationibus.

M. Loripedem rectus derideat, Aethiopaibus: inquit Imaenalis, cur enim alios barbaros appellas, cum tu nihil nisi barbariem speres. Quis enim latinus ita locutus est, ut quare, ut diceret verificariam verificatores: an non hoc ex barbarorum coluione natum est? quateunque est hoc, auctoritati tuae, quam barbarus obtines, facile concedimus, illud

vero quis est tam facilis ut tibi possit concedere?

G. Stercora dixissem nisi orexim in vobis excitari timuissem.

M. Noli quaeso te, Merula, dictiones eas indagare, quarum significata non intelligis. nihil enim proficies, cum a barbaria tua discesseris. Nam quis hoc loco non videt ignorantiam tuam? qui orexim pro nausea poteris? cum sint inter se maxime diuersa? nam orexis vehementiorem appetitum vesendi significat, ut Iuuenalis: de quo sextarius alter ducitur ante cibum rabidam facturum orexim.

G. Haec obiter dixi.

M. Obiter reiicitur a Ciceroniana schola.

G. Sed cibo viriliore.

M. Dolebam aliquando iuuenis & vehementer angebar, cum latinam linguam tam inopem esse viderem, Graecam vero copiosissimam, sed postquam huius generis auctores exoriuntur & in lucem prodeunt, non est quod amplius doleamus. auget enim mirifice pro virili sua latinam locutionem Gaudentius nofter. Nam cum apud latinos virilis neque comparatiuum habeat, neque superlatiuum, ipse tanquam alter Pythagoras dixit: viriliore cibo. Itaque expectamus etiam alterum opus, in quo dicat virilissimum, interim accipite quod datur & fructum. Sed excitate obsecro vos & purgate mentem, si quis etiam vestrum despuere vult, licet, ut deinde tranquillius audiat, nam pulcherrima quas

Quaedam elegantia & mirificum dicendi genus sequitur.

G. Nunc demum te laudo Galeati Mirabilie.

M. Vbi sunt qui dicunt Gaudentium amplificatorem non esse latinae locutionis? potestne vos pigere iuvenes, tam diutinae fessiois? cum res tam eruditas, tam reconditas, tam vulgari consuetudine remotas a Gaudentio nostro perdiscatis? Notate igitur etiam hunc flosculum, eadem enim ratione dixit hoc loco Mirabilie, qua superius dixerat etiam Pompei.

G. Maledicentiae virus.

M. Cicero non solet vti maledicentiae vocabulo.

G. Huiusmodi decrepitis mancipium.

M. Decrepitus quidem apud Tullium legitur, sed decrepitas pro senio atque aetate vltima nusquam inueniri puto.

G. Carmen fuerit extemporaneum.

M. Qui latinae locutioni student, necesse est vt in primis delectum verborum diligenter habeant, ne quam dictionem admittant, quae non apud omnium eruditorum consensu probatos auctores inueniatur. recte enim Caesar dixisse fertur: magis vitandum esse verbum insolens & inusitatum, quam in mari scopulum. deinde vt verborum consecutionem seruent; quorum cum neutrum Merula praestet, a doctorum commercio repellendus est. non enim latini dicunt extemporaneum. sed vel *ex tempore factum*, vt Cic. semper, aut *extemporale* vt Quintilianus ali-

quando. Sed gratulemur huic aetati nostrae, prodeunt noui auctores qui nos & loqui & studere doceant. est enim quidam satis arrogans & loquax literator, qui nobis opus de ratione studii promittat. o miram codicum foecunditatem, opus (inquam) ipsius auctoris testimonio varia suppellectile refertum, elegans & perutile. Quid multa? superabit hoc Gaudentianum opus. Quidquid enim grauissimus auctor Albertus Bossius, quidquid Donatus, quidquid Alexander de Villa, Catholicon & Papias inclytis literarum monumentis mandauerunt, id totum congestum est breuiter in hoc vario, multiplici, diserto opere de ratione studii, vt non iniuria possit appellari quod Medicolanenses nostri vulgo dicunt, diuae conchaefereulum. atque vt facilius credatis, iuro per Pythagorae manes ita esse. Interim audite Merulae nostri elegantias,

G. Contumelia Terentio factum itur.

M. Mira est inconstantia, Gaudenti, tua. nam paullo ante dixeras contumelias in plurali tantum dici, nunc vteris singulari. Sed hoc bene. Illud vero quo auctore dicis: contumelia factum itur? num Cicerone? num Terentio? atquinondum ego genus hoc eloquentiae notare potui. quin etiam illa vocabula, quae sequuntur non ita multo post, quis nescit esse barbara? Materialem, finalem, formalem causam? vt interim sileam, nulla ratione extra propositum esse adducta. quod quibus facile videt.

G.

G. Suspensa, quod aiunt, manu legeres.

M. Hoc vero est, quod tibi palmarium affert Merula, si noua etiam prouerbiis: sensa dederis, perge porro felici auspicio, quo coepisti. Nomen enim tuum his rationibus aeternae hominum memoriae consecrabis, & cum No-ueriam in patriam tuam concesseris, omnes te cordones diuinis laudibus exornabunt. Et merito, cum tam ingeniosus esse uelis, ut contra nobilium auctorum sententiam passim ire non dubites. Nam cum Plinius *suspensa manu* dixerit, pro eo quod est negligenter, parumque accurate; tu pro eo quod est diligentissime, atque accuratissime posuisti, quod aperte declarant haec tua uerba: *Huiusmodi errares; tu quoque Belluine animaduertes, si singula uerba suspensa, quod aiunt, manu legeres.* Haec igitur cum nos legimus, maiorem in modum tuum scumen suspicimus & cogitamus, nullo modo fieri posse, quin discipuli tui breuissimo tempore doctissimi fiant, cum eos tam eleganter instruas, ut non auctorum sensa, sed tua illis somnia frequenter iacules.

G. Qui abecedarius est.

M. Dii tibi dent tuam mentem, qui sordidis & contaminatis uocabulis inquinat omnia. quod enim hoc genus est nouae dictionis, quod non solum a latina consuetudine, uerum etiam a politis auribus abhorreat?

G. Sed ad reliquam expostulationis partem transeamus.

M. Non libet mihi saepius exclamare, ne Tragoediam in nugis agere videar. Sed tamen mi Gaudenti, quod dicendum inter nos fit, nimium es negligens. Nam duobus in locis expostulationem accipis pro criminatione vel accusatione, qua solemus aliorum vitia vel errores infectari, quod omni penitus re-tione caret. Nam apud Ciceronem & reli-quos bonos auctores expostulatio significat ra-petitionem quandam officii cum querela, ut cum amicos nostros querimur officio suo de-fuisse, neque erga nos se gessisse quemadmo-dum oportebat. Tunc enim expostulamus officium eorum, tunc eos accusamus, tunc de illis conquerimur, atque ita semper venit haec dictione Cicero.

G. Tanto te magis laudo, quanto tuum ad-miror ingenium.

M. Mutila haec est clausula & barbara, nisi post quando addatur magis.

G. Quoties mihi per sancta sanctorum iura-re soles ne liminarem quidem Terentii pagel-lam non lectum, sed a te nequidem tactum aut visum fuisse.

M. In hac periodo duae sunt notae exorna-tiones Rhetoricae, quas diligenter advertere debetis. Nam primo docet vos genus immu-tare, non aliter atque facit olim Caenius, qui de femina versus est in Masculum a Neptuno. Sed per incuriam credo, cum infantulum suum ut audio, sinu gestaret, scripsit liminarem

pa-

pagellam lectum tactum visum, Deinde quis non admiretur hanc orationis venustatem? ne liminarem quidem Terentii pagellam non lectum sed a te ne quidem tactum, quomodo convenire possunt ad verbis illa ne, non ne. Nos qui tam politi non sumus, ita potius dixissimus: non solum liminarem Terentii pagellam non a te lectam, sed ne tactam quidem: vel hoc modo: ne liminarem quidem Terentii pagellam a te tactam aut visam nequam libellam esse. Sic chimæri sensus aliquis posset, sed ut modo, qui tu protulisti, nec sensus ullus est, nec sine barbaria locutio.

G. Redundans & plane superflua locutio. *si*
-if. M. Ciceron nunquam dixit superfluum, sed vel superuacuum vel superuacaneum.

M. G. Quinte Quadrigarie.

M. Videte quam sit castus M. Pulchellus, in tres huiusmodi vocandi basus et tribus in primo non sine summa admiratione ad dicitur Pompee. deinde quanta vos affectu lætitia cum dixit Mirabilis nunc omnino decet vos exultare, cum auditis Q. Quadrigarie. Nam ut arbitror aetas Grammaticæ molitibus institutiones, quibus nos Mediolanenses doceat supplicationes veteres, quas litanias vocant, imitantur & fontantiori quadam voce invocant. Sancto Ambrosio. Nescio quem Diuum vocat Novaria. fortasse solent in ea civitate clamare iugines: Sancte Gaudentie: Sed tamen amato quaeramus feria ludoc.

Ingr. & m. noll. 4. p. 17. D. G.

2. G. Videſne quam turpiſſime tui lapſus ſit Terentius.

3. M. Videſne tu Gaudenti, quam imperitiſſe quem pro quantum iungas ſuperlativo, quod minquam fieri adnotuimus, niſi ſequatur hoc verbum poſſum; vt Cic. de diuinatione: *expoſit quam breuiſſima potuit acula.* In episto- lis: *quam potui brevibus ſcribitur ad Atticum veni pro Cluentio?* Tum appellat hominem quam molliſſime poteſt. pro domo ſua: *dicō igitur quod quam poſſum maxima cura dico.* Sed exempla ſunt infinita. quocirca non ſequitur poſſum, quam pro quantum nunquam ſuperlati- uo iungitur.

4. G. Alga proiecta viliorem atque incredi- tam magis.

M. Quenam haec eſt comparatio? quam inſolentem quā conſuetudini refractaria? ma- gis incredulam algas proiecta. quis non videt abſurdiſſime dictum.

5. G. Transfretato Ticino.

M. Sicut quid facio Merula. ſtudit vitae ſcholaeſticae, in qua eſt hoc vitium: Trans- fretet ad portus nauis ut iſta ſcena, nam apud Ciceroſum transfretatio non legitur, ſed pro eo transmittit, vel transporto. Verum vt ſe- quendum, transfretatio eſt latinum, quoniam in Plinio eſt uſus, quam imperitiſſe dicunt? transfretato Ticino? eſt enim transfretatio fretum, hoc eſt anguſtias maris tranſiri: cum Ticinus non eſt mare, neque fretum.

G. Vt interditi eſſent aqua & igni,

M.

M. Papae, quam eleganter, nunquam hoc genus elegantiae novit Cicerone, dicimus enim interdico tibi aqua & igni, non interdico te. quae locutio cum in passivum vertitur, ita proferri solet, ut persona cui interdictum fuit, semper in dativo ponitur, nunquam in nominativo. nemo enim latine dicit, tu interdictus es aqua & igni: vel aqua & ignis interdictus est tibi. Cicerone ep. *facinum putavit aqua & igni nobis interdiceretur*. sed exempla passim apud Ciceronem & alios auctores obvia sunt.

G. Imo regnum & tyrannidem affectabat.

M. Estne etiam aliqua tyrannis, quae non sit regna? dicimus quidem eleganter regnum dominatum, sed regiam tyrannidem nemo, nisi graecis similis dixerit.

G. Hoc Afro quid amplius opus, homo sine regine venere.

M. Si in disciplinam alicui *plageso*, ut Horatiano vocabulo utar, ludimagistro dederimus Merulae, vae naribus tuis. quis enim ferat discipulum suum hoc uti dicendi genere, quid opus est hoc Afro homo sine venere.

G. Latinitatis assertor.

M. Assertor nusquam in Cicerone legitur, nec me fugit esse latinum vocabulum, sed doceo me Ciceronis esse studiosum, neque eum meo iudicio condemnari, sicuti neque *unctura* est apud Ciceronem, quamvis Horatius utatur.

G. Hunc ego quoniam quam lectorum ingenia sustinebant, intonat.

Y 5

M.

M. Hic nullus omnino sensus est, nisi quis addat grauius vel ~~alius~~, ut sit grauius intonat.

G. Hic est ille de quo prophetaus est Ennius.

M. Mihi videris in tuis operibus, Gaudetis asinorum similis esse; atque eorum mores imitari: quos, ut scribit Aristoteles, dicere solebat Heraclitus, stramenta malle quam aurum propter ea quod asinis etiam vile pabulum longe inuidius sit, quam aurum; eadem imitatione cum a Cicero ne possis elegantissime ad vere aurea verba sumere, manus e sece barbarorum haurire, quis enim latinus auctor dicitur unquam prophetaus est? atqui Tullius in eadem significatione *uaticinatus* est.

G. Minus cum plaudentium consensus est affectus.

M. Hunc errorem ter aut ~~quater~~ commisit cum dicendum potius fuisset, *subsecutus*. non enim dicimus: haec res affecta est tunc, sed contra potius, ego hanc rem *sum* affectus.

G. Adimpletum est, quod *praeditum* fuit.

M. Nullus est locus, in quo non expressa *uaticinatio* barbariae signa videantur. nam adimpletum est aures latinae respuunt. dicemus potius factum est, vel verum habuit exitum.

G. Ac si parenticidae.

M. Nescio quae te agitent furiae, ut cum stilum affectes a Cicero ne penitus alienum, tamen velis Ciceronianus videri. cum enim Cicero parricidas *passim* dicat, cur tu potius parenticidas?

G. In cuius stylobate & paulo inferius sub stylobate.

M. Estne hic qui in Vitruvium commentaria panxit, qui nesciat adhuc quid stylobata significet? quis enim unquam audiuit stylobatas dici? qui tantam columnarum sunt? *adus parietes* qui subiiciuntur & onera excipiunt stylobatae nuncupantur, quibus mox superponuntur stylobatae; supra quos demum disponi *columnas artis est*: verba Vitruvii sunt lib. 3. cap. 3. *extructis autem fundamentis ad libramentum stylobatae sunt collocandi, supra stylobatas columnae disponendae*, quibus ex verbis factis intelligitur non staturarum, sed columnarum bases esse stylobatas. quamvis hoc non tantum sit in te reprehendendum, quantum quod Vitruvium interpretari ausus fueris. Proh deum atque hominum fidem! Quis tu es, qui tantum auctorem explicare posses? an non sentis te non solum nihil ex liberalibus disciplinis unquam attingisse, verum etiam Graecam linguam penitus ignorare, latinam vero vix primoribus, quod aiunt, labris degustasse. Tam estupidus es, ut non videas a nemine Vitruvium recte intelligi posse, nisi qui praeter linguarum cognitionem etiam mathematicas ad unquam doctrinas edidicerit? quanta igitur futura temeritas? ut tot ignorantiae tenebris oppressus, illis, ut aiunt, manibus, non exponere sed inquinare Vitruvii sensa nitereris! cuius enim rei peritus es? Latine ignoras. Graece nunquam didicisti, ad di-

disciplinas non magis aptus es, quam aliquis ad Citharam. philosophum ne pictum quidem unquam vidisti. Quae cum ita sint tamen, si diis placet, in Vtriuuium nobis commentarios euertas, & quae reperis apud Calepinum uocabula declaras, reliqua praetermittis nihil enim unquam, ut opinor, praeter Calepinum perlegisti. quem Grammaticorum solesemporium & diuitias appellare.

G. Mediolano publico proclamate est eiectum
 M. O miram eruditionem Merula tuam! nesciebam certe, totam peritura esse, aut tam diligentem, ut etiam notariorum, quos vocant, uerba scrutareris. hoc aimitam est delectum habere uerborum, quaerere quae etiam caussidici uocabula solcant usurpare. atque equidem primo ad spectum obstupui, quoniam talem nunquam antea dictionem audieram. quid inquam, hoc monstrum est? quid est publico proclamate eiecti. ac primo quidem esse mendum in scriptura arbitrabar, deinde postquam intellexi notarios pro edicto publico solitos dicere *publicum proclama*, non potui scientiam & acumen tuum non uehementer admirari. ostendis enim mehercule mirificum ingenium. nam si dicimus poema, poematis, cur non etiam proclama, proclamatus? Sed uereor ne isti iuuenes, quos ego laetias tandem amatores esse scio, tuam inscitiam videant, qui non intelligas, haec omnia Graeca esse nomina, quae ita declinantur, ut thema, epigramma. Hoc uero tuum proclama ex barbarorum colluione profu-
 xil-

xille? Quid igitur tibi faciam? etiamsi velim defendere non possum. nam auditores isti, non adeo abtusa gestant pectora, ut non facile agnoscant, te omnino delirare.

G. Citra controuersiam principes

M. Hoc quidem modo loquuntur plurimi, sed felici illa Ciceronis aetate nemo vnquam citra controuersiam dixit, pro sine controuersia.

G. Vicariatus titulo Caesar ornauit.

M. Respicite parumper, quam sit felix hic noster Merula: nullo enim timore legum, nulla superstitione imbutus est. quidquid in buccam venit, illud euomit: nec tam studiosus est latinitatis quam libertatis. vult sibi licere potius euomere quam dicere. Quid ad me, inquit, si vicariatus non est latinum vocabulum. Satis est quod mihi placet. At ego tibi contra dico, cui placent haec barbara vocabula, non illo posse Ciceronem aut Terentium placere. quare non meo iudicio damnatus est Cicero, neque Terentius, sed tuo.

G. Dominium vrbis restituere volens.

M. Neque dominium Cicero dixit vnquam, neque tricenarium numerum. Quod vero dicis: habere vitæ & necis auctoritatem absurdum est & improprium. dicimus enim habere vitæ & necis potestatem non auctoritatem, ut Cicero pro domo sua: *In te P. Fonteus vitæ necisque potestatem haberet.* & *Salustius in Ciceronem, erepta libertate omnium nostrum vitæ necisque potestatem ad te vnquam reuocaueras.*

G. Quam

G. Quam sit nostra ciuitas antiquissima.

M. Quam recte memoriter tenet institutiones suas? videtisne vt etiam hoc loco quam pro quantum superlatiuo adiunxerit? Sed aduertite flosculum elegantiozem.

G. Et quia aestus intuentissimus vrgebat.

M. Quis vestrum adeo fuit oculatus vnquam, vt aestum intuentissimum pro maximo calore vel in Terentio, vel in Tullio notaret? At Murela nouas locutionis Veneres excogitat. Dum enim nos in Cicerone notamus *nimios ardores & calores maximos*, iste nobis aestus intuentissimos adducit. Cicero de natura Deorum *Eretharum* flatu nimii temperantur calores. Ad Quintum fratrem: *ego ex maximis* caloribus, non etiam maiores meminimus in Arpinati, summa cum amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus.

G. Cum lebes sit vas coquinarium.

M. Omnino Gaudentius noster Tincæ Placentini similis est, qui duos in vno verbo solocismos committebat. nam neque coquinarium vas latine dicitur, neque id vnde deduxit hoc vocabulum, h. e. coquina reperitur. dicimus enim culinam non coquinam. Iuuenalis? *baptum te nidore suae putat ille culinae.* Cicero in epistolis. *oblitusne es fungorum illorum, quos apud Niciam & ingentium culinarum cum sopbia Septimiae?* vnum etiam addam flosculum, deinde finem dicendi faciam. neque enim est animas omnia persequi.

G. Nihil tamen adaeque fuit admirabilis.

M.

M. O locutionem notate dignissimam ab-
 sique admirabilius. dic mihi Merula, quomodo
 possit hoc fieri? si admirabilius, quomodo
 adaeque? & si adaeque quomodo admirabilius?
 ubi suam sapientiam occultare: repetunt a te
 sannes isti amens discendi cupidissimi huius
 mei rationis est ne aliquid quod eodem tem-
 pore ad aliquid aliud collatum possit esse ma-
 gis & minus aut par & maius? certe negabitis.
 ergo qui dixit nihil adaeque fuit admirabilius
 inulsiime locutus sit, necesse est. Restat illa
 vitima sordidorum verborum & obsolutorum &
 barbarorum farrago, quam quoniam affectasse
 de dita opera videtur, hoc tempore non tangam.
 tantum aditoneho Draghetum illum, qui tunc
 sit, non enim agnosco, qui in extrema parte
 dialogi lectorem alloquitur, ut hunc Mervilem,
 quamvis fortasse civem suum, odio non reali
 prosequatur, & suas iniurias viciscatur, quod
 cum induxerit tam consorte & barbare loquen-
 tem. Nam eadecasyllabum illud huius Dragheti,
 quod dialogo praefixum est, adeo positum ac
 vequatum est, ut pluris sit faciendum, quam
 totus dialogus. Nunc ad vos me verto, cari-
 didissimi auditores, qui me patienter ac
 benigne tandem loquentem audistis, rogo-
 que atque obsecro, ut quaecumque a me
 dicta sunt, ea vos in bonam partem interpretati,
 & existimetis: etiam honoris in hac re ve-
 strum agi. non enim me solum offendit, sed
 vos etiam omnes, cum ab hac civitate pulsas
 ac fugatas esse bonas literas sinxerit. Quamob-
 rem

tam vnusquisque vestrum ita cogitet, me
 non meam tantum, sed vestram etiam & publi-
 cam esse vltimam iniuriam, meque respondere
 voluisse, non latere, vt ait Terentius: *hanc
 dixisti sciretisset, audisset hanc.* quod ab ipso alle-
 gatum est, sibi esse id relatum putet. Deinde
 quoniam non pugnis inter nos, sed doctrina
 contendimus, si qua in re haesum arbitratur,
 respondeat, & vtatur ea modestia quae nos vs-
 que faciat, vt de eruditione tantum verba faciat,
 mores ac vitam ne attingat. quamuis ita vix-
 sim ab incunte aetate, vt ne si cupiat quidem,
 possit in mores meos quicquam versu dicere. Ta-
 men non vos latet, quam odiosum sit falsis cri-
 minibus accusari. De vobis autem nihil dubito,
 quin vos omnes ex animo diligatis, quemad-
 modum ego totam Mediolanensium nationem
 non solum diligo sed etiam vehementer amo.
 Itaque spero me brevi tempore publica orati-
 one declaraturum, quantum huic ciuitati debe-
 am, & quantum vos omnes colam atque obser-
 uem. Interim eam, quam de me concepistis,
 opinionem retinete, praesertim cum iam aper-
 te intellexeritis, me id praestitisse, quod sus-
 ram pollicitus. Non enim quisquam, vt opi-
 non, amplius dubitare potest, quin planum
 fecerim, cum qui meo iudicio Ciceronem ac
 Terentium damnatos esse finxit, impu-
 dentem esse mentitum.

P. Q. N. I. S.

IN.

I N D E X

R E R U M E T V E R B O R U M.

A Accedarius, barbarum.	341
Abire in communem locum pro mori nimis dura locutio.	321
Accentus quid? 47. an differat a prosodia? ib. quot species.	48
Adaeque admirabilis, absurda dictio.	354
Adducationes pro proferre barbarum.	307
Adimpletus barbarum	346
Aegritudo pro morbo minime Latinum.	307
Aeneas an cum Didone regem habuerit.	99
Aeris tres partes	152
Aelus intestinum pro colore maximo vitiosum	350
Agnomen quid	103. 107
Amantes cur dicantur faveii? 82. cur palleant? 85. cur furere dicantur?	131
Amici cur dicantur unanimis? 61. sq. alter ego	62
Amnes cur ab Homero dicitur? 167. vbi nascantur ibid. qua figura plerumque ficti	168
Amor cur cupido dicitur 83. vbi sedem habeat? 85. cur coecus & infanus dicitur? 131. furor dicitur item furia 132. cur in medullis haerere dicatur. ibid. in Musas nihil valet	136
Annalia quot dies circumlata	262
Animalia an utantur iure naturali? 43. hieme quaedam albescunt	182
Aqua quibusnam Diis sacra	168
Aruspiciis culter qualis? 129. viscera manu non tangebat	169
Assertor non est Ciceronianum	345
Astrequi pro sublequi vitiosum	346

Z

A

I N D E X

Aufonius emendatus	326
Auctoritas vitæ & necis dictio absurda	349
Calumnior non dativum sed accusativum regit	226
Canes cur tam acriter odorentur	160
Capelli, Ludouici, scripta qualia?	209
Casus & fortuna sæpe vnum idemque I 42. a nonnullis negatur I 43. quid a fortuna differat? I 44. proprie ad inanimata pertinet	145
Causa materialis, finalis, formalis, locutiones barbaræ	340
Conferre idem quod numerare 44. quinam Romæ cen- sebantur?	ibid.
Cerebrum sensuum receptaculum 35. tria habet sedes	ibid.
Ciceronianus quisnam	173
Ciceronis locus illustratus 21. 41. ab eo non facile dis- sentiendum	22
Cithara & lyra vnum idemque 6. septem chordarum & quo inuenta	18
Cithara & citharis an differant?	19
Citharædus & citharista quid differant?	10
Citra controuersiam non est Ciceronianum	349
Civitas quid sit I I. quid ea faciat? 13. pro ædificiis & moenibus improprie ponitur I 4. civitas & vrbis quid differant	15
Clausula quid proprie hotet	307
Consummatus in Cicerone non legitur	323
Contortuplicatus, vox rancida	330
Contumeliam facere non est Ciceronianum	333-340
Coquinnarius vox barbara	350
D.	
Declamator quid.	176
Decrepitas pro senio barbarum	339
De eo quod barbara locutio	307
Dido mulier pudicissima	99
Diogenes Laertius apud H. Westteonium laudatus	220
Di-	Di-

RERVM ET VERBORVM

Diversus comparatio & superlativus caret	329
Dominium non est Ciceronianum	349
Dominus vox in titulo non est Ciceroniana	316
Dorsus modus in Pythagora ad sedandos iuvenum animos adhibitus	9
Ducere & de pictoribus & fictoribus vsurpatur	35
E.	
Effingere de pictore & fictore dicitur	35
Euthymema quid	308
Epitola omne dicendi genus admittit 170. 172. etiam Graeca	173
Exercitus an civitas appellandus? 12. a Caesare sic appellatur	19
Expostulatio quid nolet Ciceroni	342
Extemporaneus vitiosum	339
F.	
Facundia non legitur in Cicerone	321
Fatum varie sumitur 146. sq. fata rerum quid? 147. fatum Deorum quid? ibid. unde dictum 147 a Graecis quomodo dicatur? ibid. quid? 148. sq. an possit vitari	150
Fingere an de pictoribus dicatur?	34
Flumina in montibus orta 164. sq. sacra & culta	168
Fortuna omni caret ratione 143. quid differata casu? 144. de animalibus improprie dicitur	145
Fulmen & fulgetrum quid?	147
Fulgurationem cur prius videamus, quam tonitru audiamus	157
Furiare apud Horatium quid?	132
Furor quid? 131. Unde oritur? ibid. pro amore ponitur	132
G.	
Gerundia in do finita nunquam regunt casum 318. 336	
Geuartii commentarius in M. Antoninum & animadversiones in Manilium, Claudianum & Tristiani numismata	200
2 2	Gor-

Gorgiae aurea statua posita	176
Grammaticus quisnam	175
Grando vnde & vbi fiat 153. sq. carminibus aucti posse qui crediderint 155. exercitus deluit	156
Gratias referre verbis barbarum	317

H.

Harduinus, Ioannes, laudatus	212
Hartsockerii Dioptrica & Physica laudata	195
Hippias Elaeus omnia se scire iactavit	176
Hirundines vbi latant. hinc	182
Homines an possint a Diis vel daemonibus nasci 65. sq. cur foli illacrimant?	90
Humatus & sepultus quid differant?	96

I.

Iecur omnium cupiditatum sedes	134
Hicet vox sacerdotum	130
Interdicere aqua & igni alicui non aliquem	345
Iudicandi ars an prior & potior inueniendi arte?	53
Iudicandi facultas quid?	57
Iuno cur a Virgilio dicatur inducere pluias, grandinae & tonitrua 152. quid apud Philosophos	ihid.
Impiter aerem notat	167

L.

Lacrymae vnde proueniant?	88
Lancinnare verbum non est Ciceronianum	321
Lex quid sit?	17
Lyra eadem, quae eithara	6

M.

Maioragus vnde sic dictus? praef. 3. nomen suum Maria in Marcus mutauit praef. 19. & idcirco accusatus publice	praef. 21
---	-----------

c. S.

Male

RERVM ET VERBORVM

Male audire pro male sentire vitiosum	329
Maledicentia non est Ciceronianum	335
Malignitas pro malitia non est Ciceronianum	335
Medulla pro re optima & quid sit in medullis habere	133
vbi sita 134. caret omni sensu ibid. in quibusdam	
animalibus non est 130. quid sit ib. spinæ quid?	ibid.
Memoria debilis	30
Mortui an reminiscantur? 69. an sciant, quæ in terra	
aguntur	73
Musica veterum profusè amissa 3. eius præsidio Empe-	
doles hospitem seruant	7
N.	
Ninivum apud Ciceronem & Terentium valet certe	329
Nix vnde oritur	154
Nocumentum an vox latina?	306
Nomina propria hominum quaenam? 103. vnde ortæ?	
104. quo die infantibus data?	114
O.	
Obiter non est Ciceronianum	335
Oculorum sensus acerrimus	24
Odor an præstet nutrimentum? 75. quomodo ad naves	
perueniat 161. quid sit ibid. cur hominibus gratus	163
Odorandi sensus in hominibus hebetissimus	161
Odoratus quid notet	159
Odorus vox poetica	160
Operari pro facere vel agere barbarum	309
Orator quisnam? 176. 178. an in bene disserendis infe-	
rior Dialectico	308
Orexis & nausea quid differunt	338
Quidii locus emendatus	224

I N D E X

Paradoxia, Dea	266
Paradoxa Ciceronis an dici possint Socratica	329
Parenticida barbarum	346
Parricidiose vocabulum barbarum	307
Peruagatus, pro peragratus vitiosum	323
Petiti, Petri, nepenthes Homericum laudatum	207
Phantasia quid? 138. eius vis ibid. vnde dicitur?	140
Phantaston, phantasticon & phantasia quid?	140
Philosophus quisnam	176
Phorminx & cithara vnum idemque 4. nec non lyra	51
Phrygia harmonia Alexander a Timotheo ad bellum inflammatus	3
Pisces ob glaciem non fractam enecantur	183
Plinius Harduini laudatus	212. 224
Pluvia vbi & vnde generetur	158
Policia pro elegantia dicendi barbarum	322
Polycleti an duo? 30. Polycletus statuarius 31. duas sit sit statuas 32. an pictor?	ibid.
Polygnotus pictor celebris 30. quid pinxerit?	33
Pompee, vocatius pro Pompei, Solocicimus	322
Praestitum pro beneficium barbarum	319
Proclama barbarum	348
Prophetare minus latinum	346
Prudentia quid differat a fato & fortuna	149
Præna vnde fiat 153. quid sit	154
Pudorem solvere quid notet apud Virgilium? 121. sq.	
Pudor pro Dei cultus 122. in oculis sedem habet 123 vel in genis 124. quomodo pictus	ibid.

Q

Quantum pro quantum cum superlativo minus latinum	329. 330. 333. 344. 350
Quando pro quoniam indicativum postulat	317
Quicumque pro quisque, barbarum	329

R.

RERVM ET VERBORVM

R.

Rhetor quid	178
Ridentes cur lacrymas fundant?	91
Ros vnde oriatur	154
S.	
Sacerdotes variè appellati	139
Sacrificia apud Romanos quomodo peracta?	125. 14
Scoparum quatuor partes	139
Scio quod barbara locutio	307
Scopa pro scopae barbarum	343
Secundum consuetudinem parum latina locutio	320
Senatus vnde dictus?	18
Sensus imi apud Virgilium quidnam?	23, 27. & 29.
Sensuum duo genera 24. cui quinque tantum exteriorum homini dati	24. 19.
Sensu communi carere quid & vnde?	26
Sepulcrum quid? 92. quis inuenerit? 93. ab iis templis habent originem 94. magna eorum religio	95
Sepultus & humatus quid differant?	96
Stoici dici possunt Socratici	302
Stylobatae quid	347
Succinum quid	182
Superfluum pro superuacuum non est Ciceronianum	343
Suspensa manus quid notet	341
Sustinere gradum est soleccismus	318

T.

Tonitrus quomodo fiat & quid sit 156. cur fiat	158.
an hominum opera fieri possint	ibid.
Topica argumenta quid?	54
Transfreto non est Ciceronianum	344
Tricenarius non est Ciceronianum	349

V.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Verba vfitata quatenam dicenda	372
Verificator vtrum vox barbara conf. Rplitt. p. VI.	337
Vicariatus vox barbara	349
Virgilius illustratus 23. 38. cur omnes fere libros alicuius morte concludat?	81
Virilis & comparatiuo & superlatiuo caret	338
Vltimus non est Ciceronianum	326
Vnanimis, quid notet?	61
Vnusquisque plurali caret	337
Voluptates quae foediffimae?	24
Vossius, Isaacus, laudatus	199
Vrbantiffimus vltra omnem festiuitatem, inepta dictio	319
Vrbs quid proprie? 15. quid differat a ciuitate	ibid.
Wehert iter per Graeciam & Asiam minorem	



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



